








PAULUS SIMONYI
SS. THEOLOGIAE, ET JURIS
CANONICI DOCTOR.



6S 0 709446 / III

(266
/ 3)

Elek all.



TETRATEUCHUS
EVANGELICUS
SIVE
COMMENTARIUS
IN
QUATUOR EVANGELIA
JESU CHRISTI.

OPUS
CORNELII JANSENII
LEERDAMENSIS,
*Sacrae Theol. Doct. & Profess. Lovaniensis,
Episcopi Iprensis.*



PARS TERTIA.

Cum Permissu Caf. Reg. Majestatis.

LABACI
Litteris & sumptibus IGNATII MERK.
M. DCC. XCIV,

EVANGELIUS
TETRATHEUS

SIVE

COMMENTARIUS

IN

QUATUOR EVANGELIA

IESU CHRISTI

—

OF

CORNELII JANSENII

LEERDAMENSIS

Genev. Theol. Doct. & Prof. P. D. Jansenius

Episcopi Emeriti



202113292

PARS TERTIA

Genev. Theol. Doct. & Prof. P. D. Jansenius

LARICI

Lith. & Typogr. Ignatius

M. DC. XCIV



IN
EVANGELIUM
JESU CHRISTI
SECUNDUM JOANNEM.

PRÆFATIO.

Joannes Evangelista patrem habuit Zebedæum, matrem Salomen, ut ex Matth. 27. vers. 56. collato cum Marci 15. v. 40. colligitur: nam quæ ab illo dicitur mater filiorum Zebedæi, ab hoc vocatur Salome. Frater fuit Jacobi, Majoris vulgo dicti, qui primus Apostolorum ab Herode, non Tetrarcha Galilææ, ut putavit Maldonatus, sed Herode Agrippa Rege occisus est. Oriundus fuit a Bethsaïda, Galilææ oppido non ignobili, & a Christo Domino adolescens, ac pene puer, inquit Hieronym. libr. 1. contra Jovin. ad Apostolaturn vocatus est, sicut ætas arguit: nam, ut idem Hieronym. ibidem ait, sicut & in Catalogo, vitam usque ad sexagesimum octavum post Christi passionem annum produxit. Virginem fuisse, Tertullian. libr. De monogamia, cap. ult. testatur, Christi spadonem vocans, & late contra Jovin. Hieronym. qui eum nominat Maritum & Virginem. Ex

quo fortassis loco fluxit, quod Auctor Prologi in Tract. August. in Joan. Beda, & alii, putant, eum a nuptiis jam desponsis revocatum. Christo singulariter dilectum fuisse, & familiarem, probant recubitus in sinu Jesu: fiducia interrogandi Christum de proditore, quod Petrus non audebat: Mater Domini in tutelam ejus tradita. Unde seipsum sæpius nominat discipulum, quem diligebat Jesus. Vide cap. 19. vers. 26. cap. 20. vers. 2. Causam esse tradit Hieron. ibidem, perpetuam virginitatem; cujus plura vide apud eundem privilegia. Post Ascensionem Christi, Asiam ei ad prædicandum Evangelium obtigisse, testis est Iren. libr. 3. cap. 3. Euseb. in Historia, & alii passim; quod & Apocalypsis ad septem Asiæ Ecclesias, velut ejus curæ commissas, satis indicat. Proprie tamen Ephesiorum Episcopum fuisse, iidem docent. Scripsit post omnes cæteros Evangelistas Evangelium suum, & quidem, ut Theophyl. Dorotheus, & alii inferioris notæ auctores, in Pathmos insula; ut vero Iren. lib. 3. cap. 1. Euseb. lib. 5. cap. 8. & alii volunt, Ephesi. Nisi ita concillantur, ut in Pathmos scripserit, Ephesi ediderit, sicut quidam volunt, idque anno primo Nervæ Imperatoris. Scripsit autem rogatus ab Asiæ Episcopis, duabus de causis. Primo, ut Cherinti & Ebionis hereses, contra Christi divinitatem emergentes, refelleret, qui Christum purum hominem fuisse, & ante Mariam non fuisse dicebant. Secundo, quod cæteros Evangelistas unius tantum anni, quo Christus pas-

sus est, post Joannis videlicet carcerem gesta, & quidem fere mera humana narrasse deprehenderet. Unde & supplevit prætermissa, & quæ divinitatem Christi præcipue spectant, prosecutus est. Itaque indicto fratribus jejunio, ut Hieron. Præfat. in Matth. & ut alii addunt, fulguribus & tonitruis præviis, sicut alter Moyses, & verus filius Boanerges, altissimum illud proœmium intonuit, In principio erat verbum, &c. Quod quidam Platonius olim aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis emitentissimis proponendum esse dicebat, teste August. 10. de Civit. c. 27. Ex omnium sensu scripsit Græce, quamvis Epiphanius Heresi 30. testetur, illud Ev. Hebraice translatum, Tyberiadē in Judæorum secretariis penetralibus olim servatum fuisse.

CAPUT PRIMUM.

In principio. Duo præcipui istius loci sunt sensus. Primus est, ut, In principio, idem sit, quod, in Patre, qui est principium, seu origo & Filii, & Spiritus sancti, & causa rerum omnium: cui commodissime jungitur, erat, ut sensus sit, Filium semper fuisse in æterno omnium principio. Nam, ut optime Cyril. lib. 1. c. 1. in Joan. si in principio erat, quæ mens poterit umquam ultra illud, Erat, convolare? aut quando il-

6 COMMENT. IN EVANG.

lud, *Erat*, mente ita tenebimus, ut cogitationes nostras non antecedit? Ita & Hilar. lib. de Trinit. & August. 6. de Trinit. c. 2. Secundus est, *In principio*, temporis, quo esse cœpit, quidquid factum est, & ante quod nihil factum est, *erat*, id est, jam tum erat, & veraciter atque immutabiliter subsistebat. Nam isto verbo, *Erat*, includente quodammodo in sensu suo particulam, *Jam*, denotatur quædam antecessio ante principium illud temporis. Unde August. loco cit. exponit, ante omnia. Quæ vis verbi præclare exprimitur Proverb. 8. Nam quod v. 22. dixerat, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, mox explicat: *antequam quidquam faceret, --- antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram; -- ante colles ego parturiebar*. Significatur ergo, æternum esse Verbum, seu principio carens; ita ut istis tribus vocabulis, *In principio erat*, falsum convincatur illud, quod jactabant Ariani: *Erat aliquando, quando non erat*. Nam, ut acute Ambros. lib. 1. De fide, c. 5. indefinite tenditur, *Erat*. Quidquid excoGITaveris, erat filius: quod enim jam erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. Itaque respicere videtur Evangelista & supplere initium Genesis: quasi dic. In principio illo temporis, quo Deus creavit cœlum & terram, non creavit Verbum, quo

SECUND. JOANNEM Cap. I.

7

quo cætera creabantur, sed ipsum jam tunc erat ante cælum & terram.

Verbum, Græce (*logos*) quod ab antiquis, variis modis redditur: ab aliquibus, *Ratio*, a multis, *Sermo*, quod Erasmo & Novatoribus maxime placet. Sed omnibus in Ecclesia Catholica præfertur, & antiquis, ac recentioribus celeberrimum est, *Verbum*: & merito, quia alienissimum a compositione, quam *Sermo* includere, vel admittere videtur, utpote pluribus constans verbis: quæ multitudo ex imperfectione, vel loquentium, vel audientium proficiscitur. *Ratio* quoque neque respectum ad principium significat, neque ad opera, quæ verbo fiunt; sicut utrumque notat Augustin. lib. 83. Quæst. qu. 63. quorum utrumque significatur nomine *Verbi*. Addit Basil. in principium hujus Evangelii, *Verbum* hic dici, non, *Filium*, quia ex mente processit, quia citra carnalem affectionem natus est, quia imago est genitoris, totum in seipso genitorem ostendens. *Verbum* quippe perfecta imago est ejus, cujus est verbum. Non enim de externo Verbo, quod proprie dicitur *Vox*, sed de interno agitur, quod *Cogitationem* dicimus. Sed cogitationis nomen horret Evangelista, ne aliquid volubile credatur in Deo, ut August. 15. de Trinit. cap. 16. Est autem Græce additus articulus (*ho logos*) illud *Verbum*, ut articuli ad-

jectione, inquit Chrysoſt. illud a reliquis ſepararet: quaſi dicatur, in principio jam erat illud Verbum Dei, primum, divinum, increatum, quo creaturæ omnes dictæ & creatæ ſunt.

Et Verbum erat, id eſt, Et idem iſtud Verbum jam tum in principio ſubſiſtebat, *apud Deum*, Græce (*ton theon*) *illum Deum*, celeberrimum Iſraeli, a Patribus prædicatum, cujus erat hoc verbum. Significatur ergo hic; Primo, Verbum iſtud fuiſſe Verbum ipſius Dei, Cum enim verbum non poſſit eſſe niſi dicentis, & nihil eſſet præter Deum, necelle eſt, fuiſſe verbum Dei, tamquam dicentis, & proinde Patris. Secundo, & præcipue, Verbum perſonâ diſtingui ab illo Deo, cujus Verbum eſt, id eſt, a Patre, ut notavit Theophyl. Cyril. Baſil. & quotquot antiqui locum hunc tractavere. Quomodo enim, inquit Cyrillus, quod unum numero eſt, id eſt, una perſona, ipſum apud ſeipſum eſſe intelligeretur? Tertio, Verbum, non ut conceptum humani animi, in Patre eſſe, tamquam accidens in ſubjecto, ſed ut perſonam diſtinctam per ſe ſubſiſtere. Idcirco enim uſus eſt præpoſ. *apud* potius, quam *in*. Unde Theophyl. & Hilar. lib. 2. de Trinit. reddunt, *cum Deo*, quo ſignificatur idem, quod, *Apud Deum*. ... *Et Deus erat verbum*. Græce articulus additur *Verbo*, & non *Deo*, ut indicetur, *Verbum* eſſe ſubjectum, & *Deus* prædicatum, hoc
mo-

modo: *Et illud verbum erat Deus.* Quo inverso loquendi modo usus est, propter concinnitatem sermonis, maxime Hebraici, ut scilicet vox, *Deus*, quæ finis fuerat sententiæ præcedentis, esset initium sequentis; quemadmodum hoc fit quater statim v. 4. & 5. Porro magna consideratione non addidit articulum vocis, *Deus*, ut indicaret, non sumi hic pro persona, ut paulo ante, sed pro natura communi; ut sensus sit: Verbum erat Deus, sicut ille, apud quem erat, alius non aliud, ejusdem cum illo naturæ, ac deitatis, idem cum illo, consubstantialis, ac simplicissimus Deus, ut notat Cyrillus. Ex quo patet, prima sententia expediri quæstionem, an sit Verbum, nempe in principio, seu ab æterno: secunda, quo modo sit persona, scilicet a Patre distincta; tertia, quid sit, nempe Deus. Omnia vero tria pulchro compendio in unam summam colligens, addit:

2. *Hoc erat in principio apud Deum*, id est, hoc idem Verbum, quod Deum esse dixi, erat in principio apud Deum, cujus verbum est, tamquam scilicet unus cum eo Deus. Causa duplex talis epilogi est: prima, ne quis tria illa pronuntiata de diversis verbis intelligeret; uno videlicet, quod sit internum Deo Patri; altero, quod illi interno simillimum sit, & vocetur Filius Dei, tamquam verbum

verbi, & splendor splendoris, & imago imaginis, ut Eunomiani putarunt, teste Cyrillo libr. 1. in Joan. cap. 4. Secunda causa est, eaque præcipua, quam urget & explicat S. Hilar. libr. 2. de Trinit. ne contra Moysen, novum Deum, ideoque plures Deos cum Gentilibus introducere videretur, dicendo, *Deus erat Verbum*. Statim enim explicat: *Hoc erat, &c.* id est, hoc idem Verbum, Deus unus & verus, erat apud Deum, cujus Verbum est. Explicata igitur Verbi æternitate, distinctione, natura, nunc ad opera ejus tam creata, quam restauranda pergit.

3. *Omnia per ipsum facta sunt*. Compendio exprimit quidquid Moyses fuit initio Genesis deduxerat, quia ad opus redemptionis, novo Testamento proprium, festinabat. *Omnia*, igitur, id est, ut explicat Paulus ad Coloss. 1. vers. 6. *Universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia*, nullo penitus extra Deum excepto. Cum enim dicit, *Omnia*, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia, sicut idem Apostolus argumentatur 1. ad Corinth. 15. v. 27. *Per ipsum* vero facta seu creata sunt, non ut per ministrum, per organum, per instrumentum, sicut Ariani senserunt, sed per efficacissimum, omnipotens, & coæternum Patri Verbum, quo Deus Pater dixit: *Fiat, & factum est*. Cum enim verbum nonnisi a dicente sit, significatur tantum per istud,
Per,

Per, potestatem faciendi, sicut & ipsam essentiam, Filio a Patre communicatam, sed ab æterno. Non enim putandum est, cum in Genesi scribitur, *Dixit Deus: Fiat lux*, &c. temporalem aliquem sonum, aut dictionem, aut jussionem significari; sed denotatur æternus conceptus, seu Verbum Patris de universis condendis, cujus effectus temporalis tunc effluxit, quando fieri debuisse, in illo verbo continetur. Æternum quippe est hoc ipsum in verbo Dei, quando fieri aliquid debeat, ut Augustin. libr. 1. De Genes. ad litt. capite 2. Porro ex hoc, quod per Verbum omnia dicuntur facta, recte colligitur, ipsum Verbum non esse factum, sicut colligunt fere veteres adversus Arianos, August. Tractat. 1. Cyril. lib. 1. cap. 5. & alii: sicut enim seipso non potest esse prius, ita nec per seipsum fieri. Ut autem de omnibus cæteris creatis nulla fieret cavillatio per exceptiones, aut commodas distributiones, id, quod affirmative dixerat, generalissime exprimit negative: *Et sine ipso factum est nihil*, neque corporalium, neque spiritualium. Quo jugulantur Platonici, & Manichæi: illi, quia corporalia per Deos minores, id est, per Angelos; hi, quia mundum corporeum per principium malum factum sentiebant: contra quos Augustin. tum Tract. 1. in Joan. tum. 12. de Civitat. cap. 20. Porro illud, *sine*, quamdam con-

comitantiam significat, ut alia intelligatur persona socia, nempe Pater, ut Hilar. quasi dic. Sine eo a Patre nihil factum est. *Quod factum est.* Jungendum est præcedentibus, sicut jungit Nazianz. Orat. 5. de Theologia, Hieron. diversis locis, Chrysoft. & alii. Itaque tamquam explicationis ergo adjectum est, ut facilius intelligeres, quænam per ipsum facta censeantur, nempe omnia, quæ facta sunt; sic enim nulla difficultas est in excludendo ab ea generalitate Patrem & Filium, & præcipue Spiritum sanctum; itemque peccatum. Illi namque non sunt facti, qui æterni; hoc non fit, quia fieri nequit, utpote defectus ab eo, quod est. Augustin. tamen & Cyrillus in Joann. Athanas. aliique multi veteres, jungunt sequentibus, hoc modo: *quod factum est: in ipso vita erat*, quod Augustin. exponit Tract. 1. in Joan. & 5. De Genes. ad litt. c. 14, res creatæ erant vita, antequam fierent, non in seipsis, sed in Verbo, seu in Sapientia Dei, tamquam in arte vivente, qua factæ sunt. Porro quomodo hoc exordio Joannis interficiantur plurimæ hæreses, Ariana, Sabelliana, Photiniana, Eunomiana, Manichæa, vide Ambros. lib. 1. De fide cap. 5.

4. *In ipso*, scilicet Verbo, *vita erat.* Quod Chrysoft. & Cyril. videntur causaliter intelligere, respectu vitæ naturalis creaturarum, quam causat creando & gu-

ber-

bernando: recentiores vero plerique respectu vitæ spiritualis & æternæ, quam attulit hominibus. Rectius August. Tract. 1. in Joan. & aliis multis locis, exponit hunc & sequentem adhuc versum de vita essentiali Verbi Dei. *In principio ergo vita erat*, quia ipsemet vita erat, sicut infra dicit, *Ego sum vita*, quia est ipsa scilicet æterna & vivens Sapientia, & Veritas. Nec refert, quod in ipso esse dicatur; sic enim & cap. 5. vers. 25. dicit, *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, quia ipse est vita sua, ut August. notat loco De Genesi citato. *Et vita*, illa eadem divina Sapientia, *erat lux*, non quorumcumque animalium, sed hominum, quia ad imaginem Dei facti rationalem habent mentem, qua possunt videre sapientiam Dei, æternamque veritatem. Ita August. Tract. 1. Hanc enim lucem æternæ sapientiæ vidit, quisquis æternam Dei legem vidit, ex qua sapienter vivendo vitam suam format. Quia vero stulta hominum corda, quæ peccatis, terrenisque desideris aggravata lucem illam videre non possunt, putare possent, lucem illam sibi absentem esse, addit:

5. *Et lux*, ista æternæ Veritatis & Sapientiæ, *in tenebris lucet*, id est, in tenebrosis & cæcis peccatorum cordibus. Ut enim crebro explicat & apposite August. sicut homini cæco præsens est Sol, sed ipse Soli absens est, sic omnis
 stult.

stultus, id est, impius & iniquus cæcus est corde. Præsens est illi Sapiencia, & veluti cæco Sol, ideoque oculis ejus absens est. Hinc est ergo, quod *tenebræ*, id est, homines peccatis tenebrati, *eum non comprehenderunt*, id est, non perceperunt, nempe quia immundos habebant oculos. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Tollantur ex animo impedimenta peccatorum & affectuum terrenorum, & videbis sapientiam, quæ præsens est, quia Deus est ipsa Sapiencia, inquit Augustin. His ergo de divinitate Verbi Dei præmissis, & de tenebris eum non comprehendentibus, accedit ad œconomiam divinæ providentiæ, qua mundum in notitiam istius lucis adducere voluit.

6. *Fuit homo missus a Deo*, & proinde divinæ auctoritatis pondus ad testificandum habens, quam ei conciliaverat miraculosa nativitas, vita solitaria, victus austeritas, conversationis innocentia, prædicationis libertas & efficacia: Cui nomen erat Joannes, divinitus videlicet impositum ante circumcisionem, & ipsa sua etymologia gratiam Dei sonans.

7. *Hic venit in testimonium*, ut testimonium perhiberet de lumine, id est, causa missionis & adventus ejus fuit, ut testaretur istius lucis carne vestitæ præsentiam in hoc mundo. Nam quamvis Sol corporeus non indigeat lucerna, ut videatur,

tur, lux tamen illa animi mundi, sapientia Dei, per se inaccessibilis est cordibus, maxime tenebrosis. Itaque prædicatione sua testimonium ei perhibuit Joannes: quod ipse esset lux & Sapientia Dei; ut sic omnes, qui non possent eam capere, eaque contemplando & amando frui, ejus auctoritate moti, saltem *crederent per illum*, Joannem. Fides enim, nondum re perspecta, innititur testificationibus fide dignis; fide jam habita, mundatur paulatim animus, ut tandem videre possit, quod credidit.

8. *Non erat ille lux*, illa increata, Sapientia scilicet Dei, sed potius lucerna ab illa luce accensa, sicut vocatur c. 5. ... *sed ut testimonium* &c. quasi dic. Non erat lux, sed testis ac præco lucis: non Sol, sed lucifer, Solis præcursor. Quod tam sollicitè inculcat, ut suspicionem tolleretur, quæ aliquando fuerat, Lucæ 3. v. ... 15. quod ipse esset Christus. Itaque illud lumen, de quo perhibuit Joannes testimonium, ab æterno

9. *Erat lux vera*, primigenia, summa, substantialis, non lucis particeps, sed ipse fons luminis spiritualis, quia ipsa *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est, nascentem: ergo & ipsum Joannem. Hæc autem illuminatio dupliciter intelligi potest fieri: primo per creationem mentis rationalis, velut oculi interioris; sic Augustin. exponi posse
tra:

tradit libro 4. De peccatorum meritis cap. 25. præsertim si attendamus, nihil omnino veri, qualecunque sit, agnoscì ab humana mente posse, nisi iudicet juxta regulas quasdam immutabiles, quas supra mentem suam omnis anima rationalis scriptas videt in libro lucis illius, quæ æterna veritas dicitur, ut August. sæpe tradit, & in primis lib. 14. de Trinit. cap. 15. lib. De vera religione cap. 39. & alibi. Secundo intelligi potest, ut August. plerumque intelligit, de illuminatione pietatis, qua anima per gratiam vere fit sapiens & iusta. Nam quamvis homo audiat dicentem hominem vel Angelum, ut tamen sentiat & cognoscat, credendo & amando, verum esse, quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, ut idem loco De peccat. meritis citato, ubi dicit, hunc locum exponendum esse negative, quia scilicet nemo illuminatur, nisi ab ista luce: quasi dic. Cui soli competit illuminare omnes, qui illuminantur.

10. *In mundo erat, essentia, potentia, presentia, non mundo quasi conclusus, sed uti continens mundum: Et mundus per ipsum factus est, tamquam per artem viventem & subsistentem omnipotentis artificis, quæ regit opus, quod fecit: Et mundus, id est, sed mundus in illis creaturis, quæ eum agnoscere debuerunt,*

eum (quod refertur Græce non ad lucem seu lumen, quod præcessit, sed ad personam verbi, quod Græce masculinum est, *logon*) non cognovit, cœcitate mentis, qua post peccatum tenebrata est, impediēte, ne auctorem suum agnosceret, illa præsertim agnitione, qua Deus agnoscī, & amari, & colī a creatura sua debet.

II. *In propria venit*, id est, in mundum a se factum, præcipueque in Judæos carne cognatos venit, per incarnationem, inquit August. Tract. 2. nempe qui invisibilis per divinitatem in mundo erat, visibilis & palpabilis per humanitatem fieri voluit; ut, quemadmodum Athanas. de corporali adventu verbi Dei dicit, homo hominum sensus in sensibilia defixos præoccuparet. Nimirum, ut ita homines humana solum cogitantes, quocumque sensus suos conferrent, ibi se anticipari, & undequaque insinuari veritatem sibi animadverterent. *Et sui*, id est, Judæi (quos ut populum peculiarem sibi, adsciverat, Deuteron. 32. vers. 9. item *sui*, quia contribules ejus & cognati, ut August.) *eum non receperunt*, per fidem, id est, noluerunt in eum veluti creatorem domus ac liberatorem suum credere, ut mox exponitur; imo rejecerunt eum. Ne vero a nemine prorsus receptus esse, & Judæorum incredulitas fidem, qua Deus in promissis

suis fidelis est, evacuasse putaretur, ad-
jecit, a quibusdam receptum, & quanto
fructu.

12. Quotquot autem receperunt eum, quod
quomodo fiat, statim explicat: creden-
do scilicet in nomine ejus, id est, in ip-
sum, prout se inter homines cognoscen-
dum & nominandum exhibuit, videlicet
in Jesum Christum Filium Dei, *Dedit
eis potestatem filios Dei fieri*, hoc ipso,
receperunt eum, seu crediderunt in eum.
Nam, clare & breviter Augustin. libr. 1.
ad Bonifac. cap. 3. datur potestas, ut Dei
filii fiant, qui credunt in eum, cum hoc
ipsum datur, ut credant in eum. Hoc
autem solet communiter intelligere Au-
gustin. de fide viva & operatoria per cha-
ritatem, quæ scilicet non steriliter cre-
dit, sed facto ostendit, se verum pu-
tare, quod credit. Et tunc potestas il-
la est actui suo conjuncta. Et versus
sequens erit explicatio, qualis illa fides,
qua fiunt filii Dei, esse debeat, regene-
rationi scilicet juncta. Intelligi tamen
potest de potestate ab actu separata, &
consequenter de fide inchoata: nam per
illam ad baptismum regenerationis du-
cimur, & orando ex fide impetramus
spiritum pœnitentiæ & charitatis, qua
constituimur filii Dei. Et tunc sequens
versus erit enumeratio eorum, quæ præ-
ter fidem illam requiruntur, videlicet
qui

qui non solum crediderunt in nomine ejus, sed etiam

13. *Qui non ex sanguinibus, maris & foeminae, conceptus materiam ex concocto sanguine subministrantium, ut Augustin. Tract. 2. Quod plenius explicat, neque ex voluntate carnis, id est, concupiscentia mariti, qui non humana, non carnali, non concupiscentiali, & immundissima generatione, sed ex Deo nati sunt, id est, ex sanctissima illa divina voluntate. Voluntarie enim genuit nos Deus verbo veritatis, ut est Jacobi 1. Unde August. apud Prosperum Sent. 301. Justus ex Deo, non ex hominibus nascitur, quoniam renascendo, non nascendo fit justus. Unde etiam renati filii Dei vocantur.*

14. *Et verbum, illud scilicet, de quo haecenus locutus sum. Ponitur vero Et pro Nam, quantum ad sensum, modus exponitur, quo in propria venerit, & simul ratio datur tantæ gratiæ hominibus collatæ, qua filii Dei fierent, nempe quia illud ipsum æternum Verbum ineffabili quodam amoris excessu, Caro factum est, id est, homo, sicut unanimiter Patres explicant, Cyril. August. & alii, per synecdochen scilicet pro toto ponendo partem, eamque viliorem, ut Christi humilitatem magis ostenderet, & ne carnis nomen, quasi indignum aliquid refugisse videretur, inquit August. Epist. 120. cap. 4. Similes locutiones in Scriptu-*

ris frequentes sunt, ut Lucæ 3. v. 6.
Videbit omnis caro salutare Dei. Itaque ad
commendandam extremam Dei dignatio-
nem, summum opposuit infimo, nobi-
lissimum abjectissimo, verbum omnipo-
rens & beatissimum infirmissima, miler-
rimæque carni; sic tamen, ut *Caro*, non
significet hic, neque partem naturæ hu-
manæ, neque naturam humanam, ne-
que personam humanam, sed hominem;
quia Verbum non pars naturæ, non na-
tura, non persona, sed homo *factum est*.
Sic, ut Verbum, seu persona Verbi sub-
sistens in natura divina, simul sit vere
homo, id est, subsistens per modum per-
sonæ in natura humana. Ita quippe ver-
ba ista librata sunt, ut uno ictu omnes
hæreses de Christo perimantur. Nam ne-
que dicitur, verbum factum esse, quod
putabant Ariani; neque verbum in car-
nem mutatum, quod Apollinaristæ; ne-
que carnem in verbum, quod alii: ne-
que verbum & carnem in naturam ter-
tiam, quod Eutychiani: neque verbum
carnem sibi tantummodo conjunxisse;
neque personam hominis sumpsisse, quod
Nestoriani; neque in carnem venisse,
sicut ad Prophetas & Sanctos olim venit:
sed verbum carnem, seu hominem fa-
ctum esse: utraque scilicet natura in uni-
tatem personæ coalescente, ita ut ver-
bum sit caro, seu homo, eademque per-
sona verbum simul & homo. *Et habita-*

SECUND. JOANNEM Cap. I. 21

vit in nobis, id est, Verbum jam caro factum in terris visum est, & cum hominibus conversatum, ut explicat Baruch cap. 3. vers. 38. ne scilicet propter magnitudinem excellentiæ suæ hominum consortium dedignatus fuisse putaretur. Quamquam Cyril. 1. in Joan. cap. 16. & libr. de Incarnat. unigeniti cap. 23. velit, esse explicationem particulæ præcedentis, ut significetur, quod Verbum non ita sit caro factum, ut mutatum fuerit in carnem, vel cum carne in naturam tertiam, sed ut in illa non sibi confusa, permixtave, sed distincta, velut in templo animato corporaliter habitaverit. *Et vidimus*, Græce (*etheasametha*) *spectavimus*, scilicet oculis corporalibus, tamquam testes oculati, admirandum spectaculum, *gloriam ejus*, id est, majestatem divinitatis ejus, per humanam naturam coruscantis, non qualem Prophetæ, Moyses, Angeli habuerunt, sed *quasi unigeniti a patre*, id est, talem, qualis decebat Filium Dei Patris unigenitum. Itaque *Gloria* significat illam majestatem, sive splendorem divinitatis occultæ, quæ vel in facie relucebat, ut Hieron. cap. 9. Matth. vel etiam in vestibus, ut in transfiguratione, vel per miraculorum magnitudinem se prodebat, ut infra cap. 2. vers. 11. Et illud *quasi*, non similitudinis nota est, sed confirmationis, ac determinationis indubitæ, ut loquuntur

Chrysoft. & Theophyl. significans, tamquam, id est, vere, quemadmodum dicit Apostolus, *Ut filii lucis ambulate*, id est, tamquam qui vere filii lucis sitis. Unde August. in Psalm. 125. scribit, esse subinde notam proprietatis, ut quando dicitur, *Fecit sicut vir bonus, sicut Senator, &c.... Plenum gratiæ & veritatis*. Plenum Græce Nominativus est, (*pleres charitos*) & referendus est ad *Verbum caro factum*; ita, ut, quæ sequuntur (*vidimus gloriam ejus, &c.*) parenthesi includantur. Itaque Verbum caro factum, erat plenum gratiæ, non solum quatenus ipsa divinitas in eo habitabat corporaliter, sed etiam, quia ipse fons omnium gratiarum Spiritus sancti in ipsum cum tota plenitudine gratiæ, tam gratum facientis, quam gratis datæ, sine mensura effusus erat, ita, ut in nos plenitudo ejus redundaret. Legem quippe nobis in gratiam mutavit, timorem in amorem. *Et veritatis*, quia ut est 1. Joan. 5. Christus est veritas, & ita veritas, ut totum in illo verum fuerit, vera anima, vera caro, verus Deus, vera nativitas, vera mors, vera resurrectio, ut August. Tract. 8. in Joan. Hinc consequenter, plenum veritatis, in verbis sine mendacio, in conversatione sine peccato; plenum veritatis in rebus, quia omnes umbras ac typos, omnes promissiones veteris Legis implevit, juxta Apostolum, 2. ad Corinthios 1. v. 20.

15. *Joannes testimonium perhibet de ipso*, id est, non solum nos, quod vidimus, testamur, sed & Joannes a Deo missus, tantæque auctoritatis, ut Christus esse putaretur, testando clamat; id est, non clanculum, non obscure, non trepide: sed magna cum libertate professus est: *Hic erat, quem dixi*, id est Hic est ille, de quo prædixi, antequam vidissem eum, ut patet Lucæ 3. v. 16. ... *Qui post me venturus est*, jamjam scilicet ad prædicandum; quia jam ab eo baptizatus fuerat. *Anze me factus est*, id est, mihi antepositus est dignitate, ut August. Tract. 3. ... *Quia prior me erat*, id est, æternitate prior, dignitate præstantior. Utroque enim modo *Prior* accipi potest, ut & temporis præcessionem significet, & naturæ tam divinæ, quam humanæ præcellentiam. Unde Ambros. 3. de fide cap. 5. *Prior me erat*, æternitatis est; ante me factus, honoris. Interposito breviter Joannis testimonio, pergit declarare illam, quam dixerat, plenitudinem gratiæ & veritatis.

16. *Et de plenitudine ejus*: quasi dic. *Tanta fuit ejus plenitudo*, ut de redundantia fontis illius nos omnes acceperimus, quidquid scilicet habemus gratiæ & veritatis, ad bene vivendum & prædicandum id, quod vidimus. Sunt enim verba non Baptistæ, sed Evangelistæ, ut sentit Chrysost. & Cyrill. libr. 1. cap. 20. Sed quid

est illud, quod accepimus? nempe gratiam fidei, remissionis, justitiæ, qua hic ex fide vivimus; *Et gratiam pro gratia*, id est, & insuper gratiam vitæ æternæ pro ista gratia justitiæ, hoc est, mercedem pro meritis, quæ contulit gratia. Ita utramque partem exponit August. Tract. 3. & lib. de corrept. & gratia cap. 13. & aliis diversis locis: nam & Apostolus gratiam Dei vocat vitam æternam. Idem tamen August. in Psalm. 81. Cyrill. & Chrysost. & fere Græci exponunt, *gratiam*, proprie dictam & beneficentissimam novi Testamenti, *pro gratia*, id est, loco gratiæ veteris Testamenti. Nam & illa gratia, id est, beneficium peculiare, & gratuitum Dei fuit juxta Psalm. *Non fecit taliter omni nationi & judicia sua non manifestavit eis.* Cui sensui percommode subjungit, quasi rationem reddens sententiæ præcedentis:

17. *Quia Lex*, quæ docet ac præcipit bene vivere, *per Moysen data est*, tamquam donum gratuitum & magnum, erudiendo, coercendo, seu in officio continendo, & ad Christi fidem & gratiam præparando populo Judaico: *sed gratia* illa proprie dicta, qua Lex impleri potest, & *veritas*, quæ per cæremonias & sacrificia, terrenaque promissa, velut per umbras & typos figurata prophetabatur, *per Jesum Christum facta est*, id est, revelata, præstita & præsens exhibita, veterum

rum umbrarum usu & observatione sublata. Ita Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 6. Nam, ut ait etiam lib. 17. cap. 6. gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem; de quo & vide libr. 19. cap. 18. Et quasi aliquis diceret, Ergone Moyses, qui Deum vidit, non revelavit & præstitit veritatem? Respondet:

18. *Deum nemo*, mortali carne circumdatus, *vidit unquam*, sicuti est, sive secundum substantiam, & lucem illam divinitatis incircumscriptam. Quicumque enim Deum vidisse dicuntur, Jacob, Moyses, Elias, Isaias, imagines quasdam viderunt, non ipsam essentiam Dei, ut late Iren. libr. 4. cap. 37. & Aug. Epist. 112. ... *Unigenitus*: quia solus & unicus ex Patre genitus est, utpote tam perfecte & plene de Patre expressus, ut alteri verbo non possit esse locus, ut notat Athan. pro decretis Conc. Nicæni. *Filius*, tamquam ex utero consubstantialis genitus, Nam sine consubstantialitate genitum verbum utcumque dici posset, sicut a nobis gignitur, non tamen Filius. *Qui est in sinu Patris*, id est, in intimo charitatis paternæ & naturæ secreto, inquit Ambr. lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 11. Designatur itaque Filius esse in Patre, & ejusdem naturæ cum Patre, ut notat etiam Cyrill. in hunc locum, & consequenter omnia

Filio, tamquam in intimo Patris secreto commoranti, esse certa atque perspicua, ut Chrysof. *Ipse narravit*, id est, ipse tamquam solus ad hoc idoneus palam reiectis omnibus umbris ac figuris, explicuit, & velut spectanda exhibuit: quasi tacite diceret, propterea nemo præcedentium hoc potuit, quia non viderant fontem secretorum divinorum.

19. *Et hoc est testimonium Joannis.* Multi exponunt, *Et*, pro, *etiam*, seu, *insuper*, quasi aliud a præcedente Joannis testimonium proferret: sed v. 27. satis indicat, esse idem, sed latius cum omnibus aliis circumstantiis expressum. Itaque redit ad explicandum hoc testimonium Joannis, quod interruperat. Perhibitum autem ab eo tunc fuit, *quando miserunt Judæi ab Jerosolymis*, Concilium scilicet supremum, quod Sanhedrin vocabatur, & Jerosolymis residebat: nam illius erat de novis doctrinis, sectis & Prophetiis judicare, ne fraus subreperet, ut alibi diximus. Fuit ergo hæc sollemnis legatio, & proinde necessario a Magnatibus missa, quia missi fuerunt dignitate & statu, *Sacerdotes & Levitæ*, qui post summum Pontificem erant præcipuæ personæ in Repub. Judaica. Secta vero erant Pharisei, ut patet vers. 24. ... *Ut interrogarent eum: Tu quis es?* videlicet persona, qualitate, officio? sic enim quantum ad illa tria explicant se postea ipsi

ipsi Legati. Causa mittendæ legationis videtur tangi a Luca cap. 3. v. 15. quod dubitarent, an ipse esset Christus, nimirum ob varias causas supra datas, & inter cætera, quia ausus esset baptizare, inquit August. Itaque eos statim in ingressu interrogasse, an esset Christus, patet ex responso Joannis, quia

20. *Confessus est, palam, discretisque verbis, Et non negavit*, id est, non retractavit. Nam affirmando & negando idem exprimit, ut & v. 3. diximus: *Et confessus est*: quæ repetitio ad constantiam pertinet, quæ confessus est, *quia non sum ego Christus*, ut existimatis. Quo audito interrogaverunt de persona: an saltem

21. *Elias es tu?* qui Christi præcursor esse debet. Nam scribarum doctrina erat, ut est Matth. 17. v. 10. quod Eliam oporteret primum venire, antequam veniret Christus: confundebant enim primum adventum cum secundo. Nec absurda erat quæstio: videbant quippe eum habitatione deserti, vitæ austeritate, zonaque pellicea Eliæ similem. Cum negasset, quærunt de qualitate ejus: *Propheta es tu?* Græce (*ho prophetes*) ille *Propheta*, nempe promissus a Moyse, Deuter. 18. *Prophetam de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus*. Qui quidem erat ipse Christus; sed Judæi eum tunc ab eo distinguebant, sicut & nunc: qui sensus fere est Græcorum, Cyrill. lib.

1. cap. 14. Chrysoſt. & diſcipulorum ejus. Auguſt. tamen hic & Greg. Hom. 7. in Evang. generaliter intelligunt unum de antiquis Prophetis, qualem putant aliqui Matth. 16. eſſe etiam ipſum Chriſtum. *Et reſpondit: Non.* Nempe ſive illum jam dictum, ſive etiam generaliter alium. Non quaſi ſignificare vellet; ſe eſſe plus quam Prophetam, ſicut Dominus vocavit eum diu poſtea, Matth. 11. quia talis propria laus minus quadrabat in ejus humilitatem: ſed quia mens interrogantium erat, Prophetas illos intelligere, qui verbis & factis Chriſtum futurum prænuntiabant; qualis non erat Joannes, ſed qui digito demonſtraret præſentem.

22. *Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? Affirmativum ſcilicet, cui per negativum reſponſum Joannis, aſſerentis, quis non eſſet, non poterat ſatiſſieri.* Judicibus igitur publice ex officio interrogantibus palam reſpondens, ait; *Ego vox clamantis in deſerto, &c.* quæ vide Matth. 3. v. 3. explicata. Nam illud, *Dirigite viam, &c.* idem eſt, quod, *Rectam facite viam.*

24. *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis, ſecta, ſcilicet, & proinde præcipuè in Repub. auctoritatis, ut atteſtatur Joſephus.* Quamquam & alia poteſt eſſe ratio expreſſæ illius circumſtantix, ut ſcilicet pateret, cur interrogaverint id, quod ſequitur:

25. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta; Pharisei quippe cum ablutionibus tamquam sibi traditis abundarent, & eorum imitatione ceteri Judæi, sicut patet Marci 7. vers. 3. & 4. judicabant, audaciæ esse, ut hic loquitur August. baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum inducere. Nam, ut idem ait lib. 3. contra Donatistas c. 9. nulli Prophetarum, nulli prorsus hominum in Scripturis divinis legimus concessum esse, baptizare in aqua pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, quod Joanni concessum fuit: qua mirabili gratia suspendens corda populorum, viam præparabat Christo Domino remissionis datori. Itaque de baptismo illo videntur vulgo maximam habuisse opinionem: unde & Matth. 21. non ausi fuerunt Pharisei negare, baptismum Joannis esse de cœlo. Quo fortassis impulerant eos verba Prophetarum, Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam: & Zachariæ 13. v. 1. In die illa erit fons patens domui David, &c.* Quæ de baptismo divinitus instituendo intelliguntur. Proinde*

26. *Respondit Joannes: Ego baptizo in aqua, mera scilicet & nuda, sine interioris hominis regeneratione; quasi dic. Recte sentitis, baptismum nonnisi divinæ auctoritatis esse, imo ad Christi tempora pertinere; sed non arrogo mihi officium*

ejus,

eius, quia baptismus meus præter aquam nihil habet: inquit Chrysoſt. *Medius autem veſtrum ſtetit*, id eſt, in medio veſtrum, ſeu inter vos converſatus eſt, ut quando inter Doctores duodecennis ſedit, quando paulo ante baptizatus fuit, quem vos nescitis, cujus ſit dignitatis atque conditionis.

27. *Iſpe eſt, qui poſt me venturus eſt*: Græce (*hyperchomenon*) venit, publice prædicaturus, & miracula faſturus, id eſt, qui jamjam adeſt, cujus videlicet adventum, & prædicationem, & maxime baptismum præcurro, tamquam longe perfectiorem meo futurum. Nam eo reſpici, notant hic Græci, Chryſoſt. Cyril. & Theophyl. Unde & alteram partem reſponſionis Joannis expreſſe ſupplet Matth. cap. 3. verſ. 11. *Iſpe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*, baptiſmo ſcilicet longe diſſimili, cujus meus eſt tantum rudimentum & præambulum. *Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam &c.* quod infimum eſt famulorum in heros miniſterium, ut ſic magnitudinem ſanctitatis, ac dignitatis ejus exprimeret. Vide Matth. 3.

28. *Hæc in Bethania facla ſunt*, non illa, quæ eſt prope Jeruſalem, ubi Mariæ & Marthæ domicilium, ſed alia *trans Jordanem*, ſcilicet eadem, quæ Bethabara, id eſt, domus tranſitus, quia ibi vel flumen vulgo trajiciebatur, vel ab Iſraelitis olim trajectum erat. Unde anti-

qui scriptores quidam malunt legi *Bethabara*: sed tamen omnia exemplaria Græca, Latina, Syriaca, constanter legunt *Bethania*. ... *Ubi erat Joannes baptizans*, quia prope desertum erat, & confluxu populi propter trajectum abundabat.

29. *Altera die*, id est, postridie ejus diei, quo satisfecerat legationi Judæorum, *vidit Joannes Jesum venientem ad se*, e deserto post jejunium, ut Joanni occasionem demonstrandi se præberet: jam enim baptizatus fuerat, ut ex eo colligitur, quod paucis diebus post Jesus cum discipulis ivit ad nuptias in Cana Galilææ, c. 2. v. 1. ... *Et ait*, circumstantibus, de Jesu adhuc absente, *Ecce agnus Dei*, Græce (*ho agnos*) ille agnus, videlicet vere innocens, vere victima immaculata a Moyse figurata. Nam ille agnus Paschalis in figuram innocentiae Christi debebat esse sine macula; in typum sexus, aut animi virilis, masculus; in signum juvenilis ætatis, in qua crucifixus est, anniculus. Dicitur autem *Dei*, quia Deo per mortem offerendus pro salute hominum. Nam ad illum effectum & finem exprimendum addit, *ecce qui tollit*, id est, qui portat tamquam hostia humeris suis impositum a Deo, *peccatum mundi*, id est, totius mundi delicta. Alludit enim ad prophetiam, quæ dicit Isaïæ 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum: Iniquitates eorum ipse*

portavit. Ipse peccata multorum tulit. Unde & 1 Petri 2. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Quamquam & portando abstulerit. Bis autem repetit, Ecce, quasi dic. Ecce hic est, de quo vobis locutus sum; hic est, qui in Spiritu sancto baptizans, peccata remittit, quod ego non feci; & consequenter hic est Redemptor mundi. Nam statim applicat ei id, quod supra v. 15. dixerat.

31. Et ego nesciebam eum, nempe in deserto, antequam ad baptizandum missus essem. Quod ideo dicit, ne forte gratiæ, familiaritati, aut cognationi aliquid dare videretur, sed tantum divinæ revelationi, ut Chrysostr. & Theophyl. Sed, cum mihi & aliis esset incognitus, ut a me manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, ut videlicet populo, prædicationis, & baptismi mei novitate excitato, simul hac occasione adveniret ipse Christus, & sic Patris voce, Spiritus sancti descensu, mea demonstratione ostenderetur, & agnosceretur in Israel.

32. Et testimonium perhibuit Joannes. Verba sunt Evangelistæ iubito interposita testimonio Joannis, quo prosequens suum sermonem dicebat, Vidi spiritum descendentem, &c. quod contigit inter baptizandum Christum.

33. Et ego nesciebam eum, in deserto ante missionem meam, ut diximus. Nam quam-

quamvis in genere Christum venisse sciret, nesciebat tamen facie & determinate, quis esset. *Sed qui misit me baptizare in aqua, sine Spiritu sancto, ille mihi dixit, hoc tamquam signum ejus internoscendi statuens: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto, id est, qui non meram aquam, ut ego, sed simul Spiritum sanctum super baptizatos effusus est.* Difficultas tamen manet, quomodo Joannes dicatur eum nescivisse, quandoquidem ipse, Christo ad baptismum accedente, ante descensum Spiritus sancti diceret, *Ego a te debeo baptizari.* Respondet Chrysostom. ut supra insinuavimus, antequam veniret ad baptismum Christus, scivisse Joannem, quod Christus in mundum venisset, quod in Spiritu sancto baptizaturus esset, ut satis indicatur Matth. 3. vers. 11. & 12. Nescivisse tamen, quisnam esset, quia facie ignotus erat. In ipso vero accessu Christi ad baptismum, revelationem interiori accepisse, quis esset, & ideo a baptismo prohibuisse; eodemque tempore ad majorem revelationis certitudinem, signum externum ejus internoscendi ei esse datum, ut per hoc posset de ipso aliis testimonium perhibere. Augustinus rem aliter expedit, videlicet Joannem non nescivisse personam Christi, neque hoc signum ei propterea datum, sed ne-

scivisse qualitatem istam, quod ipse esset, qui baptizaret in Spiritu sancto, id est, quod in baptismo non minister, qui baptizat, exhibens ministerium, sed ipse Christus det Spiritum sanctum in ministerio etiam servorum suorum. Ita late toto Tractatu quinto & sexto in Joannem & aliis diversis locis. Unde illud ejusdem Augustini: Baptizet Petrus, baptizet Paulus, baptizet Judas, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

34. *Et ego vidi Spiritum*, scilicet descendentem & manentem, sicut mihi prædictum fuerat; non ad sanctificationem Christi, qui in utero matris Spiritu sancto plenus erat, sed in signum: ideoque hoc signo agnito, testimonium perhibui & adhuc perhibeo: *Quia hic est Filius Dei.* Nam & hoc disertis verbis Pater cœlestis, voce de cœlo lapsa cum Spiritu sancto descendente, denuntiaverat, Matth. 3.

35. *Altera die*, id est, postridie testimonii illius proxime perhibiti Christo. Est hoc tertium Joannis testimonium. Nam primum fuit coram Legatis Judæorum; secundum postridie, quod jam proxime explicatum est a vers. 29. huc usque: tertium jam præsens, quod proinde contigit secundo die post primum testimonium coram Legatis datum. *Respicens Jesum ambulans*, domum versus, ut patet ex sequentibus; (videtur enim Christus rursus Joannis concionibus cum

tur-

turba interfuisse:) dicit: *Ecce agnus Dei*, Deo scilicet pro redemptione mundi immolandus, ut sic iterum iterumque inculcaret, eum esse, non solum Filium Dei, sed & mundi redemptorem. Quo audito, discipuli duo Joannis secuti sunt Jesum, ut in pleniorē ejus notitiā & familiaritatem se insinuarent.

38. *Conversus Jesus*, ut quos intus gratia sua jam prævenerat, etiam foris humanitate præveneret, fiduciamque loquendi daret, dicit eis: *Quid queritis*, me sequendo? qui dixerunt ei, *Rabbi*: Honoris, ac dignitatis apud Hebræos nomen est, magis quam apud Latinos, aut Græcos, *Magister*: a multitudine scilicet ac magnitudine scientiæ, ac virtutis derivatum. Unde etiam Magnatibus tribui solet. Indicant ergo, se discendi causa venisse tamquam a Doctore fide dignissimo. *Ubi habitas?* id est, hospitarius, tamquam peregrinus? nec enim circa Jordanem Christus, Galilæus educatione, habebat domicilium.

39. *Dicit eis: Venite & videte*, ultro scilicet comiter invitans ad hospitium, & consequenter ad colloquium, quo instruerentur. Itaque apud eum manserunt die illo, id est, residuo illius diei, quæ declinaverat, vel etiam noctem sequentem, ut Augustin. Tract. 7. Nam hora erat quasi decima, ab ortu Solis, & consequen-

quenter duabus circiter horis ante Solis occasum.

40. *Erat autem Andreas unus ex duobus.* Alterum putat Epiphan. Hæresi 51. & indicat quoque Chrysost. fuisse unum ex filiis Zebedæi; nempe ipsum Evangelistam.

41. *Invenit hic primum, antequam scilicet ullum alium notum, fratrem suum Simonem, quem Epiphan. ætate minorem fuisse, quam Andream tradit.* Unde non potest Petrus alibi primus vocari, quod cæteros ætate præcederet, ut hæretici volunt. *Et dicit ei: Invenimus, quod verbum esse animæ desiderantis, & cælitus adventum expectantis rei diu quæsitæ, notat Chrysost. cum suis. Messiam (quod est interpretatum Christus, id est, unctus.)* Intelligit illum antonomastice Messiam, seu unctum, quem gens Judaica præstolabatur. Cum enim & Sacerdotes, & Reges, & Prophetæ in illa gente ungerentur, unus tamen expectabatur Messias, Christus, seu unctus, qui per illos omnes præfigurabatur, ut August. 12. contra Faustum, cap. 44.

42. *Et intuitus eum Jesus, eo scilicet modo, quo Deum decet, inquit Cyril. qui corda scrutatur & renes, & omnia perspecta habet, præsentia & futura; Tu es, id est, vocaris Simon Filius Jona, seu, ut dicitur Matth. 16. vers. 17. Bar-Jona, id est, filius Joannis.* Nam Jona quam-

vis per se, ut integra dictio, significet columbam, tamen contractum hic videtur ex, *Johanna*, seu *Johannan*, quod Syriace significat *Joannem*: quasi dic. Christus id, quod olim dixit Deus Moyse: *Jam ex nomine novi te, etiamsi numquam viderim... Tu vocaberis Ceph̄as.* Syriacum est, sed terminationem habet hic Græcam, significans *Petram*; de quo vide dicta Matth. 16. Vocaberis ergo *Ceph̄as*, nomine scilicet majoris auctoritatis, & consequenter alius eris: non enim nudum nomen, sed rem potissimum significatam pollicetur. Id quod hic promittitur, postea in Apostolorum vocatione imposuit, ut patet Marci 3. v. 16. Nominis vero rationem, & quam apte ei conveniat, explicuit Matth. 16. vocabulo ipso commode significans, inquit Cyrillus hic, quod in eo, tamquam in petra lapideque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam, quasi apud Matth. dixisset ei Christus, *Tu es Petrus*, id est, tu vere secundum nomen tuum petra es, &c. Quemadmodum 1. Reg. 25. vers. 25. dicit Abigail de Nabal, *Secundum nomen suum stultus est.*

43. *In crastinum*, postridie scilicet ejus diei, quo Petrus adductus fuerat, *voluit exire in Galilæam*, ut nuptiis interesset, sicut sequitur c. 2. Erat enim Christus adhuc in Judæa circa Jordanem, ubi ista contigerunt. *Et invenit Philippum*, sive in itinere,

sive in ipsa jam Galilæa, *Et dicit ei Jesus; Sequere me.* Quibus verbis eum ad individuum sequelam vocatum fuisse, videtur insinuare August. lib. 2. De consensu cap. 17. Et proinde Philippus ante Petrum & Andream & filios Zebedæi vocatus fuisset: nam isti non hic, sed aliquamdiu postea vocati sunt, ad hoc, ut Christo inseparabiliter inhærent, sicut patet Matth. 4.

44. *Erat autem Philippus a Bethsaida:* quam alibi in Galilæa ad lacum Tyberiadis fuisse diximus. Ante erat vicus, cui urbis speciem addidit Philippus Tetrarcha, Herodis filius, & nomen ei a Julia Cæsaris filia imposuit, ut Iosephus 18. Antiquit. cap. 3. ... *Civitate Andreae & Petri.* Quo insinuatur, eum ab illis suis concionibus instructum de Christo ante fuisse, ut Theophyl. vel certe eorum exemplo permotum tam cito secutum esse.

45. *Invenit Philippus, jam vocatus a Domino, Nathanael, & dicit ei: Invenimus Jesum, &c.* multo videlicet studio quæsitum, ut Cyrill. Porro Nathanael fuisse in Scripturis sacris, & consequenter de Messia eruditum, notat August. & plerique Interpretes. Unde eruditioni ejus se accommodans Philippus, ut scilicet attentio-rem & avidio-rem redderet, adjecit: *Quem scripsit Moyses, &c.* Proinde Nathanael tamquam Legis & Prophetarum peritus respondet;

46. *A Nazareth potest aliquid boni esse?*
 Et quidem tantum, quantum est Messias?
 Quod ideo dicit, eo quod a Galilæa. jux-
 ta Phariseorum opinionem, Propheta
 non surgeret, ut est cap. 7. vers. 52. &
 maxime, quia Scripturæ Messiam ex Beth-
 leem venturum prædicunt, ut Græci hic
 notant, & Hieronym. in cap. 65. Isaia.
*Dicit ei Philippus, cum nodum illum sol-
 vere non posset: Veni & vide, quid bo-
 ni a Nazareth prodierit.* Tacite autem
 insinuat, eum post initum cum eo ser-
 monem, & experientiam virtutis ejus
 sibi assensurum, ut Cyrill. utpote quod
 ineffabilis quædam gratia, inquit, in ver-
 bis Christi fuerit, quibus auditorum ani-
 mi allicerentur. Cum ergo vidisset Je-
 sus Nathanael, ait:

47. *Hic est vere Israelita.* Causa addi-
 tur, *in quo dolus non est*, hoc est, quia si-
 ne dolo & fuce candidus & sincerus. Non
 ideo ergo dicitur *vere Israelita*, quia ve-
 re ex stirpe Jacob, vel quia ratio no-
 minis Israel ei vere competit; sed quia
 verus imitator morum Israel seu Jacob,
 qui Genes. 25. v. 2. vocatur *vir simplex*,
 Græce (*aplastos*) sine fictione & fuce.
 Hoc ei dixit Dominus accedenti, ita ut
 audiret; quo scilicet ostenderet, se ejus
 interiora nosse. Itaque Nathanael neque
 laude captus, neque in adulationem ef-
 fusus, respondet magna cum simplicitate,
 quasi suboffensus:

48. *Unde me nosti?* Cum nihil mecum consuetudinis fuerit. Dominus vero, ut non temere se de occultis ejus locutum significaret, duo alia, quæ putabat Nathanael occultissima, ei manifestat, scilicet a Philippo vocatum, & sub arbore fici se eum vidisse: *Priusquam Philippus te vocaret, cum esses sub ficu*, ubi sine arbitris te putabas cum solo Deo esse, atque tractare, *vidi te*, tamquam præsens utrique negotio. Sed Augustin. ad allegoriam trahere solet, hoc sensu: Cum esses in umbra mortis, ut Adam, qui foliis ficulneis se succinxit, misericorditer te respexi. His ergo duobus motus Nathanael, quod scilicet videret absentia tamquam præsentia, occulta cordis tamquam publica, respondet:

49. *Rabbi, tu es Filius Dei*, ille verus & genuinus, ut satis indicat Augustinus. Quamvis Chrysost. putat, vocari *Filium Dei* vulgari modo, adoptivum scilicet: *tu es Rex Israel*, ille videlicet Prophetis promissus, ab Israel expectatus. Utraque enim vox & *Filius* & *Rex*, articulum præpositum habet, quo in usu linguæ Græcæ denotari solet, quod proprie & singulariter tale est; ut Cyrill. annotat. Nam eum fuisse confessum articulum fidei, Christus indicat, dum respondet:

50. *Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis, scilicet me Doctorem, me Filium Dei,*

Dei, me Regem Israel Messiam: *Majus his videbis*, id est, majora fidei argumenta ad causandam tuam fidem, quam revelationem istam occultorum.

51. *Et dicit ei*, Nathanaeli, ita tamen, ut simul omnibus presentibus; nam ideo mutat numerum: *Amen, amen*, seu certo certius, *Dico vobis, videbitis celum apertum & Angelos Dei ascendentes & descendentes super Filium hominis*, in ministerium ejus, ut inde intelligatis, esse eum Deum Angelorum, Regem cœlorum, ideoque Deum verum. Quando hoc impletum sit, laborant omnes Interpretes. Aliqui in baptismo, & statim a jejunio factum volunt; sed illa jam peracta erant: alii post, etsi non sit scriptum. Verisimile est id, quod docet Chrysost. in resurrectione, maximeque ascensione contigisse, quando Angeli apparuerunt in ministerium Christi. Quod olim significatum fuit in illa visione Jacob, Genes. 28. ad quam Christus alludit. Nam petra, cui indormivit & quam unxit Jacob, significabat Christam, ut August. lib. 12. contra Faustum, cap. 26. Ubi moribus hanc doctrinam accommodans, docet, Angelos esse prædicatores Christi, qui ascendunt, cum ad intelligendam eminentissimam divinitatem ejus, excedunt universam creaturam; descendunt, cum sibi & aliis infirmitatem ob oculos ponunt. Porro Nathanaelem istum aliqui Bartholomæ-

um Apostolum fuisse censent. Augustin. Tractat. 7. negat, dum negat, istum Apostolum electum fuisse, quia eruditus & peritus Legis erat. Volebat autem Christus idiotas eligere, & infirma mundi, ut confunderet fortia.

CAPUT II.

1. **E**t die tertia, quam ipsam quidam putant fuisse crastinum, quo volebat ire in Galilæam, ut est c. 1. v. 43. Sed sic Christus debuisset eadem die cum discipulis usque in Cana migrasse a Jordane, Philippum & Nathanaelem vocasse, & interfuisse nuptiis, cum iter facile bidui sit interjectum. Itaque tertia die a profectione in Galilæam, ut Orig. in Joan. *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*, inferiore, quæ minor dicebatur, ut Hieronym. in locis Hebraicis. Nam erat & alia Cana in Phœnicia prope Sidonem. Prima, de qua hic sermo est, erat patria Nathanaelis, ut est c. 21. v. 2. ... *Et erat mater Jesu ibi*, quia Cana erat valde vicina Nazareth. Unde verisimiliter colligunt, fuisse nuptias istas alicujus cognatorum.

2. *Vocatus est autem & Jesus*, ut vulgaris, ac notus: idque ut miraculo viam sterneret, ut confirmaret adversus hæ-
re-

reticos, quod ipse fecerit nuptias, inquit August. Denique ut intemperantiam nuptiarum adstringeret, inquit Epiphan. Hæresi 51. ... *Et discipuli ejus*, illi quatuor, quos sibi paulo ante adsciverat, & si qui forsan alii.

3. *Et deficiente vino*, Græce (*hystergantos*) cum defecisset; nempe penitus. Quod & verba præcisa Matris Domini indicant, *Vinum non habent*, desponsati scilicet & convivæ. Quæ nuda indicatio necessitatis, modesta petitio erat apud virum prudentem & humanum, compatiens hospitum suorum verecundiæ. Nam & verba Virginis ex tali compassione provenisse, notat Bernard. Sermone 1. in hoc Evangelium. Defectus etiam fortasse ex paupertate natus fuit, vel alio casu, qui misericordiam mereretur.

4. *Et dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier?* Nomen est non corruptionis, sed sexus, præsertim jam nuptiis apti, ut patet Genes. versu 22. & notat Hieronym. in c. 4. ad Galat. & August. tum hic, tum lib. de fide contra Manichæos cap. 22. ubi addit, etiam mulierem dici, quia peperit; Epiphan. Hæresi 79. ne plus quam mulier putaretur, quæ pepererat Filium Dei. *Quid ergo mihi & tibi est?* id est, quid mihi tecum in hoc negotio, non absolute, sed quantum ad horam faciendi, quam Pater, qui omnia tempore suo facit, in sua notitia & potestate col-

collocaverat. Quæ hora quia ad nullius instantiam præveniri debuit, hinc festinatio matris erat adhuc importuna, ut notat Ambros. Serm. 26. in Psalm. 118. & ante eum Iren. libr. 3. capite 18. Nam istam rationem dicti sui reddit ipse Dominus: *nondum venit hora mea*, a Patre scilicet præcognita, præfinita, ut idem Iren. quæ merito præferri debebat horæ, quæ placuerat matri. Itaque non repulit, sed distulit matrem, meritoque precibus ejus satisfecisse putari debet, quia dicendo, *nondum*, tempus quidem miraculi non adesse, sed tamen mox adfuturum insinuat, & se voluntatem habere, cujus exequendi horam expectat. An autem serior hora præstituta fuerit, quia necessitas ante magis innotescere debebat, ut miraculi constaret ratio & fructus, juxta Chrysost. an vero quia nondum omnia ad miraculum patrandum erant a ministris parata, non ita constat. Nam forsan mater prælagiens, quod futurum esset, & ut viam miraculo sterneret, 5. *Dicit ministris*, tamquam de Domini affectu & mente secura: *Quodcumque dixerit vobis, facite*; quia conjiciebat, eum opera ministrorum aliqua in re usurum. Porro ex istis verbis ad ministros, quasi ex aliqua auctoritate dictis, sicut & ex eo, quod versu 1. simpliciter dicitur mater Jesu fuisse ibi, nulla invitationis mentione, sicut de aliis; non improba-

biliter colligas, eam ibi non tam convivam egisse, quam adstitisse notis in præparatione ac directione convivii nuptialis.

6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, aquis scilicet plenæ, secundum purificationem Judæorum, id est, juxta ritum purificationis Judæis usitatæ: de qua vide Marc. 7. versu 3. & 4. Lavabant enim se sæpe Pharisei, non tam ad abstergendas immunditias legales, quæ etiam lotis durabant fere usque ad vesperam, quam ex traditionibus Pharisaicis inductas: capientes singulæ metretas binas vel ternas, aliæ scilicet binas, aliæ ternas, ut hic August. indicat. Est autem Metreta nomen Græcum (Metretēs a metrein) Metiendo, dictum, significans mensuram certam, quæ Hebraice dicitur Bathus in liquidis, Ephî in aridis. Quantum præcise juxta nostras mensuras continuerit, auctores variant. Probabiliter sentiunt, qui dicunt fuisse idem, quod amphoram Romanam, vas scilicet, quod tam in longitudine, quam latitudine continebat pedem Romanum, ita ut contineret sextarios Romanos quadraginta octo, Hebræos vero septuaginta duos. Quod conforme est S. Epiphanio lib. De mensuris & ponderibus: ita ut appenderit circiter libras octoginta. Alii multo majorem faciunt, librarum octo & centum.*

7. *Dicit eis Jesus*, id est, ministris : idque ideo juxta Chrysostom. ut ipsos miraculi testes haberet, qui aquam haurissent, ne qua fraus vel præstigium putaretur, si ipse hydrias implevisset. Simul atque igitur eas impleverant, ut miraculum esset evidentius, absque mora, sine verbis, sine signis eas convertit, dicens ministris :

8. *Haurite nunc*, jam statim, ne quis putet, mora temporis, naturæ vi, vel artificio hominum conversas. Ex quo verbo *Hauriendi* colligunt quidam, hydrias superne apertas fuisse. *Et ferte*, gustandum scilicet, *Architriclino*, id est, convivii præfecto. *Triclinium* enim erat coenaculum convivii a tribus lectulis seu thoris convivialibus dictum. Unde subinde Græci (*Simpofarchon*) vocant, itemque alio vocabulo (*Oikonomon*.) Illius erat, loca convivis dare, convivium obire, ac dispicere, quid esset opus, nec cum cæteris discumbere. Illi ergo tamquam sobrio & gustus integri, ac testi idoneo miraculi, vinum ferri jubet.

9. *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam*, id est, aquam, quæ jam mutata erat in vinum, seu ut gustavit vinum, quod ex aqua factum erat. Non quasi illam mutationem gustando deprehenderit; sed sensus est materialis: nam, ut sequitur, non sciebat, unde esset, seu unde provenisset hoc vinum; ministri au-
tem

tem sciebant, qui hauserant aquam, id est, quia hauserant aquam puram; habet enim vim causæ. Itaque vocato sponso, tamquam domino domus, dicit Architrictinus:

10. *Omnis homo primum bonum vinum ponit, initio videlicet mensæ, cum palati integritas sanissime de vini bonitate judicat; Et cum inebriati fuerint, id est, exhilarati (neque enim semper in malam partem hoc verbum sumitur, maxime Hebraice,) tunc il, quod deterius est, quia palato jam infecto, fraus illa vini deterioris substituti non animadvertitur. In quo elucet mundi indoles, qui inescandi gratia meliora præponit, ut mox viliora deceptis obtrudat. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc, contra commune scilicet hominum judicium: sunt enim verba humaniter reprehendentis. Hic relinquit intelligendum Evangelista, sponsum hoc negasse, ministros rogasse, rem totam inclaruisse.*

11. *Hoc fecit initium signorum Iesus, hoc primum ex manifestis miraculis: nam nativitas ex Virgine occulta fuerat, ideoque non fuerat signum. Notat hoc Evangelista, ne fides adhiberetur iis, quæ circumferuntur pueri Christi miracula. Neque enim fuisset opus Joannis testimonio, si jam ipse miraculis claruisset, ut observat Euthymius. Et manifestavit gloriam suam, divinitatis suæ, seu unigeni-*

niti a Patre, ut est v. 14. c. 1. Nam aquam in vinum sua potestate mutare illius solius est, qui omni anno hoc facit in vitibus, ut August. & Chrysostom. Quapropter eo viso, firmitus quam antea crediderunt in eum discipuli eius, supra nominati, qui ei, non relictis quidem omnibus (nisi forte Philippum excoperis) sed studio audiendi adhærebant: quales multi postea discipuli extra Apostolos fuerunt, de quo August. lib. 2. De consensu cap. 17. Allegorice Christus aquam insipidam Legis Mosaicæ in vinum Evangelicum mutavit. Vide Cyrill. lib. 2. in Joan. cap. 26. & de hydriis latissime August. Tractatu 9.

12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater, & fratres ejus, qui recensentur Matth. 13. versu 55. & Marci 6 v. 3. Causam aliqui fuisse putant, ut in civitate populosa docere inciperet, & inclaresceret: sed ad hoc non solet adducere matrem, multo minus fratres. Forsan rectius diceretur, eum ex causa familiari Capharnaum descendisse, sicut antea in Cana: ut quia sciebat, se suosque Nazarenis invisos futuros; quippe qui mox eum de monte præcipitare voluerunt, matri & cognatis suis ab eorum improperiis, ac furore tutam sedem provideret, quo subinde se reciperent. Quade causa ibi manserunt non multis diebus, quia videlicet

13. *Prope erat Pascha Judeorum*, nempe primum post baptismum Christi, qui contigerat ante jejunium mense Januario: ideoque *ascendit Jesus Jerosolymam*, partim ut legi satisfaceret de celebrando Paschate quotannis, partim ut auspicaretur legationem suam prædicando, eamque miraculis asserendo. De expulsionem vendentium ex templo, vide dicta Matth. 21. v. 12. & seqq.

12. *Responderunt ergo Judæi: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* id est, quo miraculo ostendis, hanc auctoritatem tibi competere, ut exturbes cum ignominia ex templo eos, quos Sacerdotes admiserunt? Similis quæstio est Matth. 21. v. 23. *In qua potestate hæc facis?* Tendit autem eo, ut eum publicæ potestatis usurpatorem, adeoque seditiosum esse ostendant, nisi divinitus acceptam probet. Et quia de auctoritate circa templum agebatur, promittit ipsis signum circa templum, modo ipsi materiam darent.

19. *Respondens ergo Jesus: Solvite templum hoc, &c.* Prædicentis est, non jubentis, ut Cyrill. lib. 2. cap. 32. quasi dic. Scio, vos occidendo me, corpus ab anima separaturos, in quibus velut in templo habitat plenitudo divinitatis corporaliter: sed ego in tribus diebus excitabo illud, propria scilicet virtute, ut Cyrill. notat, resurgens a mortuis intra triduum.

Appositissimum fuit responsum Christi: nam sive intelligerent ipsi de templo materiali, ille, qui tantæ potestatis est, ut hoc dissolutum intra triduum erigat, profecto multo magis potuit etiam templum ab injuriis vindicare: sive de templo corporis ejus, hæc ipsa resurrectio esse debebat eis, sicut etiam postea revera fuit, signum peremptorium veri Christi, divinæque potestatis ejus, qua hoc fecit. Cui signo multa millia Judæorum crediderunt. Et ista causa est, cur istud signum eis læpe Christus dederit, ut infra Joan. 8. versu 28. & Matth. 12. versu 39. vocatur signum Jonæ Prophetæ.

20. *Dixerunt ergo Judei, neutrum intelligentes: Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc.* Non posse hoc intelligi de templo Salomonis videtur, eo quod illud non nisi septem circiter annis ædificatum fuerit, 3. Reg. 6. versu 38. Itaque plerique veteres hoc intelligunt de templo secundo, quod ædificatum fuit sub Cyro, usque ad annum sextum Darii Regis, ut est 1. Esdræ 6. vers. 15. Ita Euseb. libr. 8. De demonstr. Evang. Chrysost. Theoph. in Joan. & Hieronym. in cap. 9. Danielis. Sed hi omnes coguntur includere multos annos quibus ab opere cessatum fuit: ut proinde falsum sit, tot annos impensos fuisse templi ædificationi. Unde, ut verba Judæorum ve-

ra sint, quos credibile est vulgo notam protulisse veritatem, intelligenda sunt de templo tertio, quod Herodes struere cœpit anno regni sui decimo octavo, scilicet capta Jerosolyma, qui erat annus Julianus vigesimus septimus. Absolvit autem magnam exterioris templi partem annis octo: sed reliqua structura duravit usque ad tempora Neronis, laborantibus in eo octodecim millibus operariorum, sicut testatur Josephus libro 15. Antiquit. cap. 14. & lib. 20. c. 8. Si igitur computentur anni structi templi illius a 27. Juliano usque ad 15. Tiberii, quo Christus baptizatus est, & hæc a Judæis audivit; incidemus in 72. Julianum, qui præcise constituunt quadraginta sex annos. Quod autem quidam huic rei opponunt, Herodem non struxisse templum novum, sed tantum ampliasse & sublimasse, falsum est. Expresse enim dicit Josephus, erutis veteribus fundamentis, nova posuisse.

21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui, id est, de templo, quod erat corpus suum, quod vocatur & ab Apostolo templum Spiritus sancti. Quomodo vero mystice numeri illi quadraginta sex annorum convenient structuræ Corporis Christi in utero matris, vide August. lib. de Trinit. cap. 3. & lib. 83. Quæst. Evang. q. 56.*

22. *Cum ergo resurrexisset, &c. recordati sunt discipuli, quia hoc dicebat, id est, quod hoc dixisset Christus, & quid sibi verba illa vellent, quæ nec ipsi antea videntur intellexisse, Et, eventu cum illa prædictione collato, crediderunt Scripturæ, tamquam quæ resurrectionem ipsius Christi prædixisset; Et sermoni, quem dixit Jesus, id est, crediderunt, eum per ista verba prædixisse mortem & resurrectionem suam, & vera esse, quæ dixerat.*

23. *Cum autem esset Jerosolymis in Pascha, id est, in diebus Patchalibus, qui septem erant numero, atque etiam omnes vocabantur Pascha. Ut autem ipsum diem magis specificaret, adjicit, in die festo, id est, in ipsa solemnitate azymorum, seu prima die, quæ sequebatur vespere agni immolati, eratque decima quinta mensis primi, ac peculiariter vocabatur festum Paschæ, ut patet Levit. 23. v. 5. & infra cap. 13. v. 1.... Multi crediderunt in nomine eius, id est, in eum Hebraica phrasi. Exodi 14. versu ult. id, quod Latinus transtulit crediderunt Domino & Moysi servo eius, Hebraice est, crediderunt in Dominum & in Moysen.*

24. *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, id est, non eis se suaque committebat, seu non confidebat illis iisdem, qui crediderant, tamquam legitimis discipulis, committendo scilicet eis vel animi sui secreta, vel doctrinæ suæ my-*
ste-

stria, vel personam suam. Ludit enim eleganter in verbo *Credendi*, usurpando illud in duplici sensu, sicut fit in nomine *Mortuos*, Matth. 8. v. 22. ... *Eo quod ipse nosset omnes*. Non quod illi fide credidissent, ut aliqui volunt; Scriptura enim testatur contrarium; sed quod sciret, quinam constantes, quinam inconstantes essent, quibus proinde fidendum, a quibus cavendum. Idque non alieno testimonio sciebat, *ipse enim sciebat, quid esset in homine*, hoc est, ipsum animum hominis penetrabat, sciens, quid ibi lateret, vel inconstantiae, vel fallaciae, vel perfidia. Plus enim noverat artifex, inquit August. Tract. 11. quid esset in opere suo, quam ipsum opus, quid esset in semetipso. Unde Cyrill. lib. 2. cap. 32. vult, hic significatam esse ab Evangelista Christi divinitatem. tamquam cordium arcana pervadentis.

CAPUT III.

I. **I**nter illos autem credentes, erat homo (quod Hebræi pro quidam ponere solent, ut in Levit. frequens est) ex phariseis, ad credendum difficillimis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum, id est, unus ex principibus, sive nobilitate, sive opibus, sive magisterio, ut versu 10.

Nemo enim unus extra Pontificem erat Princeps omnium Judæorum tunc temporis. Notantur hæc ab Evangelista, tamquam causæ ejus, quod sequitur.

2. *Hic venit ad Jesum nocte*, ut ita scilicet Magister in Israel pudori suo, & Princeps gravitati personæ suæ, & Phariseus metui Judæorum consuleret. ne in odium cæterorum incurreret. *Scimus, quia a Deo venisti magister*, id est, in eum finem, ut sis Magister Israelis. Causa hujus persuasionis est, quia *nemo potest hæc signa facere, &c. nisi fuerit Deus cum eo*, id est, nisi virtute Dei opitulantis, utpote quæ excedunt omnes creatæ naturæ vires. Cum ergo illis tamquam sigillis Dei obsignes doctrinam tuam, necesse est, te a Deo venisse magistrum. Qua præfatione significat, se sincere ad discendum venisse. Non indicat autem Evangelista, quid, sed ex responso Christi colligitur, eum rogasse aliquid, vel de Rege Messia, vel de regno Dei, quod Christus prædicabat: nam

3. *Respondit Jesus: Nisi quis*, qua phrasi neminem excipit, non adultum, non infantem, non aliqua præventum necessitate, ut Ambr. lib. 2. de Abraham c. 11. *renatus fuerit denuo*, id est, iterum. Nam quamvis Græcum (*anóthen*) Cyrill. & alii multi Græci, exponant *desuper* seu *superne*: Chrysost. tamen, quando dicit, etiam sumi posse pro (*exarchez*) id est, pro

pro iterum, attestatur nostræ translationi, & Syriacæ, & responso Nicodemi. *Non potest videre*, id est, possidere, *regnum Dei*. Quomodo dicimus *Hæreditate cernere*, pro adire: quasi dic. Ad regnum Dei adeundum, de quo quæris, non est satis prima nativitas, sed opus est secunda. Quod cum Nicodemus carnaliter intelligeret, & judicaret impossibile, utpote non agnoscens, ut Aug. ait, nisi unam nativitatem ex Adam & Eva, Christus non dedignatur apertius explicare.

4. 5. *Nisi quis renatus*, Græce (*gennethē*) generatus seu genitus, fuerit ex aqua, tamquam principio materiali subeunte vicem matris, & Spiritu sancto vice patris, seu principii activi, respectu istius generationis. Nam ista verba continent explicationem istius, *denuo*, sicut illa, *non potest introire in regnum Dei*, explicant, quid sit *videre regnum Dei*. Est ergo hæc periphrasis baptisimi, quem ea de causa Apostolus vocat *lavacrum regenerationis* & *renovationis Spiritus sancti*; *lavacrum*, propter aquam; *regenerationis*, propter Spiritum sanctum. Nam aquam & Spiritum sanctum hic esse distincta, & unum non esse explicationem alterius, quasi dictum esset: ex aqua, hoc est, Spiritu sancto, sicut vult Calvinus, probat unanimis Patrum consensus. qui semper intellexerunt, his verbis significatum, aquæ baptis-

mum esse necessarium ad salutem: idque
 etiam si Spiritus sancti sanctificatio præ-
 cessisset. Nam hac de causa cum fami-
 lia Cornelii Centurionis jam accepisset
 Spiritum sanctum, Petrus tamen divini
 præcepti memor, inquit Cyprian. Epist.
 72. præcepit eam aqua baptizari. Unde
 ipse Petrus dixit Act. 10. vers. 47.
*Numquid aquam quis prohibere potest, ut non
 baptizentur hi, qui Spiritum sanctum accepe-
 runt, sicut & nos?* Instituitur ergo hic bap-
 tismus: nam statim v. 26. dicitur Jesus
 baptizasse, & explicatur vis ejus in eo
 sita, quod hominem de novo generet,
 ut regni cœlestis capax fiat. Unde in-
 directe significatur, hominem, ex pri-
 ma generatione ita corruptum esse, ut
 a regno Dei nascatur alienus, & proin-
 de sub peccato & in ira Dei. Nisi ergo ita
 renatus fuerit, *non potest introire in regnum
 Dei*, & consequenter salvus esse, quia
 nulla salus extra regnum Dei, sicut Au-
 gustin. diversis locis exponere solet con-
 tra Pelagianos, volentes, hominem sine
 baptismo intrare quidem non posse in
 regnum Dei, salvari tamen posse. Hæc
 ergo necessitas baptismi, tamquam me-
 dii necessari ad salutem in regno Dei
 assequendam, iuste imposita fuit, quia,
 ut Augustin. lib. De corrept. & gratia
 cap. 10. jam omnes damnatione tenen-
 tur obstricti. Unde etiam si nullus libe-
 raretur, iustum Dei iudicium nemo ju-
 ste

ste reprehenderet. Itaque arbitrii divini fuit, quam vellet salutis recuperandæ viam instituere: idque eo justius, quod si quibus deesset per ignorantiam invincibilem, nemo inde ad lapsum, vel perditionem impelleretur, sed tantum non a lapsu erigeretur. Quia vero Nicodemus adhuc totus hærebat in nativitate carnali, explicat Christus, se loqui de nativitate spirituali. Nam

6. *Quod natum est ex carne*, ex parte & matre secundum carnem generantibus, *caro est*, id est, corporeum, carneum, habens esse tantum humanum, simile scilicet principio generationis suæ; *sed quod natum est ex Spiritu*, nempe sancto, *spiritus est*, id est, accipit esse spirituale, fit Spiritus particeps, Spiritui regeneranti simile.

7. *Non mireris igitur*. Est illatio ex superioribus: quasi dic. Noli igitur mirari verba mea: non enim disputamus de de nativitate carnis, quæ iterari nequit; sed de nativitate Spiritus, qua homo ex carne natus carneus, fiat ex Spiritu spiritus seu spiritualis. & ex Deo Filius Dei, ut cap. 1. vers. 12. & 13. Addit & alteram causam, cur minus miretur, dum non intelligeret nativitatem Spiritus: quia

8. *Spiritus, ubi vult, spirat*. Quod Cyril. lib. 2. cap. 44. Chrysoft. & Theophyl. intelligunt de vento: Ambros. vero libr.

2. de fide cap. 3. & August. hic, rectius de Spiritu sancto, quem Gregor. Bernard. alique multi Latini secuti sunt, multi etiam Græci præcessere. Ventus enim nec vult, nec ignoratur, unde veniat, aut quo vadat. Itaque *Spiritus*, nempe sanctus, de quo præcesserat, *ubi vult, spirat*, id est, afflat, quos voluerit, dividens singulis, prout vult, ut Apostolus loquitur, variisque donis imbuens. Alludere enim videtur ad eos, qui in veteri Testamento variis modis a Spiritu acti sunt, sicut induit Gedeonem, Sampsonem, Saulem, Prophetas. *Et vocem ejus audis*, id est, ejus effecta percipis exteriora, dum loquitur futura per Prophetas, mysteria per sapientes, operatur mira per sanctos: *sed nescis, unde veniat, aut quo vadat*, id est, interiorum accessum, recessumque Spiritus, dum hominem vel corrigit, vel deserit, non intelligunt homines. *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*, id est, sic agitur cum eo, qui renascitur ex Spiritu sancto & aqua. Quia occultissimo modo illabitur cordi ejus, & inhabitans transformat eum in justum, sanctum. Filium Dei & spiritualem, & similiter occultissimo modo deserit. Quod cum Nicodemus, tamquam Phariseus corporalibus intentus, nihilo magis intelligeret, respondit ei Dominus.

10. *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Notans videlicet ejus imperitiam, qui se cæteris de magisterio præferebat, inquit August. 1. de peccatorum meritis cap. 31. Idque ut ita deprimeret fastum ejus, qui intelligentiam rerum divinarum impedit, ut idem hic notat. Nam Scripturæ sacræ, quas Nicodemus alios docebat, inculcant sæpius regenerationem Spiritus, ut patet Ezech. 36. vers. 25. & 26. & Psalm. 50. vers. 9. atque aliis locis.

11. *Amen dico tibi, quia, quod scimus, de nativitate Spiritus, non opinionibus aut conjecturis, sed certissima scientia, hoc loquimur, & quod vidimus, testamur.* More enim hominum loquitur, inquit Chrysost. apud quos oculatus testis persuaderet maxime, quamvis ejus scientia visum superet. *Et testimonium nostrum non accipitis, id est, mihi testanti non creditis.* Notat enim in Judæis generaliter incredulitatem: quasi dic. Vis scire, quomodo possint hæc fieri? crede & intelliges. Nam homines incapaces, non intelligendi subtilitas, sed credendi simplicitas tutillimos facit, inquit Augustinus.

12. *Si terrena dixi vobis, de creata regeneratione filiorum Dei per terrenum elementum, tamquam hominum mortalium captui accommodata; Et non creditis: quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?* de generatione scilicet increata
Fili

Filii Dei, de processione Spiritus sancti, cæterisque altissimis mysteriis, prout exponit Chrysoſt. & Cyril. Itaque eum tacite ad credendum dictis allicit, ſpe diſcendi longe ſublimiora.

13. *Et nemo aſcendit in cælum, &c.* Quæ verba ſic accipit Auguſt. loco de peccat. meritis citato, quem & ſequitur Greg. lib. 27. Moral. cap. 8. alias 11. & Beda, ut explicet Chriſtus, quomodo poſſint hæc fieri, id eſt, quomodo fiat ſpirituælis hominis regeneratio, nempe eo modo, ut homo ex terreno fiat cœleſtis. Hoc autem nemo adipiſci poſteſt, niſi Filio hominis, tamquam membrum ſuo, capiti incorporetur: ut. quandoquidem caput, & corpus Eccleſiæ unus eſt Chriſtus, idem ipſe aſcendat, qui deſcendit de cælo. Non minus tamen commodus poteſt eſſe ſenſus, ut ratio detur ſententiæ præcedentis, cur ſcilicet ſibi, quem a Deo magiſtrum veniſſe dixerat Nicodemus, etiam cœleſtia dicenti præ omnibus magiſtris & Prophe-tis credere deberet quia videlicet ſolus ipſe eſſet homo ſimul & Deus; ut ita fideliffime teſtari poſſet in terra, quæ in cœlis viderat. Quomodo & cap. 1. verſ. 18. dixit Evangeliſta: *Deum nemo vidit umquam: unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Ita Chryſoſt. cum ſuis; nec non Cyril. Porro idem Chriſtus aſcendiſſe, & deſcendiſſe & eſſe in cælo dicitur, propter unio-
nem

nem duarum naturarum in unam personam; ex qua fit, ut utriusque naturæ proprietates, seu idiomata eidem personæ tribui possint. Itaque *nemo ascendit in cælum*; id est, nullus hominum in cælo fuit: quod ascendendo fieri solet, ut ibi cœlestia contemplaretur, nisi ille, qui *descendit de cælo*, assumendo in unitatem personæ naturam humanam, ratione cuius ita in terris videbatur esse, ac si revera descendisset, nempe *Filius hominis*, qui sic existens simul homo ac Deus descendendo non deseruit cœlum, sed *est in cælo*, non minus quam in terra. Nam istam unitatem personæ in duabus naturis hic significatam esse, omnes citati, etiam August. fatentur. Cum ergo hæc ratio credendi sibi, petita esset ex divinitate, nunc alteram subjicit ex humanitate.

14. *Et sicut Moyses exaltavit*, id est, signum seu vexillum quoddam ab omnibus conspiciendum in hasta elevavit, *serpentem, æneum, in deserto*, ut scilicet omnis, qui a serpentibus ignitis morsus eu non aspiceret, sanaretur; quod viro Legisperito intelligendum relinquit: ita *exaltari*, id est, sublimem in cruce elevari, oportet *Filiam hominis*, extra muros civitatis, velut in deserto, ut simili ratione

15. *Omnis, qui credit in ipsum*, id est, qui in eum crucifixum oculis mentis, seu fidei intuitus fuerit, credendo scilicet

cet, eum isto modo suum, & mundi esse Salvatorem, *non pereat*, peccato, quo tamquam morsu & veneno serpentis sauciatus est, *sed habeat vitam æternam*. Itaque Dominus se serpenti æneo, tamquam veneno carenti, comparat, quia in carnem suam non peccatum transtulit, tamquam venenum serpentis; sed tamen transtulit mortem, per quam fuit similis peccatoribus: ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, per quam in carne peccati, id est, in peccatoribus, & culpa solveretur & pœna, inquit August. 1. de peccat. meritis cap. 32. Sed quænam causa tam ignominiosæ exaltationis in cruce? non fatum, non culpa crucifixi, non infirmitas Dei, sed amoris immensitas: quod verbis valde emphaticis subjungit:

16. *Sic enim Deus dilexit mundum*, id est, tantopere Deus Pater dilexit genus humanum, ut non Prophetam, non Angelum, sed *Filium suum*, sibi proinde consubstantialem, eumque non unum e multis, sed *unigenitum*, proinde pretiosissimum, & charissimum non venderet, aut pro re pretiosa commutaret, sed gratis solo amore impulsus, *daret*, ad incarnandum, ad crucifigendum. Non ut sibi vel Filio inde fructus accresceret, sed ut omnis, cujuscumque sexus, nationis, conditionis, quantiscumque peccatis vulneratus, qui rem facillimam dumtaxat se-

fecerit: hoc est, qui credit in eum, fide sincera & vera, quæ faciat id, quod faciendum credit, non pereat, &c. Nam per fidem, velut radicem omnis boni, accipit potestatem Filium Dei fieri, ut supra dixit: quo ipso est heres vitæ æternæ. Cujus rei causam ulteriorem reddit:

17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum*, id est, hominem fieri, quo fieret pars hujus mundi, eo fine, ut *judicet mundum*, id est, ut, quemadmodum merebatur mundus, justam sententiam damnationis in eum ferat, sed ut e statu damnationis, *salvetur mundus per ipsum*, merito scilicet passionis. & mortis ejus, per illam jam dictam fidem: cujus fidei momentum & vim inculcans, addit:

18. *Qui credit in eum*, legitima scilicet fide, quæ per dilectionem operatur, *non judicatur*, illo jam dicto judicio damnationis, sed potius a damnatione, in qua natus est, liberatur. *Qui autem non credit*, quid dicturum speras, inquit August, nisi, ille judicatur? Amplius dicit, *jam judicatus est*: quasi dicat inquit: Nondum apparuit judicium, & nempe jam factum est, quia damnationi obnoxius natus est, sententia damnationis jam olim in Adamum, & omnes peccatores lata: a qua per solam fidem in Christum, tamquam unicum salutis adipiscendæ auctorem liberari potest. Hoc ipso ergo, quo
non

non credit, judicatus & damnatus manet, sicut erat, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei, id est, quia rejicit unicum, quod supererat salutis remedium, fidem in Salvatore.

19. Hoc est autem iudicium, id est, hæc est origo iudicii & condemnationis ejus, Quia lux, unigenitus ille Filius Dei, venit in mundum. eo fine scilicet, ut omnis, qui crederet, illuminaretur: & tamen dilexerunt homines magis tenebras, ignorantie suæ, errorum, in quibus nati & educati fuerunt, quam lucem, æternæ veritatis, qua illuminari possent, id est, quam me, qui, ut infra c. 12. vers. 46. dicit, lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Nihil ergo mirum, si damnantur, quia manent in tenebris, statuque damnationis, in qua jam erant: & insuper non credendo luci, peccatum inexcusabile committunt. Sed unde illa averfatio lucis? Erant enim eorum mala opera. Nam

20. Omnis, qui male agit, odit lucem, veritatis, & consequenter me, qui sum veritas, & non venit ad lucem: non quod eam propter seipsam oderit; nam omnibus per se amabile est scire veritatem: sed propter quandam proprietatem veritatis, videlicet, ut non arguantur opera ejus. Ut enim optime August. libr. 10. Confess. cap. 23. Oderunt homines veritatem propter eam rem, quam pro
ve-

veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt redarguentem: amant eam, cum seipsam indicat, & oderunt eam, cum eos ipsos indicat. Inde retribuet eis, ut, qui se ab ea manifestari nolunt, & eos, nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta.

21. *Qui autem facit veritatem*, id est, qui operatur id, quod verum, rectum, & iustum est, sive secundum Legem Dei: nam, ut dicit Psal. 118. v. 142. *Lex tua veritas*, & iterum v. 86. *Omnia mandata tua veritas: Venit ad lucem*, id est, delectatur manifestatione veritatis, ut per eam, & secundum eam manifestentur opera eius, id est, ut pateant opera sua omnibus, tam sibi quam aliis, quia in Deo, id est, secundum voluntatem & legem Dei, sunt facta. Nam talibus veritas detecta non est formidini, sed consolationi: quia Deo illuminante abscondita tenebrarum laus erit unicuique a Deo, ipso iudice, qui veritas est, dicente bene operantibus: *Euge serve bone*, &c. Quamvis ergo recentiores plerique hæc intelligant de operibus futuris, ut per lucem ad quam venit, intelligat, qualia esse debeant, quæ facere decernit: textus tamen a v. 19. huc usque evidenter postulat, ut de operibus jam factis intelligatur.

22. *Post hæc venit Jesus in terram Judæam*, id est, ex Jerololymis, ubi tem-

pore Paschatis hoc colloquium cum Nicodemo peractum fuit, transit in campestrum Judæam, seu agrum Judaicum, & illic baptizabat, id est, baptizare coepit; nam ante non legitur baptizasse. Baptizavit autem in primis discipulos suos, maximeque Petrum, prout agnoscit August. Epist. 108.

23. *Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim*: quod Hieron. Epist. 126. scribit esse non Jerusalem, sicut aliqui videntur putasse, seu oppidum juxta Scythopolim, quod Salem dicitur Genes. 33. v. 18. Et in libro de locis Hebraicis dicit esse juxta Jordanem. Nec refert, inquit, utrum Salim an Salem nomineter, cum vocalibus in medio litteris perraro utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diversis fonis, atque accentibus proferantur. Quæ quidem ab eruditissimis illis gentis se didicisse profitetur. *Quia aquæ multæ erant illic*, utpote juxta Jordanem. Ex quo etiam colligitur, Joannem totius corporis immersione baptizasse. Sicut & Chrysostom. colligit eum usque ad incarcerationem baptizasse, ex verbis sequentibus.

26. *Nondum enim erat missus Joannes in carcerem*: nam ille erat terminus functionis ejus a Deo præstitutus.

25. *Facta est autem questio ex discipulis Joannis*, id est, contentio mota per disci-

scipulos Joannis, cum *Judæis de Purificatione*, id est, de præstantia baptismatum Joannis & Christi: discipulis scilicet Joannis efferentibus baptismum sui magistri, *Judæis* baptismum Christi. Itaque

26. *Venerunt ad Joannem.*; cum ista contraverſia, ut eam arbitrio suo dirimeret, vel potius ut querelam apud eum deponerent, dicentes: *Rabbi*. In quo verbo adulationem latere, notant hic aliqui, ut scilicet tamquam magister honorem suum tueretur. *Qui erat tecum trans Jordanem*, ubi quoque a te ipse baptizatus est, cui testimonium perhibuisti, scilicet illud, de quo cap. i. vers. 27. & 29. & maxime 32. quasi diceret, quem tu ipse, cum ignotus esset, celebrem reddidisti, ecce hic, (o rem scilicet indignam!) baptizat, id est, tuum usurpat officium, & omnes veniunt ad eum, ut baptizentur ab eo, & audiant eum, tamquam qui præcellat auctoritate & gloria: tamquam qui dicerent, ille tuæ auctoritati & celebritati non parum detrahit, cum minime deberet.

27. *Respondit Joannes: Non potest homo accipere quidquam, potestatis, administrationis, officii, nisi fuerit ei datum de cælo*, id est, nisi detur ei aliunde, scilicet a Deo. Indicare enim vult, se non posse arrogare sibi id, quod sibi de cælo non esset datum, ut se scilicet præponeret Christo. Nam

28. *Ipsi vos testimonium mihi perhibetis, nempe immediate ante versu 26. Quod dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum, ut tamquam præcursor & præco parem viam ejus. Nihil igitur mirum, si omnes, me relicto, veniant ad eum, & baptismus ejus præferatur meo. Ut ergo uberius declararet Christum magis quam se honorandum esse, addit similitudinem.*

29. *Qui habet sponsam, ille solus sponsus est, ad quem tamquam dominum sponsa pertinet, & solus ut sponsus honorandus: amicus autem sponsi, qui stat & audit, id est, cujus officium est stare paratum ad ministerium sponsi, & tacite auscultare colloquia sponsi cum sponsa, gaudio gaudet propter vocem sponsi, id est, magnopere lætatur, quod audiat sponsum cum sponsa colloquentem, tantum abest, ut hoc ægre ferat, vel seipsum loco sponsi honorari velit. Quo significat, Christum verum sponsum esse Ecclesiæ, se vero amicum sponsi: proinde se non ægre ferre debere, quod homines ad Christum accurrerent, tamquam sponsa ad sponsum, sed potius gaudere debere. Hoc ergo gaudium meum impletum est, cum scilicet ex vobis jam intelligo populum ad Christum turmatim fluere. Ille enim finis fuit legationis meæ, ut tamquam sponsi paranymphus sponsam ei conjungerem.*

30. *Illum oportet crescere, existimatione, concursu hominum eum colentium, miraculorum gloria, famæ, ac nominis celebritate; ut quemadmodum ipse Deus est, ita etiam a toto orbe habeatur. Nam hisce modis juxta prophetam Danielis 2. vers. 35. Christus tamquam lapis abscissus de monte sine manibus, id est, natus ex Virgine sine cooperatione humana, factus est mons magnus, & implevit universam terram. Me autem minui, id est, minoris fieri, quantum ad illa supradicta: sicut lux luciferi fulgentis in nocte minui videtur oriente Sole, ut explicat Cyrillus. Nam cum ante Christus esse putaretur, discipulis floreret, magno concursu hominum coleretur, omnia illa Christo præsentente cessarunt. Quia*

31. *Qui desursum venit, id est, de cælo, ut vers. seq. hoc est, ut explicat Cyrillus, qui ex superiori germinavit radice, seu ex sublimi & ineffabili Patris substantia, ille super omnes est, id est, omnibus hominibus major est: ut proinde justum sit ipsum crescere, & omnibus celebriorem fieri. Qui est de terra, id est, originem ex limo terræ ducit, de terra est, id est, terrenus est, terram refert, terram sapit, si naturæ conditionem spectes, ut August. Quod si spectes etiam gratiam, semper servat suæ origines mediocritatem, habetque gra-*

tiam homini creato & terrigenæ com-
 menfuratam: *Et de terra loquitur*, id est,
 doctrina ejus non est altior, quam quæ
 ex terrenis principiis, humanisque sen-
 sibus deduci queat: qualem enim habet
 originem & naturam, talem sermonem
 & doctrinam. *qui de cælo venit*, ex Deo
 scilicet Patre natus, ut jam diximus,
super omnes est, natura, intelligentia, do-
 ctrina, sermone.

32. *Et quod vidit*, & *audivit*, scilicet
 in cælo apud Patrem, apud quem vide-
 re & audire eadem sunt, certissimamque
 rei notitiam significant, *hoc testatur*, tam-
 quam testis oculatus rerum sibi comper-
 tissimarum, quantumvis humanam intel-
 ligentiam superent. Et tamen cum ille
 talis sit, & tam divina doctrina ejus,
testimonium ejus nemo accipit, id est, nemo
 ei credit. Quod August. intelligit de re-
 probatis; nam statim adjicit, aliquos cre-
 didisse. Alii exponunt, quod nemo ac-
 cipiat ejus testimonium suis viribus, quia
 Dei donum sit. Chrysost. Hom. 29. item-
 que Cyrillus, *Neminem* pro paucis expli-
 cant, ut Baptista exaggeret magnam ho-
 minum incredulitatem, maxime apud
 discipulos conquerentes, quod omnes ad
 Jesum confluerent.

33. *Qui vero accipit testimonium ejus*,
 credens ejus doctrinæ, *hic signavit*, Græ-
 ce (*esphragisen*) id est, tamquam sigillo
 impreso & appenso approbavit, *Quia*
 Deus

Deus verax est. Nam quemadmodum ille, qui Deo testanti credere detrectat, si non verbis, certe reipsa mendacem facit Deum, ut est 1. Joan. 5. vers. 10. ita vice versa qui Deo credit, reipsa profitetur Deum esse veracem, quia nemo credit, nisi ei, quem verum dicere putat. Probat autem sententiam superiorem.

34. *Quem enim misit Deus.* Pater scilicet in mundum, *verba Dei loquitur*, atque ita verbis non hominum, sed ipsius Dei credit, ipsumque Deum veracem esse sua fide profitetur. Porro ita dicit, *Verba Dei loquitur*, ut significet, eum nihil nisi divinum & a Patre traditum loqui: fecus ac Prophetæ, qui subinde sua & humana loquebantur. Quod ex eo ostendit, quia *non ad mensuram dat Deus spiritum*, illi scilicet, quem Deus misit, seu Filio suo: hoc est, ut August. exponit, cæteris quidem hominibus datur Spiritus sanctus, ac dona ejus ad certam mensuram, pars videlicet uni, pars alteri, dum juxta Apostoli doctrinam, alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii, &c. sed Christo dedit sine mensura profusissime omnia Spiritus sancti dona, & in summo gradu. Totus enim fons Spiritus sancti, qui arefcere non potest, in eum effusus est, ut Hieron. in cap. 11. Isaïæ; qua de causa supra dictus est *plenus gratiæ & veritatis*,

tis, omnesque thesauros sapientiæ, & scientiæ in eo absconditos esse docet Apostolus; & S. Thomas cum Theologis, Christi gratiam esse infinitam, & consequenter immensam, seu non ad mensuram. Ratio est, quia

35. *Pater diligit Filium*, intellige ut Pater Filium, non ut dominus servum: ut unigenitum, non ut adoptatum, sicut notat Augustin. *Et*, ex ista unigeniti Filii sui dilectione, veluti causa, *omnia dedit in manu ejus*, id est, in ejus arbitrio & potestate posuit omnia: non sibi auferendo, sed suam cum ipso communicando potestatem. Ut autem sciremus, quo fructu testimonium Filii acciperemus, credendo in eum, addit:

36. *Qui credit in Filium*: illa fide, quæ obedit doctrinæ quæ creditur, *habet vitam æternam*, in certa scilicet spe, atque animi dispositione, sicut fructum in arbore. Unde plerique illud, *habet*, exponunt, certissime habebit in tempore suo. *Qui autem incredulus est Filio*, Græce (*ho de apethon*) *qui est inobediens*, scilicet sive non faciendo, quod credit. Ex quo intelligitur non fidem nudam paulo ante significatam esse. *Non videbit vitam*, id est, non assequetur vitam æternam. Ex quo recte colligas, non sufficere ad salutem fidem in Deum, in providentiam Dei, in Salvatorem, sed fidem in Filium Dei incarnatum esse necessariam: *sed ira Dei*

manet super eum, illa scilicet ira, quæ jam ante super eum esse cœperat per peccatum, quo nati sumus omnes filii iræ, ut Augustinus. Nam nec ab ea, quæ per proprias iniquitates adjecta est, quisquam liberari potest, nisi per fidem filii Dei.

CAPUT IV.

1. **U**t ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisei, &c. Quo loquendi modo significatur Jesum id recenter didicisse, scilicet vel aliorum relatione, vel propria observatione. Nam alioqui ipse omnia futura ab æterno noverat. Unde & Apostolus: *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: quæ aliter cognoscitur per experientiam, aliter per sapientiam.*

2. Quamquam Jesus non baptizaret, suis scilicet manibus, sed discipuli ejus. Quod Tertullian. lib. De baptismo, c. 11. intelligit de baptismo Joannis; sed rectius August. & Cyril. accipiunt de baptismo Christi, quo discipuli baptizabant, præbendo scilicet ministerium, Christus vero præbendo adjutorium majestatis, ut Augustin. Nimirum quia ipse erat, non solum qui intus baptizabat in Spiritu sancto, ut prædixerat Joannes, c. 1. vers. 33. sed etiam quia ipsius jussu, aucto-

ritate & nomine, exterius baptizabant discipuli. Causa hujus rei fuit, ut functioni majori, majoremque requirenti scientiam & gloriam, vacaret, doctrinæ scilicet prædicandæ, sicut & Paulus 1. ad Corinth. 1. vers. 17.

3. *Reliquit Judæam*, ut superbæ æmulationi Pharisæorum aliquantisper cederet. Nam, ut cognovit Jesus eorum scientiam, qua didicerant, eum plures discipulos facere, cognovit etiam eorum invidentiam: non enim hoc propterea didicerant, ut eum sequerentur, sed ut persequerentur, inquit August. *Et abiit iterum in Galilæam*. Hæc enim fuit secunda profectio ejus in Galilæam. Nam prima fuit, quando post baptismum & ostensionem sui a Joanne factam, venerat in Cana Galilææ.

4. *Oportebat autem eum transire per Samariam*, non ipsam urbem metropolin, quæ eodem nomine vocabatur. sed ipsam provinciam, quæ media jacet inter Judæam stricte dictam & Galilæam.

5. *Venit ergo in civitatem Samariæ*, id est, territorium cujusdam civitatis, ut patet ex vers. 9. *quæ dicitur Sichar*, tempore scilicet Christi, corrupto jam vocabulo. Est enim eadem, quæ in veteri Testamento vocatur, *Sichem*, vel *Sichima*, ut testatur Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Et juxta Josephum 11. Antiquit. cap. ult. erat caput, seu metropolis regio-

gionis Samariæ. Erat autem sita *juxta prædium*, quod dedit Jacob Joseph filio suo, ut patet Genes. 48. vers. 22. Ubi dicit Jacob se dare Josepho partem unam, quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo, id est, quam jure belli acquisiverat.

6. *Erat autem ibi: in illo scilicet prædio, fons Jacob.* Infra vocatur puteus, quia scilicet erat utrumque. Nam, ut August. ubi aqua de terra manat, *Fons* dicitur. Sed si in promptu & superficie sit, *Fons* tantum dicitur: si autem in alto & profundo sit, ita *Puteus* vocatur, ut fontis nomen non amittat. Dicitur ergo fons Jacob, quia ille puteum foderat, donec inveniret scaturiginem fontis, quæ puteum aquis impleret. *Jesus ergo fatigatus ex itinere*, secundum humanam naturam, utpote qui pedibus iter fecerat, ut ad vitam laboriosam nos eradiret, inquit Chrysostom. *sedebat sic*, fatigatus scilicet & anhelus. Quamquam Syrus illud, *sic*, omittat, indicans nihil esse aliud nisi encliticam particulam, quæ connectit antecedens cum consequente, cujusmodi Belgis admodum familiaris est; *supra fontem*, Græce clarius (*epi tē pagē*) *ad*, seu *juxta fontem*. Quod ex phrasi Hebraica venit, qua, *supra*, sæpissime sumitur pro *juxta*: ut, *Supra flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus*, &c. Quamquam hic intelligi possit, eum sedisse super

per fontis peripheriam, seu extremam & supremam oram, quæ in circuitu fontis, five putei erat. *Hora erat quasi sexta*, & proinde circiter meridiana, qua æstus est maximus, & fatigati maxime cibo & potu, quiete & refrigerio, indigent.

7. *Venit mulier de Samaria*, id est, Samaritana, seu de Samaria regione oriunda. Nam illud, *de Samaria*, jungendum est cum, *mulier*, non cum, *venit*, quia venerat de Sichar proxima. *Dicit ei Jesus*, collocationis initium faciens ab ipsa re, quam mulier tractabat, ut ei retia tenderet.

8. *Discipuli enim ejus abierant*, &c. a quibus alioqui operam sedandæ sitis petere potuisset. Datur enim ratio, cur a muliere petierit.

9. *Dicit ergo ei mulier*, *Quomodo tu Judæus*, &c. cum scilicet ex habitu, itemque sermone, eum Judæum esse cognovisset, ut Chrysost. & Cyrill. notant. Nam Samaritani origine erant Babylonii, qui characteribus utebantur antiquis, & valde diversis a characteribus Judæorum, testibus libris, qui adhuc extant, & Hieron. Prefat. in libris Reg. Ita & dialectus eorum diversa fuit a Judaica. *Non enim coituntur Judæi Samaritanis*. Verba sunt mulieris tacite exprobrantis Christo transgressionem Judaicæ consuetudinis,
&

& averſationem Judæorum a Samaritanis: quaſi dic. Qua fronte petis a me bibere, cum Judæi non habeant commercium cum Samaritanis? Intellige in menſa, cibus, potu, & vaſculis, quibus illa miniſtrantur, ut notat Auguſt. Nam Judæi Samaritanos habebant pro gentilibus, cum quibus quidem civiliter verſabantur, contractusque miſcebant (unde & hic diſcipuli a Samaritanis emunt cibos:) non tamen comedebant, aut bibebant cum illis, ut patet Act. 11. verſ. 3. verentes videlicet ne polluerentur. Porro præter illam generalem cauſam, erat alia duplex ratio averſationis Judæorum a Samaritanis. Prima, quia olim terram Iſraelitis promiſſam Samaritani occupaverant, ut patet 4. Reg. 17. Secunda, quia gentiles ritus Moſaicis miſcuerant, volentes Judæicæ religionis videri. Et iſta cauſa fuit, cur Judæis olim ædificantibus templum, Samaritani ſimul ædificare voluerint. Sed cum repulſi eſſent, primo quidem ædificationem omni conatu impediverunt, 1. Eſdræ 4. Deinde proprium templum in monte Garſim exſtruxerunt, ubi per proprios Sacerdotes, non Levitici generis, ſua ſacrificia offerebant, eoque deſertores legis Judæicæ tranſfugiebant, ut teſtis eſt Joſephus libr. 11. Antiquit. cap. 4. Quod ergo hæretici ſunt Catholicis, hoc Samaritani Judæis, quos utique magis quam

gen-

gentiles averſamur. Unde Chriſto Domino tamquam maximum opprobrium obijciunt: *Numquid bene dicimus, quia Samaritanus es; & demonium habes?* Chriſtus ergo volens Chriſtianam communicationem inter Judæos & Samaritanos a modicis initiis introducere, extincto odio & diſcordia, religioniſque diverſitate, unde odium naſcebatur.

10. *Dixit ei: Si ſcires donum Dei.* Quod Auguſt. & fere veteres, intelligunt Spiritum ſanctum. Nam illud donum videtur Chriſtus intelligere, quod ſtatim ſe daturum promittit, nempe aquam vivam. Si ergo ſcires, quod ſit illud donum, quod ab eo peti debet, ac dari ſolet, & *quis eſt, qui dicit tibi, &c.* id eſt, ſi ſcires me eſſe Chriſtum Filium Dei, tanti doni largitorem, *tu forſitan petiſſes ab eo:* Græcum (*an*) non eſt dubitantis, ſed potius affirmantis. Unde Interpreter, *forſitan*, vertiſſe videtur, ut ſignificaret, etiam illo cognito manſurum fuiſſe mulieri liberum petere. *Et dediſſet tibi*, id eſt, non recuſaſſet tibi, quamvis Judæus, ſicuti tu illi recuſas, *aquam vivam:* per quam intelligit Spiritum ſanctum, qui inſtar aquæ ſitim terrenorum bonorum extinguit, concupiſcentiam refrigerat, animam ſœcundam facit, mentem ſenſu pietatis humectat. *Viva vero*, quia viventes vivificat. Mulier autem intelligebat adhuc corporaliter aquam
non

non stagnantem quidem, sed de fonte scaturientem. Unde respondet,

11. *Domine.* Attenderat enim verba, *Si scires, quis est, &c.* Ex quibus, sicut ex sermonis gravitate & mansuetudine, observat eum esse personam gravem & eminentem, cum ante satis contemptum Judæum vocasset: *neque in quo haurias, habes.* Græce (*oyte antlema echeis*) *neque haustrum habes*, id est, situlam: sub qua & funem, quo illa trahitur, intelligit. Ideoque addit: *Et puteus altus*, seu profundus est, ita ut sine eo non possis ad aquam pertingere. *Unde ergo habes aquam vivam?* tamquam potio-rem videlicet hac, quæ hauritur hoc puteo. Nam propter potioris aquæ promissionem, adjicit:

12. *Numquid tu major es patre nostro Jacob?* ut aliquid præstantius mihi dare possis? Patrem vero vocat Jacob, quia idem Josephus ibidem testis est, quod Samaritani videri vellent Judæi, maxime cum res Judæis prosperæ cederent. *Qui dedit nobis puteum istum*, tamquam appendicem prædii, de quo vers. 5. Nam Samaritani occupabant sortem tribus Ephraim, in qua erant Samaria. *Et ipse ex eo bibit, & filii ejus*, quod signum est bonitatis aquæ: *Et pecora ejus*, quod signum est abundantiae, ut notat Theophyl. quasi dicat. Non solum dulcis fuit hominibus bibentibus, sed etiam ita copio-

piosa, ut multitudini pecorum suffecerit. Hac igitur aqua non habuit Jacob potio-rem. Cum ergo mulier ex personæ excellentia aquæ bonitatem colligeret, ad mentem ejus respondet Christus:

13. *Omnis qui bibit ex aqua hac, hujus videlicet, aut similis putei sitiet iterum, quia sitim non nisi ad tempus sedat. Quod August. verum esse declarat etiam de illa aqua, quæ per aquam putei significatur, videlicet de voluptatibus hujus mundi: non enim sitim cupiditatis extinguunt, sed inflammant acrius. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, id est, quem ego Spiritu sancto meo potavero, non sitiet in æternum, quia æterna beatitudine, tam corpore quam anima, satiabitur. Nam de vita æterna hoc exponit August. sicut & versus sequens postulat. Tunc enim proprie, ut Iliias, Non esurient, neque sitient amplius: tunc, ut Psalm. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: tunc satiabitur in bonis desiderium eorum. Modum autem ejus explicans, ait:*

14. *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo, id est, non extrinsecus haurietur, sed in ipsis ejus visceribus fiet fons aquæ; non stagnantis: aut dormientis, sed vivæ, videlicet salientis in vitam æternam. Metaphora est a fonte ducta, qui tam alte scaturit aquam, quam est altum principium ejus. Principium autem hujus*

jus

jus aquæ Deus est, qui est æternitas & vita æterna. Unde aqua illa in animis hominum ad Deum usque & vitam æternam salit, quia Dei & vitæ æternæ possessores facit. Mulier vero adhuc non intelligens donum Dei, sed carnalibus hærens cogitationibus, ait:

15. *Domine da mihi hanc aquam, tam excellentem, ut non sitiam, neque veniam huc haurire, sitire enim molestum, huc venire laboriosum, ad quem laborem, inquit Aug. indigentia cogebat, & infirmitas reculabat.*

16. *Dicit ei Jesus: Voca virum, seu maritum tuum, et veni, hoc est, redi iterum, huc.* Quod Cyrill. ei dictum putat propter ruditatem ejus, ut sit quædam increpatio mulieris. Quo tendit etiam Augustini explicatio, quamvis ipse mystice per *Virum* intelligat mentem seu intellectum, qui instar viri regit partem sensitivam tamquam mulierem, ut sensus sit: Relictis sensibus adhibe, inquit, intellectum, quem docearis. Valde verisimile est, Christum duo spectasse in hisce verbis. Primum, ut, quia carebat viro, occasione revelationis rei secretæ perduceret eam ad agnoscendum, quisnam esset. Secundum, ut eam hoc artificio ad poenitentiam impudicæ vitæ disponderet, sine qua nemo ad aquam illam accipiendam idoneus est.

17. *Respondit: Non habeo virum*, quia sciebat, illegitimum virum non esse virum, cum interim turpitudinem suam hac ambidextra locutione dissimularet. Laudat Christus ingenuitatem veracis confessionis, dicens: *Bene dixisti*. Sed mox supplet, quod illa celaverat, verum sensum ejus aperiendo:

18. *Quinque enim viros habuisti*, legitimos, unum post alterum. Quæ communis est antiquorum & recentiorum explicatio. Nam qui eam tot simul viros habuisse putat Maldonatus, non potest rationem dare, cur peculiariter de præfenti dicat, *non est tuus*: *Hoc vere dixisti*, id est, hoc sensu vere dixisti, *Non habeo virum*. Hinc ergo agnoscere a longe incipiens, quis esset, qui loqueretur secum, ait:

19. *Domine, video, quia Propheta es tu*, revelando mihi rem tibi naturaliter occultam, cum sis peregrinus. Prophetarum est enim non solum futura prædicere, sed & præsentia, si naturaliter arcana sunt: cujus exemplum est 4. Reg. 5. v. 26. Simul itaque mulier fatetur peccatum, & Christum agnoscit, saltem tamquam Prophetam, ut notat Rupertus, & ante illum Cyrill. Itaque arrepta hac occasione, statim proponit ei tamquam Prophetæ quæstionem tunc maxime controversam inter Samaritanos & Judæos, ut eam sibi epodaret.

20. *Patres nostri*, communes Judæorum & Samaritanorum, scilicet Jacob & prisci Patriarchæ, *in monte hoc*, Garisim, qui proximus erat civitati Sichem, ut patet Judic. 9. versu 7. In cujus montis latere erat puteus Jacob, juxta quem Christus sedebat, teste Hieronymo Epist. 27. *Adoraverunt*, id est, sacrificare consueverunt, ut patet Gen. 33. v. 20. Nam fere in montibus sacrificabant antiqui, ut ipso secretioris & altioris loci situ mens facilius in Deum sustolleretur. Unde toties dicuntur Judæi sacrificasse in excelsis: & ipsum templum in monte ædificatum fuit, & Christus in monte oblatus. Subintelligit autem mulier, Samaritanos Patrum suorum exemplum sequi, ædificato scilicet etiam ibi templo: quamquam revera illud ex æmulatione quadam ibi extructum fuerit, ut narrat Josephus 11. Antiquit. cap. ult. qui tamen lib. 13. cap. 17. tradit, illud post annum ducentesimum sub Hircano Pontifice, aliquot annis ante natum Christum, fuisse desolatum. Unde recte mulier mentionem facit, non templi, sed montis tantum. Nam, ut Tertull. 4. contra Marcionem, semper sibi placentes erant Samaritani de montibus & puteis Patrum. Unde Amos 6. versu 1. ... *Væ qui confiditis in monte Samariæ...* Et vos, Judæi, dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet, id est, sacrificare. Nam jux-

ta legem generaliter quidem adorari poterat extra Jerosolymam, non tamen prout hoc verbum significat illum peculiarem adorationis cultum per sacrificia, prout & sumitur Genes. 22. versu 5. *Ego & puer, postquam adoraverimus.* Nam Lex Deuteron. 12. ver. 14. & 26. jubebat offerri sacrificia tantum in loco, quem elegerat Deus, qui antea fuerat locus tabernaculi. Sed cum tabernaculo successisset templum, Judæi interpretabantur, eum locum esse Jerosolymam; Samaritani Garisim. Decisa fuerat aliquando ista antiqua controversia a Ptolomeo Philometore, Ægypti Rege, ad quem partes provocaverant, & sententia pro Judæis lata. Qua de re Josephus 13. Antiquit. capite 6.

21. *Dicit Jesus: Mulier crede mihi.* Rem enim incredibilem tam Judæis quam Samaritanis prædicebat, quæ fide percipienda erat: *Quia venit hora, id est, in propinquo tempus adest, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem, id est, neutri, imo nulli certo loco adstringemini.* Non enim vult adorationem ab illis locis excludere, sed a locis determinatis absolvere: significans consequenter, totam illam quæstionem jamjam fore supervacaneam, eo quod lex nova & cultus novus promulgandus esset, qui nec Jerosolymam, nec Garisim postulare. Mox tamen, quantum
ad

ad præsentem cultum, præfert Judæos Samaritanis.

22. *Vos adoratis, quod nescitis; quod inverso modo dici posset: Vos nescitis, quod adoratis.* Nam & cum Deo vero Deos Gentium colebant, ut est 4. Reg. 17. vers. 33. & proinde non Deum verum, qui non nisi unus est, colebant, & in loco rituque colendi aberrabant. Non enim ritu ex lege præscripto, sed humanitus adinvento adorabant Deum, ut ibidem patet v. 34. Nos, Judæi, ex quorum persona loquitur, *adoramus, quod scimus, Deum scilicet verum, loco divinitus præscripto, ritu legitimo, quia salus, id est, Christus salutis auctor, ex Judæis est, quia Judæis seu tribui Judææ promissus, & inde natus est.* Quomodo exponit & S. Leo Epist. 72. Cyrill. & alii. Datur itaque ratio, cur Judæi adorarent, quod scirent, nempe quia indignum erat, ut Christus, auctor salutis, humano generi nasceretur ex gente, cui non constaret Dei cognitio, & verus cultus ejus: ne aliqui & ipse putaretur vel magister, vel discipulus erroris. Cum ergo hanc brevem sententiam interjecisset, perficit sensum vers. 21. inchoatum:

23. *Sed venit hora, & nunc est, quia adventu Christi patefacto, jamjam imminebat, Quando veri adoratores* (per quos omnium Interpretum judicio, Christianos intelligit, quia verum Deum vero

& per se desiderato cultu colent) *adorabunt Patrem*, id est, externo ritu etiam sacrificabunt Deo. Nam de vero sacrificio & loco ejus, Samaritana interrogaverat. Cum ergo Christus eodem verbo *Adorandi* utatur, justa & digna præscriptio est, ut ad sensum interrogantis pertineat sensus respondentis, ut ait Tertull. 4. contra Martionem cap. 38. *In spiritu & veritate*. Quæ verba duobus modis legitime intelligi possunt. Primo, ut spiritus opponatur carni, & veritas figuris: & ita per utramque particulam, sacrificium novi Testamenti, totusque cultus Christianus opponetur Judaico. Primo, quia Judaicus, ut talis, seu ut veteris Testamenti, erat carnalis, consistens in ablutionibus & sacrificiis carnalibus, bonaque spectans carnalia. Nam si quid spiritus ei conjunctum erat, hoc trahebat ex novo Testamento. Secundo, omnia illa sacrificia erant typica, id est, figuræ rerum futurarum. Sacrificium vero Christianorum, quamvis etiam externum sit, præcipue tamen spirituale est. Nam quod ibi exterius apparet, minus præcipuum est: præcipuum vero, ex parte objecti, est id, quod fide creditur, seu Christus ipse, qui offertur; ex parte sacrificantis, sunt spirituales actus fidei & charitatis, & invisibilis consecratio, ut merito dicatur cultus iste esse in spiritu & veritate. Quo sensu

hæc

SECUND. JOANNEM Cap. IV. 87

hæc exponunt Cyrill. libr. 2. cap. 93. & Chrysoſtom. & Euthymius in hunc locum. Alter exponendi modus eſt, quem etiam tradit D. Thom. in Joannem & Theophil. ut adoratio in ſpiritu ſit Chriſtianorum, ut opponatur cultui Judaico, qui, ut diximus, totus erat corporalis & carnalis: adoratio in veritate cultui Samaritano, qui multis falſitatibus & erroribus admixtus erat. Et ita neutro modo cultus externus, ſeu ſacrificium externum excluditur ab adoratione in ſpiritu & veritate, ſicut hæretici volunt. Nam etiam quod in ſacrificio Chriſtianorum externum eſt, non per ſe Deo placet, ſed quatenus ab interna, & ſpirituale, & vera pietate proficiſcitur. Unde etiam de ipſo ſacrificio crucis dicit Apoſtolus ad Hebræos 9. verſu 14. quod per Spiritum ſanctum Chriſtus ſeipſum obtulit immaculatum Deo. Patet ergo, poſſe plane ſacrificium eſſe externum, & tamen ſimul in ſpiritu. *Nam & Pater tales quærit qui adorent eum*, id eſt: nam Deus omnium Pater tales quærit adoratores, qui ſcilicet in ſpiritu & veritate eum adorent. Quod ſi tales quærit, cur ergo, inquires, cultum Judaicum tam carnalem & umbraticum inſtituit? Cur bona tantum carnalia promiſit? Reſpondetur, Rudi & carnali populo, & carnalibus bonis addiſtiſſimo, ad tempus correptionis cultum illum aptavit, ut ad fidem Chriſti,

sti, verumque cultum, & vera bona a Deo expetenda erudiretur.

24. *Spiritus est Deus*: Syrus addit causalem, *enim*, quæ subaudiri debet: datur enim ratio, cur tales adoratores Deus parat, quia scilicet Deus est spiritus purus, & incorporeus, & ideo, eos, qui adorant eum; in spiritu & veritate oportet adorare; ut ita sit proportio inter adorationem & adoratum. Deus enim cum spiritus sit, delectatur hostiis spiritualibus, & veritas hostiis non typicis aut mendacibus, sed veris, quia tales hostiæ per se placent. Unde Tertull. lib. De orat. cap. 10. Debet esse oratio de tali spiritu missa, qualis est spiritus, ad quem mittitur: neque enim agnosci poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.

25. *Dixit ei mulier*, cum verba non omnino assequeretur, nec solutam quæstionem putaret: *Scio, quia Messias venit*. Præsentis temporis est, pro venire debet, seu brevi venturus est, ut respiciat ad Christi verba, versu 21. Nam Samaritani recipiebant Pentateuchum, ubi Christi adventus prophetatur, & rumor tunc erat popularis de adventu Messiae. *Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia, de loco & ritu adorationis, sopita omni inter nos contentione.*

26. *Dicit ei Jesus: Ego sum, scilicet Messias, ego, inquam, qui loquor tecum: quasi dicat: Oportet ergo te hæsitationem tuam solvere, mihi que docenti credere. Et his dictis*

24. *Continuo venerunt discipuli, ex Sichar, emptis cibis, & mirabantur, tantam scilicet humanitatem, quia cum muliere loquebatur, Samaritana, & tam abjecta, prout exponit Cyrill. & Chrysof. Unde & August. Bonum mirabantur, non malum suspicabantur. Quamvis expositio Cypriani lib. De singularitate Clericorum, non inconcinna videatur, miratos fuisse quod non cum hac vel alia quapiam, sed sicuti verba sonant, cum muliere loquebatur, cum extranea & sine arbitris; hoc enim videtur fuisse ei insolitum. Cum ergo soleant admirantes causam rei querere, Nemo tamen dixit: Quid queris, ex illa, aut quid loqueris cum ea, eo quod tanta essent erga magistrum reverentia, ut non dubitarent recte ab ipso fieri, quidquid fieret.*

28. *Reliquit ergo, quia scilicet audiverat, & crediderat eum esse Messiam, ut notat hic August. Stupefacta igitur admiratione, & incensa ardore fidei, reliquit hydriam suam, omni cura rei familiaris abjecta, & abiit in civitatem, ut Messiam, quem invenerat, aliis evangelizaret, ut August. In quo elucet exemplum ho-*

minis vere conversi, ac divinitus inspirati. Itaque dixit:

29. *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci, etiam occultissima.* Quo modo loquendi usa est, vel quia plura Christus ei dixisset, quam hic scripta sint, vel quia dixerit ei id, quod in ejus vita præcipuum erat; unde nihil dubitabat, quin nosset & reliqua. Ita præparat auditores ad fidem, inquit Cyrill. Numquid ipse est Christus? Non dubitans, sed dubitantis modo loquitur, ne de re tanta imperita & infamis præjudicare videretur, eoque vehementius traheret, quo minus præ se ferebat hoc velle. Cum autem discipuli itinere, æstu, jejunio fatigatum ad comedendum invitassent,

32. *Dicit eis: Ego cibum habeo manducare,* id est, me oportet alium cibum manducare. Cujusmodi phrasi Græca dicitur & alibi, *Baptismo habeo baptizari*, pro, oportet me meo perfundi sanguine. *Quem vos nescitis*, quæ verba cum intelligerent de vulgari cibo, sicut mulier de vulgari aqua, explicat eis Jesus, non per circuitum sicut mulieri, sed aperte.

34. *Meus cibus*, quo scilicet mens mea instat cibi reficitur, sustentatur, delectatur: nam, ut Psal. 18. *Judicia Dei desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum... Est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, idque tanta instantia, ut perficiam, leu omni ex*
par-

parte consummem, *opus ejus*, ab eo mihi impositum. Hoc autem opus erat, hominum salutem procurare exemplo & merito, predicatione & passione. Hic proprie de doctrina & predicatione sermo est. Nimirum docet exemplo suo, discipulos Magistros orbis futuros, & Pastores ejus, ut hominum salutem proprii corporis commodis præferant, ut observat Cyrillus.

35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit, id est, Nonne quatuor mensibus adhuc abest messis? quasi dic. maxime constat. Ex quo colligas, hæc dicta esse circa mensem Februarium, vel finem Januarii, cum messis incideret in mensem circiter Maium, utpote inter Pascha & Pentecosten, ut patet Levit. 23. ... Ecce dico vobis. Correctio est, pro (sed ego dico vobis) levate oculos vestros, sive mentis, sive corporis: nam respicit partim ad Judæos, Legis & Prophetarum lectione præparatos ad fidem; partim ad propinquam Samaritanorum adventantium conversionem. *E* videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem, maturæ scilicet instar spicarum flavescentium, quæ Evangelii predicatione veluti falce demetantur, & in Ecclesiam transferantur: quasi dic. inquit August. Vos quatuor menses computatis ad messem usque, ego messem aliam albam, & maturam, & paratam vobis ostendo,*

36. *Et qui metit*, Prædicator scilicet Evangelii, ille non gratis laborat, sed *mercedem accipit*, id est, accipiet a Domino messis, suo tempore, scilicet vitam æternam. Neque hoc tantum, sed *et congregat fructum*, quem demessuit, homines scilicet conversos; idque non in horreum corporale, sed *in vitam æternam*, hoc est, duplici gaudio perfruetur, & essentiali & accidentali, quia salutem & suam lucrabitur, & aliorum, ut, isto modo, & *qui seminat simul gaudeat*, & *qui metit*, hoc est, & satores & messorum. Satores autem sunt Moyse & Prophetæ, teste August. utpote qui gentem Judæicam præseminaverant & excoluerant.

37. *In hoc enim est verum tuum*, id est, eatenus namque est verum illud tritum proverbium, quo vulgo dicitur, *alius est qui seminat, & alius est qui metit*, ad significandum alium laborasse, & alium ejus laboribus frui. Accommodat enim illud Christus ad Prophetas, & ad Apostolos sequenti versu. Videlicet quia

38. *Ego misi vos metere*, in Judæa (dixerat enim jam eis, *Ite ad oves, quæ perierunt, domus Israel*) quos vos non laborastis: quod exponit, quia alii laboraverunt, Moyse, Patriarchæ, & Prophetæ, quia præfiguraverunt fidem nostram, & disseminaverunt in terra adventum Filii Dei, ut August. & Iren. libr. 4. cap. 40. rudemque populum ad aliquam disciplinam

redegerunt, in quo maxime labor fuit: *Et vos in labores eorum introistis*, id est, quod illorum labore creverat, messuistis: in quo minus laboris, plus voluptatis, ut Chrysost. Nam ille cultus prævius Legis & Prophetarum causa fuit, ut eunuchus ille Act. 8. facillime in curru Philippo crederet, & juxta Iren. & August. ut subito tot millia Judæorum res omnes suas venditas ad pedes Apostolorum posuerint, quod in Gentibus non fiebat. Unde Iren. ibidem cap. 41. notat, ideo Paulum dicere, *Plus omnibus laboravi*, quia in Gentibus prædicavit, indisciplinatis, rudissimis, vaticinia Prophetarum & Scripturas ignorantibus, quibus in prædicando juvari potuisset.

39. *Ex civitate ista multi crediderunt propter verbum mulieris, &c.* Cui verisimile est addidisse mulierem, quod se dixisset Christum esse. Nam alioqui ex secretorum revelatione tantum sequebatur, Prophetam esse. Cum vero postea plures credidissent, dixerunt mulieri:

42. *Quia jam non propter tuam loquelam credimus*, id est, non propter illam tantum. Non enim significant, se fidem priorem abjecisse, sed auxisse; tacita quippe latet in verbis comparatio. *Ipsi enim audivimus*, ex ore ejus, scilicet id, quod sequitur: *Et ideo etiam indubitanter credendo, scimus, quia hic est vere Salvator, non Israelis tantum, sed mundi totius.*
Cre-

Credendo autem Salvatorem mundi, consequenter credebant, mundum indigere salvatione, & proinde peccato perditum esse.

44. *Post duos dies exiit inde, ex Sichar Samaritanorum, & abiit in Galilæam perambulaturus scilicet provinciam reliquam, præterita patria sua Nazareth, quamvis esset in Galilæa. Nam illius ratio subjungitur: Quia Propheta in patria sua honorem non habet: de quo diximus Matth. 13. vers. 57.*

46. *Et erat quidam Regulus, Græce nunc est (basilikos) Reginus, Regii generis vel dignitatis, ut vult Chrysost. vel potius de aula Regia, scilicet Herodis, quasi dic. quidam Aulicus, vult Palatinus, ut Hieron. in v. 1. c. 65. Isaia. Noster videtur legisse (basileios) id est, Regulus: nam inter Regulum & Regium Græce non est differentia, nisi unius litteræ. Sensus enim in idem redit, fuisse scilicet Præfectum aliquem Regium sub Herode Antipa, qui subinde Rex, subinde Tetrarcha Galilææ dicitur. Hic ergo fama excitatus*

47. *Abiit ad eum, in occursum ejus jam adventantis circa fines Galilææ: Et rogabat eum, ut descenderet, & sanaret, &c. incipiebat enim mori. Nam putabat Dominum arte curare: ars vero postulat medici præsentiam ad explorandum ægroti statum, idque antequam moriatur; nam*
post

post mortem, nullum artis remedium. Unde & vers. 49. urget, ut festinet, antequam moreretur. Tales erant & illi, qui Marci 5. vers. 35. dicebant Archifynagogo: *Filia tua mortua est, quid ultra vexas Magistrum?* id est, artificem seu medicum.

48. *Dixit ergo Jesus: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Quibus verbis reprehendit, vel incredulitatem Reguli, vel imperfectionem fidei ejus, quam verbis suis expresserat? tacite opponens eum, ceterosque Judæos Samaritanis, qui tam facile nullis visis prodigiis aut signis, crediderant. Nam duritiæ Judæicæ proprium fuit, signa petere, teste Apostolo, & ad Corinth. 1. vers. 22. *Quoniam & Judæi signa petunt. Signa autem & Prodigia in Scripturis fere pro iisdem usurpantur.*

50. *Dicit ei Jesus: Vade,* id est, nihil opus est, ut descendam ego tecum, quia *Filius tuus vivit,* id est, sanus & incolumis est, depulso mortis & periculo & initio. Itaque idem sermo Christi erat & prophetia de re absente, & imperium sanitatis. Erat enim propositio operatoria, efficiens id, quod enuntiat, qualis est illa; *Hoc est corpus meum.* Nam utraque designat rem in facto esse, quæ præsupponit fieri. *Credidit homo,* non dicit, in Jesum, sed, sermoni, quem dixit ei Jesus, illum scilicet esse verum, quod vi-

ve-

verat filius, quocumque modo hoc contigisset, five naturaliter Christo rem revelante, five supernaturaliter ipso faciente. Sed postea, cum intellexisset, quod eadem hora febris eum reliquisset, qua Christus hoc dixerat, videlicet hora septima, quæ est hora prima post meridiem;

53. *Credidit ipse, videlicet absolute, Jesum esse Christum Filium Dei. Hoc enim est totius fidei principium ac fundamentum, dicente Evangelista c. 20. v. ult. Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei.*

54. *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset, &c. Hyperbaton est: nam illud, iterum, non est jungendum cum secundum, sed cum, venisset, hoc sensu: Hoc secundum signum fecit, cum iterum, secunda vice, venisset in Galilæam. Nam primo in Galilæam veniens, mutaverat aquam in vinum, idque in Cana, nunc secundo veniens, fecit secundum miraculum, sanans Reguli filium, idque in eadem Cana Galilææ, prout colligitur ex v. 46. prout etiam sentire videtur August. lib. 4. de consensu, c. 10.*

CAPUT V.

1. **P**ost hæc erat dies festus Judeorum, Pascha scilicet, ut sentit Iren. libr.

libr. 2. cap. 39. idque secundum a baptismo Christi; quamvis Chrysoſt. & Cyril. putent fuiſſe Pentecoſten: *et aſcendit Jeſus Jeruſolymam*, juxta Legem, idque ſecunda vice poſt baptiſmum, ut idem Irenæus.

2. *Eſt autem Jeruſolymis Probativa Piſcina*, quaſi diceret, pecuaria piſcina, ſive quod ad portam pecoris, ſeu gregis eſſet ſita, de qua mentio eſt 2. Elidræ 3. verſ. 1. ſive quod lavandis pecoribus et hoſtiis ſerviret, ut vult Hieron. de locis Hebræicis. *Piſcina* autem proprie eſt lacus piſces continens, quod Vivarium dicimus; ſed transfertur ad amplas congregationes aquarum, etſi piſcibus careant, ſive ſerviant nationi, ſive aliis uſibus. Unde Græce eſt hic (*kolumbēthra*,) *Lavacrum*, ſeu *Natatoria*, ut vertitur e. 9. v. 7.... *Quæ cognominatur Hebræicè*, id eſt, illo idiomate, quo tunc Hebræi utebantur, quod erat Syro-chaldaicum, *Bethſaida*, quod ſignificat domum piſcationis, ut ita cum *Piſcina* conveniat. Sed Græce legitur (*Bithſeda*) *Bethſeda*, quod ab Hieron. & Interprete Arabe exponitur, *domus miſericordiæ*, ſicut & Hebræicè ſonat, propter miſericordiam, ſcilicet Dei, ſanantis ægros in piſcina. *Quinque porticus habens*, in circuitu ſuo, quæ ambulandi cauſa extra pluviam ædificari ſolent. *Serviebant autem ad recipiendos ægros*, qui ſanitatis cauſa illic expectabant, ſicut patet ex verſ. 3.

4. *Angelus autem Domini descende-
bat secundum tempus, Deo cognitum, hominibus
incertum. Nulla enim fuisset causa ibi
continuo hærendi in porticu, si certis
temporibus, five Pentecostes, ut Cyril.
five in Kalendis, five aliis festis deter-
minatis, Angelus in piscinam descendisset:
Et movebatur Aqua, Græce, (etarasse to hui-
dor), turbabat aquam Angelus, strepitu sci-
licet excitato, ut esset signum, Angelum
descendisse. Quod notat Cyril. & Ambros.
lib. de iis, qui initiantur cap. 4. Ex quo
etiam intelligi datur, virtutem illam sa-
nandi divinitus aquis inditam fuisse, cum
Angelus movebat aquam. Nihil enim per-
tinet ad naturalem vim sanandi, & qui-
dem quamcumque infirmitatem, aquæ
motus, & ab Angelo factus. Similiter si
tanta vis fluxisset ab hostiis in piscina
lotis, vel a ligno, unde crux fabricata
est, in piscinæ fundo posita, ut aliqui fa-
bulantur; fuisset perpetua, nec opus fuisset
aquæ motu. Et qui Prior descendisset in
piscinam, &c. tamquam diligentior. Quo
innuit, quod si postea quis venisset, non
sanaretur, ut August. notat. Et hoc virtu-
tis non naturalis, sed inditæ a Deo signum:
qui ipsa beneficii raritate voluit illud red-
dere commendatius, tamquam vere mi-
raculosum.*

5. *Erat autem quidam Homo triginta et octo
annos habens in infirmitate sua, et proinde in-
firmitatis incurabilis, ac desperatæ. Non
tamen*

tamen significatur, eum tamdiu in porticibus jacuisse. Paralyticum fuisse suadet v. 7. & 8. Hunc ergo rogavit Jesus:

6. *Vis sanus fieri?* Non quasi de hoc dubitari posset, sed ut excitaret eum in actuale desiderium, & spem sanitatis, & ita attentus fieret ad miraculum, & miraculi auctorem. Nam hoc dicendo tacite insinuabat, se in sua potestate habere aliquem sanandi modum. Unde similiter æger exponendo miseriam suam. *Hominem non habeo*, &c. tacite invocabat opem Christi. Quapropter dicit ei:

8. *Surge*, ita imperat, ut vires conferat. Non enim operis imperium tantum fuit, sed operatio sanitatis, inquit August. unde statim effectus secutus est. Et quia sabbati dies erat, dicebant ei Judæi:

10. *Non licet tibi tollere grabbatum tuum*, id est, ferre lectum tuum, quo ferebaris, quia videbatur contra Legem, Jerem. 17. v. 21. *Nolite portare pondera in die sabbati*, Quod & Nehemias, 2. Esdræ 13. vers. 15. se prohibuisse testatur. Cum autem recte monere viderentur,

11. *Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit*, &c. id est, non sponte feci, sed illius mandato cessi, cui tam pertinax morbus momento cesserat: quasi dic. religioni sibi fuisse, præcepto tantæ virtutis non obedire, & grabbati portatione mirabile Dei opus in se ostendere, non tam violando quam sacrando sabbatum.

12. Illi vero repleti insipientia, *Interrogaverunt eum*; non, quis eum sanum fecisset: nam ex hoc intellexissent, eum esse, qui fecit sabbatum & proinde dispensare posse in Lege sabbati: sed, *quis est ille Homo?* tantæ scilicet præsumptionis, ut non obstante Lege, *dixerit tibi: tolle Grabatum, &c.* Tam scilicet superstitiose addicti erant externæ ceremoniæ, ut nullo casu observationem ejus prætermitti posse crederent, zelo quodam Legis, sed non secundum scientiam.

13. *Is autem. &c. nesciebat, quis esset*, ut quem neque nomine sciret, nec ante vidisset, neque monstrare præsentem posset. *Jesus enim declinavit a turba constituta in loco*, prope sanatum: idque ne præsentia sua vel laudem popularem quærere videretur, vel iram invidorum magis exasperaret, prout notat illud quidem Ambros. hoc vero Cyril.

14. *Postea*, cum jam et miraculi rumor, & Judæorum tumor defecisset, *invenit eum Jesus in Templo*, gratias videlicet agentem Deo, pro præstito beneficio, *et dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare*, Græce (*miketi amartane*) *ne amplius pecces*. Quibus verbis significat, & se conscium esse vitæ ipsius præteritæ, & propter ejus peccata morbum accidisse, ut Aug. lib. de fide & operibus cap. 20... *ne deterius tibi aliquid contingat*. Peccata enim iterata propter ingratitude, majorem pœnam accersunt.

sunt. Itaque tum beneficii accepti memoria, tum futurorum malorum metu, eum in sanitate confirmat.

15. *Abiit ille Homo, et nuntiavit Judæis, quia Iesus esset, quo nomine jam palam innotuerat, qui fecit eum sanum. Dixit autem hoc, non ut proderet, sed ut benefactorem gratus divulgaret.*

16. *Propterea, id est, propter hunc pretextum soluti sabbati persequabantur eum, ad mortem, ut patet ex v. 18. Vera autem causa erat invidia.*

17. *Iesus autem respondit: Pater meus usque modo operatur, id est, a mundo condito ad hunc usque diem, nullo sabbati discrimine, operatur. Continuationem enim ostendit operis ejus, quo universam creaturam continet & administrat, inquit August. 4. de Genes. cap. 12. Itaque tacite indicat, eos non intelligere, quomodo Deus dicatur requievissse die sabbati: nempe sic ut jam novam naturam ulterius nullam conderet, non autem ut, quod condiderat, continere & gubernare cessaret. Et ego operor. Utrobique supplenda est vocula similitudinis: quasi dic. sicut Pater meus usque modo operatur, ita & ego operor, id est, usque modo disponens, ac regens cum eo cuncta, nulla sabbati ratione habita. Ex quo intelligendum relinquit, se Deum esse, et auctorem sabbati; et nihil mirandum, si etiam hoc unum opus in sabbato*

fecisset, & grabbatum portare in sabbato jussisset. Hinc ergo magis exacerbat

18. *Magis querebant eum Judæi, seu Principes Judæorum, interficere: quia non solum solvebat Sabbatum, juxta eorum opinionem. sed et Patrem suum dicebat Deum, longe scilicet alio modo, inquit August. quam homines, qui etiam Patrem Deum invocabant inter Judæos. Natura igitur, non adoptione intelligebant ab eo dici Patrem suum Deum: Aequalem se faciens Deo, id est, quandoquidem æqualem se faciebat Deo. Quo significatur eos inde collegisse, quod Patrem suum naturalem, Deum diceret, quia æquabat se Deo, non verbo scilicet solo, sed operibus asserendo sibi perpetuam administrandi mundi potestatem eandem cum Patre, prout observat. Chrysost. Nam ista verba, & ego operor, indicant & personarum distinctionem, & earum æqualitatem in auctoritate, & operatione.*

19. *Respondit itaque Jesus, uberius declaraturus verba, quibus offensi fuerant: Non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, id est, Filius nihil omnino a se ipso potest facere, sed hoc tantummodo, quod videt Patrem non fecisse, sed facere: ita significans, se filium Dei accipere a Patre, quemadmodum naturam, ita etiam scientiam faciendi, non aliud quippiam, sed idem omnino numero opus, quod facit Pater. Ut*
proin:

proinde non indicetur hic imitatio, sed simultanea utriusque operatio: atque ita consequenter intelligant, se accusari non debere de sabbato violato, nisi & Pater accusetur, inquit Cyril. quasi dic. Ego numquam curassem paralyticum istum in sabbato, nisi vidissem, hoc Patrem facere: *Quaecumque enim ille fecerit, circa creaturas, hæc et Filius similiter facit*, id est, non alia, sed hæc eadem numero, non dissimiliter, sed similiter facit, ut inquit August. proinde pari majestate, potentia, scientia, auctoritate. Nec illa verbo, *Non potest Filius*, inferunt imbecillitatem in Filio, quia similiter Pater facere non potest sine Filio. Unde istud, *Non posse*, quando tribuitur Deo, est naturalis perfectionis atque virtutis, a qua recedere non magis potest, quam a natura sua, juxta illud Apostoli, *Negare seipsum non potest*. Unde Augustinus contra sermonem Arianorum cap. 14. Non deficienter Filius non potest, sed potenter: non enim deficientis est, sed in eo, quod de Patre natus est, permanentis.

20. *Pater enim diligit Filium*, amore infinito, quantum diligi potest: ac proinde vult ei omne bonum, & consequenter omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, id est, communicat ei omnem scientiam faciendi quidquid ipsemet facit. Illud enim *demonstrare Patris*, est generare ipsius, & ipsum *videre Filii*, est nasci, quia nascendo videt, inquit August. Tract.

21. Nam ipsa visio est Filius, & ipsa scientia & sapientia Patris est Filius: *et maiora his*, scilicet sanatione paralitici, *demonstrabit ei opera*. Non quasi antea non demonstrasset, sed humano more per futurum loquitur, quia de futuro opere sermo est. Et revera, quia demonstratio illa æterna est, & non minus futurum, quam præsens & præteritum de illa enuntiari potest. Sicut enim semper Pater Filium generat, & generavit, & generabit, & Filius semper nascitur, natus, ac nasciturus est; ita Pater Filio semper, demonstrat, demonstravit, ac demonstrabit. *Ut vos miremini*, etiam increduli & refractarii, ut patet infra, c. 9. vers. 32. & cap. 11. vers. 48. Explicans autem, quænam sint illa opera maiora addit:

21. *Sicut enim Pater suscitatur mortuos, et vivificat*, id est, sicut Pater potestatem habet suscitandi, & vitæ restituendi; tempus enim præsens, quo utitur, perpetuitatem quamdam significat: *Sic et Filius vivificat*, seu potestatem habet revocandi ad vitam, quos vult. Quo significatur æqualitas, non tantum potestatis, sed etiam libertatis, ne Filius putetur non sua electione, sed aliena, velut minister Patris demonstrantis operari, ut August. Eisdem enim vivificat Pater & Filius eadem potestate, eadem voluntate.

22. *Neque enim Pater judicat quemquam.* Videtur esse alia probatio, versus 20. majorum scilicet operum, quæ Pater Filio demonstrabit, ex quibus appareat esse Deus, nempe quia cum judicium orbis terrarum in æquitate sit maxime proprium Deo, tamen *Pater non judicat*, seu judicabit, *quemquam*, per suæ præsentiae manifestationem: *sed omne judicium dedit Filio*, ut tamquam Judex omnibus appareat, & judicium secundum visibilem Judicis majestatem, & exteriorem judicii formam exerceat. Non tamen propterea desinet tam Pater, quam Spiritus sanctus, occulto secundum divinitatem judicio una cum Filio, & per adventum Filii hominis judicare, ut August. 20. de Civit. cap. 30. & lib. 1. de Trinit. cap. Ubi sic explicat, quasi dixisset: Patrem nemo videbit in judicio, sed omnes Filium.

23. *Ut omnes honorificent Filium*, carne vestitum, *sicut honorificant Patrem*, æquali scilicet honore ac veneratione: ut qui tunc Patri apparebit æqualis. Cum enim Judici honor debeatur, dies etiam judicii in Scripturis celebratur, ut dies gloriæ & majestatis Jesu. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, quia ut eadem natura & majestas utriusque, ita & honor esse debet. Unde in primis contumelia Filii cadit in Patrem, *qui misit illum*, non ut servum, sed ut Filium

suum, per quem honoratur ab omnibus. Itaque tacite perstringit Judæos, a quibus contumeliose tractabatur Filius, cujus Patrem honorare videbantur. Mox autem adjicit, quis fructus sequatur eos, qui utrumque honorificaverint:

24. *Qui verbum meum audit, fide excipiendo, & moribus obediendo doctrinæ meæ: hoc est enim vere audire, obedire: et credit ei, qui misit me, tamquam Filium suum, per quem homines doceri voluit (Filio autem docenti credi non potest, nisi simul credatur Patri: qui eum se misisse testatus est:) habet vitam æternam,* id est, eam suo tempore certissime habiturus est. Quod per antithesin Hebræis familiarem declarat: *Et in judicium non venit,* id est, in damnationem non incidit, inquit Augustinus. Unde ipse legit, *non veniet.* De qua sententia vide supra cap. 3. vers. 18.... *Sed transit a morte ad vitam.* Quod Præteritum similiter multi pro futuro positum esse volunt, propter rei certitudinem: atque ita erit repetitio sententiæ præcedentis, & mors intelligetur æterna in pœnis, eo quod nulla major & pejor sit mors, quam ubi non moritur mors, ut August. lib. 6. de Civit. cap. 12. In Commentario tamen hujus loci intelligit transitum a morte infidelitatis ad vitam justitiæ fidei. Et sic dabitur ratio, cur in judicium, seu damnationem non sit venturus, quia scilicet
hic

hic fide justificatus fuit. Itaque consequenter addit.

25. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est.* Quo indicat, se de presenti tempore loqui. Unde id, quod sequitur, *quando mortui*, Chrysost. cum suis exponit de mortuis, quos Christus paulo post in vitam revocavit ante passionem; Augustinus vero de mortuis spiritu, qui *audient vocem Filii Dei*, per gratiam intus loquentis ad cor; et qui *audierint, vivent.* Non addit, *si voluerint*, sed *absolute vivent*, quia vox illa infallibiliter frangit duritiam cordis, & facit vivere. Ideo quippe se audire facit, ut duritia cordis primitus auferatur.

26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso*, ita scilicet, ut vivere suum in illo sit, & non aliunde participatum a vita, quæ non sit ipse; sed ita eam habet in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse, inquit August. Tract. 19. . . . *Sic dedit et Filio*, per æternam generationem, *habere vitam in semetipso*: non ut participando habeat vitam, sicut lucerna habet lucem, & anima sapientiam; sed sic, ut ipse sit ipsa vita. Quasi proinde diceret, inquit August. ibid. Pater genuit Filium, qui nascendo vita est, sicut Pater est vita gignendo.

27. *Et potestatem, seu auctoritatem, dedit ei*, tamquam Filio hominis, *iudicium*, generale & novissimum, *vilibili forma, facere*

facere; idque ideo, quia *Filius hominis est*, id est, quia præterquam quod idem Deus, simul tamen etiam homo est. Nam, ut August. rectum est, ut judicandi suum Judicem videant. Et quia judicandi sunt boni & mali, forma servi videbitur a bonis & malis, forma Dei solis servabitur bonis.

28. *Nolite mirari hoc*, tamquam videlicet incredibile esset id, quod de spiritali vivificatione, & judicandi potestate dixi, *quia venit*, id est, adventat, hora. Non addit, & *nunc est*, sicuti antea dixerat, quia loquitur hic de resurrectione novissima, quæ in fine sæculi futura est, ut notat August. in qua omnes, tam justi quam injusti, qui in monumentis sunt. Quod non potest intelligi de mortuis tantum spiritu, sicut vers. 25. sed de mortuis carne, ut intelligit August. Nam, ut Tertull. De resurrect. cap. 57. Monumenta nihil aliud, quam cadaverum sunt stabula. A majori intelligit omnes, etiam si monumentis caruerint. *Audient vocem Filii Dei*, id est, sentient vim & effectum & vocis, quæ jussu Filii Dei per Archangelum ad mortuos fiet. Quam vocem Apostolus, novissimam tubam vocat, & aliquod evidentissimum ac præclarissimum adventus Dominici signum esse, ut alibi ex August. diximus.

29. *Et procedent*, de abditis suis receptaculis, in quibus mortuorum tam corpora

pora quam animæ delituerunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, id est, quam vita æterna comitabitur: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii, id est, damnationis. Ut autem ostenderet, judicium illud novissimum justum futurum, addit:

30. *Non possum ego; sive ut Filius hominis, sive ut Filius Dei, a meipso facere quidquam, quod non acceperim a Patre. & quod Pater per me non faciat, ne quidem ipsum judicare alios. Sed sicut audio, a Patre esse judicandum, Sic judico, seu judicabo, & non aliter. Nam ut Deus, non minus sapientiam quam naturam a Deo accepit, cui etiam ut homo voluntatem suam conformem facit. Et propterea judicium meum justum est, perinde ac si Pater ipse illud pronuntiaret, quia non quero voluntatem meam, quæ scilicet mihi propria sit, & a voluntate Patris aliena, sed voluntatem ejus, qui misit me: quam tamquam regulam in omnibus sequor, inquit Cyrill. adeoque voluntas illius etiam mea est. Et quia tam magnifica de seipso prædicando, fidem sibi derogare videbatur, præoccupat objectionem:*

31. *Si ergo testimonium perhibeo de meipso, quis, qualis, & quantus sim, sine aliis argumentis, testimonium meum non est verum, juxta humanum censendi modum, id est, non idoneum, non legitimum, aut fide dignum, quia nemo in causa propria*

propria idoneus testis est, ut exponit Athanas. contra Sabellii gregales: non enim, inquit, fide dignum videtur, neque recepti moris est, ut homo de seipso testimonium perhibeat.

32. *Alius est, qui testimonium perhibet de me, inter homines, scilicet Joannes Baptista; de cœlo vero Deus Pater. Unde utriusque testimonium statim distincte profert. Et scio, etiam citra illorum testificationem, quia verum est. &c.*

33. Vos, procures Judæorum, ultro misistis ad Joannem, tamquam dignum arbitrati, cui fides adhiberetur: & testimonium perhibuit veritati, id est, non amicitiae, non gratiae datum, sed ab ipsa veritate expressum, etiam postposita propria gloria, dum & negavit se esse Christum, & asseruit de me, *Ecce agnus Dei, &c.* itemque, *Hic est Filius Dei*, Joan. 1. vers. 34.

34. *Ego autem non ab homine, quantumcunque magno, testimonium accipio, quasi illius indigerem. Quo tacite significat, se super homines esse Deum, qui seipsum non solum ipsa sua veritate, sed etiam signis, ac miraculis prodere possit. Sed hæc dico, de Joannis testimonio, non propter me, sed ut vos salvi sitis, illi saltem credendo, quem vos ipsi vobis tamquam Prophetam & maximæ auctoritatis judicem constituistis. Ne autem testimonium Joannis elevaré videretur, adjungit:*

35. *Ille erat*, non lux quidem, quod Deo proprium est, Joan. i. sed *lucerna*, ab illo fonte luminis accensa, *ardens* charitate, & *lucens* doctrina, ac sermone: sed vos voluistis ad horam, id est, ad breve tempus, *exultare in luce ejus*, magno cum fervore & gaudio eum recipiendo, atque ad ejus conciones & baptismum accurrendo. Indirecte vero taxat eorum inconstantiam, quod tam cito ab illo fervore refrixerint, dum vitia eorum perfringeret Joannes, & hominem vulgarem testaretur esse Christum.

36. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne*, id est, testimonio Joannis, ipsa scilicet opera mea mirabilia, quæ nemo calumniari potest ad gratiam esse facta, sicuti de humanis testimoniis potest. *Opera enim testimonium perhibent de me*, id est, clarissima voce testantur, quia *Pater misit me*, per incarnationem in mundum. Nimirum quia Christus patrabat ea tamquam a Patre, & cum Patre, & in Patris nomine, & ad hanc ipsam veritatem confirmandam: quibus modis Deus testis falsitatis esse non potest. Ita fere Cyril. lib. 3. in fine. Præter hæc vero

37. *Et qui misit me Pater*, id est, etiam ipse Pater verus Deus, *ipse testimonium perhibuit de me*. Quod aliqui intelligunt de testimonio per eadem Christi opera, alii de testimonio per Scripturas sacras: apertius Chrysostr. de testimonio, quod cælitus

litus in baptismo dedit, dicendo: *Hic est Filius meus dilectus, &c.... Neque vocem ejus unquam audistis*, terribilem scilicet, qualis olim in monte Sinai audita fuit, *neque speciem ejus vidistis*, ignem scilicet et lampades, & fulgura. Alludit ad verba Deuter. 18. vers. 16. ubi cum territus populus diceret, *Ultra non audiam vocem Domini*, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar statim subjicit Deus: *Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis*: scilicet Christum, & ponam verba mea in ore ejus, &c. quasi diceret hic Christus: Obtinuistis jam id, quod olim ex timore petistis, ut scilicet non amplius horribilem illam Patris vocem audiretis, nec speciem horribilem videretis: sed non vultis audire Prophetam, quem ipse vobis promisit, & vos audituros spopondistis. Hoc est enim id, quod adjicit:

38. *Et verbum ejus*, seu mandatum, quod tunc imposuit Deus, de illo scilicet Propheta audiendo, *non habetis in vobis manens*, dum illud implere vultis; quia quem misit ille tanquam Prophetam, quem audire deberetis, huic vos non creditis.

39. *Scrutamini Scripturas*. Cyrill. putat esse Indicativum; sed rectius Chrysostom. et alii accipiunt, ut sit Imperativi modi; hoc sensu: Diligenter excutite mysteria Scripturarum. Quod ideo dicit, quia velamen adhuc super cor habentes, quod
in

in solo Christo cognito evacuatur, inhærebant litteræ, sicut & nunc, & Scripturarum cortices rodebant. Quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, id est, in ipsis inveniri posse rationem obtinendæ vitæ & salutis æternæ; quod tamen numquam fiet, nisi in eis Christum inveniatis: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, me scilicet esse illum Christum vobis promissum. Nam anima, scopus & finis omnium Scripturarum veterum est Christus: unde Act. 10. vers. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.*

40. Et tamen, non obstante perspicua Scripturarum attestatione, non vultis venire ad me, per fidem, me tamquam Christum recipiendo: quibus verbis malitiam voluntatis accusat, velut causam ignorantiae & cœcitatæ. Ne vero per hoc magisterii celebritatem affectasse videretur, præoccupat objectionem:

41. Caritatem, seu gloriam, ab hominibus profectam, non accipio, id est, non requiro humanas laudes, quasi eis ego delecter.

42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis: quasi dic. Sed scio, quid causæ sit, cur mihi nolitis credere, tametsi munito mille testimoniis, videlicet quia nulla vobis cura est, ut Deum diligatis, & ita quod ei gratum est, faciatis. Nam

43. Ego veni in nomine Patris mei, id est, semper professus sum, me a Patre

missum, me ipse mandata dicere & facere, me omnia ipsius nomine & auctoritate gerere; & tamen *non accipitis me*, ne quidem Dei Patris reverentia vel auctoritate permoti, in argumentum, quod eum non diligatis. *Si alius venerit*, id est, cum alius venerit, ut legunt Iren. & Cyprian. Est enim prædictio rei absolute futuræ, sed conditionaliter expressæ, propter dependentiam a libero arbitrio, cujus eventus ambiguus esse solet. *Si ergo alius venerit in nomine suo*, id est, sua solius auctoritate privata nixus, nullis testimoniis munitus, suam quærens, non Dei gratiam, *illum accipietis*. Quod veteres, ut Iren. libr. 3. cap. 25. Hieron. quæst. 11. ad Algasiam, & in Abdiam Prophetam, Cyrill. Chrysost. & alii, exponunt de Antichristo. Aperit autem causam aliam, cur se non reciperent, imo receptionem sui quodammodo redderent impossibilem, quamdiu illa prava affectio duraret:

44. *Quomodo vos potestis credere, in me tamquam Christum, & Filium Dei, qui gloriam ab invicem accipitis*, id est, qui gloriam humanam & vanam quæritis, quæ consistat tantum in hominum opinione & sermone: *et gloriam, quæ a solo Deo est, quæ nititur solo Dei, seu ipsius veritatis occulto testimonio, non quæritis?* Hic ergo fuit scopulus Phariseorum, inanis gloria, quam ut assequerentur ab hominibus, externam sanctitatem in omni conversa-

tione

tione ostentabant. Ne vero eam amitterent, Christo eos reprehendenti in omnibus repugnabant: nam & doctrina ejus hanc pestem capitalem funditus ex animo excindi jubet. Ne autem se Moysis patrocínio tutos putarent, cujus præcepta assidue crepabant,

45. *Nolite, inquit, Putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem, tamquam qui solus vobis contrarius sim: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis, id est, ipse Moyses, quem putatis vos habere contumaciæ vestræ patronum, utpote cujus zelo me persequimini, ipse accusat vos, tamquam qui sitis & ipsi increduli. Quod declarat, addendo:*

46. *Si enim crederetis Moyse, crederetis forsitan et mihi. Ubi illud, forsitan, respondet Græco an, quod sonat utique, vel certe redundat Latine, instar expletivæ particulæ. De me enim ille scripsit. Ubi quidem præcipue Christus respicit ad locum Deuteron. 18. v. 16. sed sic tamen, ut significet Moysen non uno aut altero loco, sed passim & ex proposito de se, imo nihil nisi propter se scripsisse, prout notat August. lib. 16. contra Faustum cap. 22. in fine.*

47. *Si autem illius, quem tanti facitis, & in auctoritatem recepistis, literis non creditis, ea, quæ de me etiam aperte pronuntiavit, in alios detorquendo sensus: quomodo verbis meis credetis? hominis videlicet recentis, & de se testimonium*

perhibentis, quod vulgo invalidum esse creditur, & quem contemnitis.

CAPUT VI.

1. **P**ost hæc, multis videlicet interjectis, de missis Apostolis, de nece Joannis Baptistæ, & similibus. Nam ea, quæ proxime superiori Cap. descripta sunt, contigerunt in Paschate, vel certe, ut alii, in Pentecoste, ut ad versum 1. cap. 5. diximus: sequentia vero circa Pascha sequens, ut patet hic versu 4. hoc est, interjecto vel anno integro, vel circiter decem mensibus: *abiit trans mare Galilææ*, quod idem est cum lacu seu stagno Genesareth: Hebræi enim, & Scriptura, magnas congregationes aquarum vocant maria, ut Hieronym. in cap. 47. Ezech. *Quod est Tiberiadis*, scilicet mare, ita vocatum, quia adjacet Tiberiadi, quæ civitas ab Herode Tetrarcha, in amicitiam Tiberii Cæsaris recepto, condita fuit, & Tiberii nomine vocata, ut Joseph. 18. Antiquit. c. 3.

2. *Et sequebatur eum*, itinere pedestri, ut Marcus c. 16. vers. 33.... *multitudo magna*, quæ, ut idem ait, prævenerat Dominum, propter impeditiorem scilicet navigationem: *quia videbat signa super his*, &c. quibus erant rapti in admirationem

tionem & amorem Domini, ut ab eo avelli non possent.

3. *Subit ergo in montem Jesus*, ut ibi requiesceret a turba, ut ait Marcus lococitato, & *ibi sedebat cum discipulis*, quietis captandæ causa.

4. *Erat autem proximum*, seu propinquum, *Pascha*, tertium a baptismo Christi, sicut plerique docent: nec difficultatem habent in eorum sententia, qui Christum quarto Paschate a baptismo suo passum esse tradunt. *dies festus Judæorum*, quod adjicit emphatice, ad indicandam eximiam festi Paschalis celebritatem.

5. *Cum sublevasset ergo oculos Jesus*, ut illis moris est, qui longe lateque prospicere volunt. Sed antequam hoc faceret, multa præcellerunt, quæ ab aliis tanguntur Evangelistis. Prius enim descendit de monte, excepit eos, docuit, sanavit, Soleque ad occasum vergente, monitus a discipulis de turba dimittenda, jussit eos turbam pascere; & cum negarent se posse, tunc tandem dixit ad *Philippum*, tamquam ad eum, qui fortasse minus quam cæteri divinæ fideret providentiæ: *Unde ememus panes?* id est, unde comparabimus pretium, ut emamus? Non enim de loco agitur, nam in proximis villis emi potuisse indicant discipuli apud Marcum.

6. *Hoc autem dicebat tentans eum*, id est, explorans, utrum deficientibus humanis

mediis ad Christi omnipotentiam & providentiam recurreret, idque non ut sibi, sed ut Philippo propria fidei imbecillitas innotesceret, *Ipse enim sciebat, quid esset factururus*; ne quis forte suspicetur, eum ex ignorantia, vel inopia consilii interrogasse.

7. *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.* Qui si fuerint denarii majores, valentes didrachmo, seu duobus Regalibus Hispanicis, æstimatis nunc ad sex circiter stuferos, essent simul centum & viginti floreni, seu quinquaginta quos vocant Patacones, hoc est, stuferi bis mille quadringenti: si autem denarii minores, qui dimidio minoris, hoc est, una drachma seu Regali æstimantur, essent sexaginta floreni, seu mille ducenti stuferi. Ex quo facile patet, eos non potuisse sufficere ad cibanda quinque millia virorum, præter mulieres & parvulos. Porro ex eo, quod apud Marcum dicunt discipuli, *Euntes emamus ducentis denariis panes*, colligunt quidam, Apostolos tunc illam summam in communi præsto habuisse, & consequenter eos fuisse affectu valde liberali, ut qui omnia in refectionem multitudinis effundere vellent. Quamquam alii ironicam locutionem fuisse malunt: quasi dic. Præcipis nobis rem impossibilem, qui scias tantas non esse nobis pecunias. Cum ergo Christus rogasset, juxta Marcum:

Quot

Quot panes habetis? ite & videte; & ipsi hoc recognovissent, respondit omnium nomine Andreas:

9. *Est puer unus hic, id est, adolescens, quem alii volunt fuisse unum de turba, qui multitudini cibos venales ferret; alii adolescentem, Apostolis deservientem, eo quod Christus jussisset eos recognoscere, quod panes ipsimet haberent: qui habet quinque panes, &c. sed hæc quid sunt inter tantos? Græcen (eis tosu ous,) inter tot, seu tam multos? significans, omne humanum præsidium hic deficere.*

11. *Accepit ergo Jesus panes: ut se miraculi istius, & multiplicationis auctorem ostenderet, et cum gratias egisset, Deo Patri, pro beneplacito faciendi tantum miraculum in salutem hominum tum corporalem cum spiritualem. Matth. & Marc. insinuant hanc gratiarum actionem per aspectum in cælum: Joannes vero sub ea comprehendit etiam benedictionem, non Dei, sed panum: nam Lucas expresse dicit: Benedixit illis, & Marcus, Benedixit, & fregit panes; ad effectum scilicet multiplicationis. Distribuit discumbentibus, non per se, sed ministerio discipulorum, ut Græca hic, & alii Evangelistæ suis locis dicunt: similiter & ex piscibus, quantum volebant, ad plenam refec-tionem. Porro facta est hæc multiplicatio panum, non de novo creando, sed materiam præjacentem aeris in panes*

vertendo, ut Iren. lib. 3. cap. 11. ut ita declaret, inquit, se esse eundem, qui omnia ex nihilo creaverat. Multiplicavit eos autem, partim in manibus suis. ut August. hic, partim in manibus discipulorum, ut Chrysost. partim in manibus discumbentium, Hilar. 3. de Trinit. Unde Ambros. in Lucam ea conjungit, in manibus distribuentium & comedentium.

12. *Ut autem impleti, seu saturati sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt, id est, quæ superfuerunt, fragmenta; primo, ut extaret memoria abundantiae suavitatis Domini, quod ipse uberior sit in dando, quam humanæ mentis angustia in sperando; secundo, ut magis commendaretur miraculi magnitudo; tertio, ne pereant: id enim & æconomia bonorum Domini, & reverentia erga ejus liberalitatem postulat.*

13. *Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos, &c. id est, canistra leu corbes (non enim significat hic mensuræ genus, sicut aliquando) fragmentorum, non solum ex panibus, sed & ex piscibus, ut Marcus addit. Itaque multo plus superfuit, quam antequam comedissent: quod non patuisset, nisi fragmenta recondi jussisset. Mysticum sensum hujus miraculi vide accurate apud Augustin. Tract. 25. in Joann. Homines ergo attoniti miraculo dicebant;*

14. *Quia*

14. *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum, id est, hic est vere Messias, seu Christus, de quo dixerat Moyses, Deuter. 18. Prophetam suscitabit vobis Dominus, sicut me: nam ad illum locum, qui in synagoga notissimus erat, alludere videtur,*

15. *Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, animo scilicet non divinitus incitato, sed plane terreno, ut Augustin. idque quia jam inter se egerant, vel constituerant, ut raperent eum, illata vi, quia invitum noverant, & facerent eum Regem, terrenum ac temporalem, qualem plurimi ipsorum Messiam expectabant, qui totum orbem sibi subjugarer; fugit, Græce (anechirase,) secessit, quia subduxit se clanculum, cum turbam dimisisset, ut Marcus, iterum in montem, quia in montis vertice in ejus planiora descenderat, inquit Augustin. ipse solus, ut orationi vacaret, simulque fastum honoris & potestatis sæcularis declinaret. Unde cum Matth. dicat, Christum in montem ascendisse, ut oraret, Joann. vero, eum fugisse: utrumque concilians Augustin. lib. 2. De consensu cap. 54. dicit significari, magnam nobis esse causam orandi, quando est causa fugiendi.*

22. *Altera die, &c. turba, quæ stabat trans mare, eodem videlicet loco, quo discipuli conscenderant navem, circa montem, ubi saturati fuerant, ubi etiam*

pernoctasse videntur, *vidit, quia navicula;* &c. Græce (*idon oti ploiarion allo ukēn,*) postquam vidit, quia ibi non esset alia navicula, &c. Quo indicatur, aliquid in fine istius periodi esse subaudiendum videlicet, quod, cum hoc vidisset turba, quæ-
siverit Jesum; vel certe jungendum ei esse verbum 24. qui multis interpositis suppleat orationem. Nam sicut hic exprimitur, plane manca est.

23. *Aliæ vero supervenerunt naves, eodem videlicet die, dum adhuc expectarent Jesum, juxta locum, ubi manducaverant panem (quod jungendum est cum verbo, supervenerunt, non cum, Tiberiade,) gratias agente Domino; quod ideo rursus inculcat, ut nobis magnam Christi gratitudinem erga Patrem pro beneficiis nobis exhibitis in exemplum commendaret.*

25. *Et cum invenissent eum trans mare, nullius scilicet navigii adminiculo (nam illud, trans mare, adfertur tamquam causa admirationis) dixerunt ei: Rabbi, quando hunc venisti? Potius quærendum erat, quomodo? Unde quidam curiosam fuisse quæstionem annotant, cum hoc non multum attineret scire: nisi forte potius per illud, quando, significatum velint, se non semper observasse, an intraret in aliquam navem. Christus autem, neglecta eorum quæstione, severe corripit studium, quo se sequebantur:*

26. Quia,

26. Quia, inquit, *Quæritis me, non quia vidistis signa; & tamen versu 2. quod sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa.* Unde necesse videtur, quod isti, de quibus hoc v. 26. non amplius quæsi-
verint eum, propter signa, ut scilicet eis visis Christo crederent & obedirent, sed carnali saturitatis iterandæ desiderio; ut ita Christum, tamquam Regem suum, otiosi sine cura victus & labore sequerentur. Itaque a cibi corporalis appetitu eos transferre satagens ad studium rerum spiritualium, sicut antea Samaritanam ab aqua corporali ad spiritalem, dixit eis:

27. *Operamini non cibum, qui perit, id est, operam & studium impendite, ut comparetis cibum, non qui instar corporalis consumatur, & in secessum emitatur, ut Matthæus loquitur; qua phrasi dicit Paulus, Salutem vestram operamini;... sed qui permanet in vitam æternam, non solum, quia in se incorruptibilis est, sed etiam quia effectus ejus & fructus est, ut homo in æternum beate vivat. Qui cibus, ne longe petendus videretur, quem, inquit, Filius hominis dabit vobis: intellige, non nauseantibus, sed desiderantibus, & ipso desiderio ad accipiendum præparatis. Nam his verbis tacite invitat ad illum cibum a se quærendum. Hunc enim, supple Filium hominis, Pater signavit, Græce (esphragisen,) sigillavit: quod August. exponit tamquam signo*

signo seu sigillo impresso segregavit a cæteris, quia scilicet non solum Filius hominis, sed etiam Filius Dei est. Unde consequenter Hilar. lib. 8. de Trinitat. & Cyril. expressionem Paternæ divinitatis in Filio his verbis significatam accipiunt. Character enim & imago Patris est Filius Dei, qui Filio hominis in eodem supposito junctus est. Hæc ergo ratio est, cur tantæ auctoritatis sit Filius hominis, ut talem cibum dare possit. Unde alii exponunt, *signavit*, seu sigillavit, id est, quasi sigillo impresso & appposito ei auctoritatem dedit, nempe conjungendo divinitatem humanitati, miraculis quasi sigillis eam confirmando: *Deus*, quia divina Patris virtus in hac re maxime enituit.

28. *Dixerunt ergo: Quid faciemus, seu facere debemus, ut operemur opera Dei?* Deo scilicet grata: ut cibum illum a te commendatum comparemus? Respiciunt enim ad verba Christi dicentis, *Operamini cibum, &c.* Itaque Christus non multa & laboriosa, sed unicum tantum, & facile opus inculcans, quod est initium & fundamentum omnium bonorum operum, dixit eis:

29. *Hoc est opus Dei*, id est, Deo gratum, & ab ipso Deo in vobis operandum, inquit Augustin. *ut credatis in eum, quem misit ille*, id est, in me; sed modestiæ causa utitur tertia persona.

30. *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut credamus tibi?* quasi dic. Signa tua præcedentia, quæ vel audivimus, vel jam proxime vidimus, non sufficiunt, ut in omnibus tibi credamus, ac te tamquam Messiam missum a Deo, tantique cibi largitorem, recipiamus. Sunt enim verba ex improbitate profecta, parvi facientium præcedens Christi miraculum, ut Aug. Tract. 25. Ideo quippe subjungunt:

31. *Patres nostri, sexcenta scilicet milia hominum, manducaverunt manna in deserto, omnium scilicet frugum sterili, idque per annos quadraginta, quibus in deserto vagati sunt. Confirmant verba sua per Scripturam, quæ dicit: Panem de cælo, id est, cœlestem, cœlitus datum, dedit eis manducare.* Sensus igitur eorum est: Miraculum, quod Patribus nostris a Moyse præstitum est, incomparabiliter majus fuit illo, quod tu proxime fecisti; nec tamen Moyse propterea postulavit, ut in se tamquam in Messiam crederemus: quod signum ergo tu facis, ut tibi credamus? Porro, *Man*, & inde deductum, *Manna*, non est nomen significans paratum, vel etiam donum, ut aliqui recentiores volunt; sed est pronomen interrogativum significans, *quid*, & conversum in nomen istius cibi, ut latius diximus in Cap. Exodi 16. & ex ejusdem

dem cap. vers. 15. manifestissime colligitur.

32. *Dixit ergo eis Iesus: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, id est, cœlestem: non enim aliter panis de cælo vocatus fuit, quam quia non ex terra, sed ex nubium regione depluit; quomodo dicitur Psalm. 17. Tonuit de cælo Deus;... sed Pater meus, & consequenter ego, dat vobis panem de cælo verum, id est, vere cœlestem. Est enim antithesis, inter Moysen & Patrem suum, & consequenter seipsum; & inter panem & panem. Augustin. tamen & Cyril. panem verum dici volunt, duplici ex causa; una, quia non figura est, sed res ipsa, per *Man* figurata; altera, quia vere dat vitam mundo, ut mox sequitur. Intelligit autem, hunc panem esse seipsum, qui de cælo descendit in terram, quando Filius Dei per incarnationem homo factus est: nam ex duobus effectibus probat esse panem de cælo verum:*

33. *Panis enim Dei est, id est, nam ille est panis vere divinus ac cœlestis, qui de cælo descendit, id est, qui non solum ut manna mittitur aliena auctoritate, sed qui ipsemet sua voluntate descendit, non de nubibus, sed de vero cælo, ubi Deus habitat, seu de sinu Patris: & qui dat vitam, scilicet beatam, mundo, id est, orbi universo, qui illo pane*

pane pascitur. Itaque carnales carnalia cogitantes dixerunt:

34. *Domine; da nobis semper panem hunc, ut scilicet sine morte tali pane in otio fruamur. Ut ergo somnium illud de cibo vulgari eis excuteret, aperit, quis ille panis sit:*

35. *Ego sum panis vite, id est, sum ille panis vivificus, per manna figuratus, qui dat vitam mundo. Modum autem & manducandi panem illum, & vivificandi explicans, addit: Qui venit ad me, non esuriет, id est, qui mihi crediderit, assequetur saturitatem illam vite æternæ. Nam ne quis carnaliter ista verba intelligeret, alio modo eundem sensum exprimit, & qui credit in me, non sitiet unquam. Unde August. Tract. 25. Qui venit ad me, inquit, hoc est, quod ait, Et qui credit in me: & quod dixit, Non esuriет, hoc intelligendum est, non sitiet unquam. Utroque enim significatur illa æterna satietas, ubi nulla est egestas.*

36. *Sed dixi vobis: quia & vidistis me, & consequenter signa plurima, quæ a me postulatis, ut credatis mihi; & tamen non creditis, verbis meis & signis. Ut ergo aperiret eis altius secretiusque principium fidei, quam signa visibilia, & quod, quamvis ipsi non crederent sibi, non tamen defuturi essent, qui crederent, addit:*

37. *Omne*

37. *Omne quod dat mihi Pater, id est, quemcumque cujuscumque conditioni Pater mihi, tamquam homini, hominum mediatori, salvandum tradidit, ad me veniet, id est, reipsa indeclinabiliter mihi credet; quia quos Deus ab æterno salvandos prædestinavit, hos sine dubio secundum illud propositum suum vocabit. Nam illos solos Christo homini Pater dat, quos elegit, atque prædestinavit. Unde Act. 33. vers. 48. Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Itaque his verbis non desperationem eis iniicit, sed tacite monet, ad illius auxilium esse recurrendum, qui dat Filio & facit credere, & credendo venire ad Filium, cum magna fiducia sperando, se esse ex eorum numero, quos Pater Filio dedit. Qua de re latius August. libr. de dono perseverantiæ. Et eum, qui venit ad me, credendo, non ejiciam foras, illum repellendo a meo contubernio, vel bonorum meorum societate. Et quasi quæres, inquit August. quare non ejiceret eum foras, causam reddit.*

38. *Quia descendi de cælo, per incarnationem suscipiens hominem, non ut faciam voluntatem meam, humanam, voluntati Patris dissentaneam, sed voluntatem ejus: qui misit me, ut scilicet non velim aut faciam quidpiam, quod non velit Pater, sed id ipsum prorsus, quod Pater: nihil enim æquius est, quam ut legatus*
legan-

legantis voluntatem sequatur. Sed quænam ista voluntas Patris?

39. *Hæc est enim voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, ex decreto prædestinationis ejus salvandum, non perdam ex eo.* Quod Tertull. lib. de resurrectione carnis, c. 24. intelligit de ipsa corporis resurrectione; ut significetur, non solum corpus esse resurrecturum, sed etiam nihil omnino corporis perituum, nec capillum, nec oculum, nec dentem, inquit, ideoque dici, *non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* August. tamen & Cyril. significari volunt, quod neminem ex electis perditurus sit, seu ejecturus foras, sicut præmiserat, imo etiam post mortem eos suscitaturus in die judicii, & æterna salute etiam corporis salvaturus. Quod clarius explicat, repetendo:

40. *Hæc est autem voluntas Patris, qui misit me.* Aug. & Cyril. legunt, enim, ut reddatur ratio præcedentium, ut omnis, qui videt Filium, id est, qui Filium attente consideravit, oculis, sive corporis, sive mentis: quæ visio fidem præcedere debet, et sine consensu voluntatis esse potest, ideoque addit: *Et credit in eum, consentiendo, verum esse, quod proponitur: Nam, ut Prosper lib. 2. de vocat. gentium c. 26. Virtus nolentium nulla est: nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis*
 T. III. I inesse;

inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est. *Habeat*, meo beneficio & meritis, *vitam æternam*. Quibus verbis explicat, quid sit non ejici foras, & non perdi. Ne vero tanta vitæ æternæ bona nostræ vetustatis & mortalitatis deformitas desperaret, subjungit: *Et ergo resuscitabo eum*, ad plenissimam etiam corporis immortalitatem, per quam vita illa æterna compleatur. Cum ergo murmurarent de eo, quod dixisset:

41. *Ego sum panis vivus*, id est, vitæ; prout habetur v. 35. itemque, *qui de cælo descendi*, tamquam non esset more mortalium genitus, sed quasi Angelus de cælo originem traheret, compescuit eos Jesus, dicendo:

43. *Nolite murmurare in invicem*, Græce (met allelan) *cum invicem*, seu *inter vos mutuo*: quasi dic. Verba illa mea nullam continent murmurandi materiam, sed in vobis culpa est, qui caretis lumine illo divino, ad intelligenda vel credenda verba mea necessario, quia

44. *Nemo potest venire ad me*, id est, credere in me, sicut hoc explicat Christus ipse infra vers. 64. & 65. & August. diversis locis observat, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, ad me scilicet, hoc est, ad credendum mihi. Fit autem ille tractus non foris, sed intus in corde: & quidem, ut Prosper contra Collat. cap. 14. diversissimis modis, sive

contemplatione elementorum, five prædicatione rerum gestarum, five lectione, five timore gehennæ, five aliqua lætitia, five aliis innumerabilibus modis. Sed revera isti trahendi modi, vel externi tantum sunt, vel dispositivi ad verum tractum; qui proprie in eo situs, quod cor mutetur, ut id diligat, quod ante fastidiebat, quod non fit nisi per mutationem amoris, sicut Prosper ibidem indicat, & apertius lib. de vocatione Gentium cap. 37. ubi dicit: Qui ergo veniunt, amore ducuntur: dilecti enim sunt, qui & dilexerunt, & quod eos voluit Deus velle, voluerunt. Et August. Tract. 26. in Joan. Nolite cogitare, invitum trahi, trahitur animus & amore. Porro in voce *trahendi* insinuat quædam repugnantia in eo, qui trahitur, saltem ante tractum: omnis enim voluntas, quæ ex non credente fit credens, ex ipsa naturæ corruptione, & voluntatis aversione, fastidium ac difficultatem in credendo percipit, quam tollit ipse tractus, dum ex nolente volentem facit. Itaque tacite Judæos his verbis hortatur, ut non murmurarent de verbis suis, sed ad Deum converterentur supplices, a quo trahi deberent, ut se intelligerent. Probat autem id, quod de Deo trahente dixerat, auctoritate Scripturæ:

45. *Est scriptum in Prophetis, Isaia 54. v. 13. ut ibi observat Hieron. Et erunt omnes docibiles Dei, Græce, docti Dei, seu a Deo, pro quo est in Isaia, Ponam filios tuos doctos a Domino.* Quo significat, tempore novi Testamenti universos filios Ecclesiæ docendos esse, non solum voce extrinsecus insonante, sed a Deo intus incrementum dante: nam ut August. Etsi ab hominibus audiunt homines, quod tamen intelligunt (id est, credunt) intus datur, intus corruscat, intus revelatur. Quanta vero efficacia a Deo doceantur, consequenter aperit Christus: *Omnis qui audivit a Patre, & didicit; quæ duo vel idem sunt, prout accipit August. De prædestinatione Sanctorum, c. 8. vel certe audire ad informationem intellectus tantum pertinet, discere ad tractum voluntatis.* Omnis ergo talis non solum potest venire ad me, quasi Deus tantum tribuat per gratiam posse, si velit; sed *venit ad me, id est, credit reipsa, ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est, inquit August. De gratia Christi, c. 14.*

46. *Non quia Patrem vidit quisquam: quasi dic. Non debetis ex verbis meis imaginari, quod Pater velut ludi-magister discipulos doceat, ita ut eum illi secundum naturam ejus videant. Nam, ut Augustin. loco De prædest. citato, valde*

valde remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet. Nimirum gratia ista secreta est. A qua tamen generali regula seipsum excipit Christus, *nisi is, qui est a Deo*, nascendo secundum divinitatem, *hic vidit Patrem*, utpote ejusdem naturæ, & scientiæ cum Patre, in cujus sinu manet. Cum ergo redarguisset Christus Judæorum incredulitatem, & eorum murmurationes repressisset a v. 36. huc usque, jam tandem redit ad vers. 35. ut pergat in explicatione istius panis & fidei.

47. *Amen amen dico vobis*, qua geminata utitur assertione, ut solidius confirmet fidei efficaciam: *Qui credit in me, habet vitam æternam*, quia habet pignus vitæ æternæ certissimum, illam ipsam fidem, que per dilectionem operatur: *vel habet vitam æternam*, ipsum Christum, qui est vita æterna, & per talem fidem in corde habitat, ut August. & Cyril. Cui congruit id, quod sequitur:

48. *Ego sum Panis vitæ*, &c. quasi dic. Ego enim sum (datur quippe ratio sententiæ præcedentis) *panis vitæ*, supple, æternæ: hoc est, vivificus, qui vitam æternam in me credentibus, & per fidem manducantibus prabeo, hic inchoando, postea consummando. Quod antithesi mannae uberius declarat:

49. *Patres vestri manducaverunt manna*, non quatenus erat figura Christi, quia

fic erat esca spiritalis, ut Apostolus, sed ut cibum mere corporalem: & mortui sunt, corpore, nec virtute mannae possunt reviviscere, cum tamen ad corporalem vitam tuendam datum esset.

50. *Hic vero est panis de caelo descendens*, per incarnatinem, ut supra explicuimus, v. 32. & 33. Loquitur autem in tertia persona, aut modestiae causa, aut ut panem praesentem praeterito efficacius opponeret. Descendit autem in eum finem, ut si quis ex ipso manducaverit, ita nempe, ut per fidem, vi dilectionis operantem, eum sibi incorporaverit. Nam ex eo fit, ut, cum ille sit justitia, & sanctitas, homo eum diligens, justus, sanctusque fiat, juste sancteque operetur, & ita non moriatur, scilicet in aeternum, neque animae, neque corporis morte, quia vi panis illius etiam corpora vitaliter suscitanda sunt. Ex quo patet excellentia panis istius supra manna. Rationem autem assignat tantae praecellentiae, quia

51. 52. *Ego sum panis vivus*, in meipso, per quod insinuat nihil mirum esse, si sit etiam vivificus aliorum, qui ipsi credendo diligendoque manducaverint. Nam a vers. 29. hucusque, fidem in se tamquam in Deum, & hominem commendavit. Cum enim Christus vers. 27. promississet eis, se panem quemdam, quem Sacramentum corporis sui intellexerat

lexerat, daturum esse, ut eos ad tantum
 mysterium intelligendum aptiores red-
 deret, statim a v. 29. explicare incœpit
 hucusque rem istius Sacramenti, hoc
 est, descensum suum de cœlo per in-
 carnationem, & fidem illius descensus
 commendare, tamquam maxime neces-
 sariam. Nam ut optime S. Leo Serm.
 6. de Jejunio septimi mensis docet,
 frustra de corpore & sanguine in Eucha-
 ristia satagimus, si contra illa in pro-
 pria Christi persona disputamus: hoc
 enim ore sumitur, quod fide creditur.
 Isto igitur strato fundamento, transit
 jam hic Christus ad manducationem sui,
 non solum spiritualement per fidem, sed
 etiam realem per Sacramentum: & ideo
 futuri temporis verbo uti incipit, di-
 cendo: *Et panis, quem ego dabo.* Ubi re-
 spicit ad illa verba sua vers. 27. *quem*
Filius hominis dabit vobis, per quæ Sacra-
 mentum corporis sui, id est, Eucha-
 ristia promiserat. Sed antequam illud ac-
 curatius explicaret, necessario præmit-
 tenda, & munienda erat apud istos in-
 credulos suæ incarnationis fides, utpote
 cui Sacramentum Eucharistia prorsus ni-
 titur. Itaque sermo iste Christi a pane
 Eucharistia incipit, & in illum desinit:
 manducationem interim spiritualement per
 fidem incarnationis recto ordine præmit-
 tens corporali, in quam semper colli-
 mat. Quæ etiam ratio est, quod, cum de

incarnatione est sermo, illam attribuat Patri, non Filio hominis, dicendo vers. 32. *Pater meus dat vobis panem*. Eucharistiam vero tam hic, quam v. 27. tribuit Filio hominis, quia incarnationis Filius hominis ut talis, non causa, sed effectus est. Eucharistiam vero ipse Filius hominis dedit, dum panem sumpsit in manibus, vertitque in corpus suum. Itaque *Panis quem ego dabo vobis in cibum*, in ultima scilicet cœna mea, *caro mea est*, id est, corpus meum. Est enim differentia inter *Corpus & Carnem*, quod corpus præter carnem, etiam ossa, nervos, venas, reliquamque struem comprehendat. *Pro mundi vita*, supple, *danda*; Græce enim clarius, *dabo*, hoc modo: *Quam ego dabo pro mundi vita*, scilicet in cruce, ut Euthimius & Theophyl. Quod addidit, ut per hoc indicaret, se non figuram, vel similitudinem carnis suæ in cœna daturum esse, sed veram carnem suam, illam ipsam, quam erat & in mortem daturus. Qua de causa & in cœna dixit, *Corpus meum*, quod *pro vobis tradetur*, scilicet in mortem, & generis humani redemptionem.

53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem*, Græce (*emachonto pros allelus*,) pugnabant, inter se contendentes, aliis scilicet affirmantibus, aliis cum stomacho contradicentibus; *Quomodo hic potest suam carnem dare ad manducandum?* Intellegebant enim
eam

eam more aliorum ciborum frustatim dis-
 cerpendam, ut notat August. Tract. 27.
 Quæ causa fuit, ut, cum se sæpius Pa-
 nem appellasset, nihil offensi fuerint, fa-
 cile suspicantes, metaphoram aliquam ibi
 latere posse: sed cum dixit, illum ipsum
 panem, quem eis daturus esset, esse
 carnem suam, scandalizati sunt, dicen-
 do, *Quomodo potest hic*, &c. Ubi *Hic* con-
 temptum spirat. *Quomodo* vero esse vo-
 cem Judaicam, notat Cyril. & incredu-
 litatis esse signum, Chrysost. & alii. Quod
 si tantummodo figuram carnis suæ, vel
 nudum panem Christus eis promississet,
 ut Calvinistæ volunt, facillime totam
 contentionem uno verbo sedare potuif-
 set, dicendo, se carnem suam figurate
 daturum, sicut manna figurate spiritualis
 cibus fuerat, & aqua spiritualis potus.
 Sed quia recte intellexerant verba de
 carne Christi, hinc auget sententiam
 præcedentem, gravissimaque confirma-
 tione manducationi carnis suæ, quam
 horrebant, etiam sanguinis sui potum
 adjungit, quo Judæis nihil magis illicitum,
 ac belluinum videri poterat, utpote
 quibus usus omnis sanguinis, nedum huma-
 ni, interdictus erat.

54. *Dixit ergo eis Jesus*, quasi dic. in-
 quit Augustin. *Quomodo* quidem edatur,
 & quis modus sit manducandi istum pa-
 nem, ignoratis; verumtamen *nisi man-*
ducaveritis carnem Filii hominis, id est,

meam humanam, quam oculis vestris cernitis, & biberitis eius sanguinem. Hac ipsa carnis & sanguinis differentia insinuans, se sacrosanctum quoddam convivium, non solum carnis, sed & sanguinis, instituturum: ad quam institutionem adhuc futuram cum respiciat, verba non nisi post illud tempus obligationem manducandi & bibendi adferebant. Porro sensus hujus propositionis compositæ non est disjunctivus, quasi sensus esset: Si vel non manducaveritis, vel non biberitis, &c. sic enim alterutrius speciei prætermissio esset illicita, quod hæretici volunt: sed sensus est copulativus universalis, etiam secundum rigorem Dialecticum. Nam illud, *Nisi*, includit negationem, idem valens quod, *Si non*, & repeti debet etiam in secunda parte propositionis compositæ: quasi diceretur hoc modo: *Si non manducaveritis carnem Filii hominis, & non biberitis eius sanguinem, &c.* hoc est, si nec manducaveritis carnem, nec biberitis sanguinem, non habebitis vitam, supple æternam, ut ipse Christus mox exponit, & August. observat, ne scilicet putarent, de vita temporali esse sermonem. *In vobis*, id est, non perseverabitis in vita, ut sit vobis æterna. Vitam enim jam habere supponuntur illi, qui isto cibo & potu uti debent: nam mortuis non servit cibus aut potus, ut reviviscant, sed viventium vi-

ta, ut perseveret, illis nutriri debet, ut Basil. lib. 1. de baptismo, & Catholici Doctores passim notant. Datur ergo hic præceptum, sub pœna mortis æternæ utendi hoc Sacramento, reipsa vel certe desiderio, si necessitas rem excludat; non tamen utendi hac vel illa specie, ut satis diximus. Ut tamen non solum pœna terreret fastidientes, sed etiam utilitatis magnitudine alliceret, adjungit:

55. *Qui manducat, id est, manducaverit in posterum, meam carnem, & bibit, seu biberit, meum sanguinem, eo scilicet modo, quo manducari, ac bibi debet, ut spiritualis manducatio per dilectionem fidei cum corporali jungatur. Quo sensu Augustin. ait; Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, non manducat & bibit, licet premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Habebit vitam æternam, jam scilicet in se manentem & perseverantem vi talis cibi & potus, utpote qui, quemadmodum est vivus, ita etiam vivificus. Intellige autem, nisi alio ex capite sit defectus, quomodo tales propositiones universales intelligi debent, quemadmodum & de baptismo patet, Matth. 28. & de invocatione, ad Rom. 10. Quia vero perfecta vita æterna non est solius animæ, sed & corporis, de illa subjicit: Et ego resuscitabo eum, gloriosum ejusdem carnis & sanguinis mei virtute, in novissimo die, quan-*
do

do mors Christi, & Sacramenta ejus finem, plenamque perfectionem in electis consequentur. Nam, ut præclare docet Cyrill. lib. 4. cap. 14. & 15. non solum animæ, sed & corpora nostra ex manducatione reali corporis & sanguinis Domini, immortalitatis incorruptionem trahunt. Quod & ante ipsum docuit Iren. lib. 5. c. 2. & lib. 4. cap. 34. Quam vivificationis efficaciam non statim in hac vita exerit caro & sanguis Christi, sed solum in novissimo die: ne scilicet propter removendam mortis molestiam delicatius crederetur in Christum. Nam, ut August. lib. 2. De peccat. meritis, cap. 31. sic homines mortem istam timeant. ut non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quod mori omnino non possent. Sic vero tali beneficio carni quædam felicitas quidem adderetur, sed minueretur fidei fortitudo, quæ per contemptum mortis ad immortalitatem tendit.

56. *Caro enim mea vere est cibus*, id est, non metaphorice, non allegorice, non mystice, sed reipsa & vere cibus & potus sunt, & proinde vere & realiter more cibi & potus manducanda & bibenda, ut vita fervetur, roboretur, augeatur. Hoc ergo addit, tamquam causam præceptæ manducationis; & bis repetit illud, *Vere*, ne quis ænigmaticum & parabolicum sermonem esse crederet, ut Chry-

Chrysoſt. & Euthymius notant. Probat hoc ex effectu cibi & potus, qui eſt uniri & commiſceri viventi: Nam

57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo,* non ſolum per fidem & charitatem, voluntatiſque unitatem, ſed etiam naturali quadam & corporali unione, ſeu commixtione, ſicut Chryſoſt. Hom. 61. ad populum Antioch. Hilar. libr. 8. de Trinit. & accuratiſſime Cyril. lib. 10. in Joan. cap. 13. & lib. 4. cap. 17. explicat hoc exemplo liquefactæ ceræ, quæ alteri ceræ liquefactæ ita commiſcetur, ut unum quid cum ea effici videatur. Hæc autem unio eſt cauſa vitæ; quod ſequentibus verbis tradit:

58. *Sicut miſit me vivens Pater,* quando me hominem fecit, divinitatem humanitati conjungendo; & *ego vivo propter Patrem,* quia ut Deus, a vivente vivens genitus ſum; ut homo, vitam divinitatis ejus, & omnis gratiæ ab eo accepi: ita & *qui manducat me,* manducando carnem meam, ratione cujus factus ſum cibus ſub ſpecie panis. Inſinuat igitur, ſe totum eſſe etiam ſub illa ſpecie, quæ manducatur; cui propterea etiam totum effectum utriuſque ſpeciei tribuit, dicendo, & *ipſe,* id eſt, etiam ipſe, *vivet propter me,* quia ſcilicet vitam meam habet in ſe, ſeu mihi viventi per manducationem meæ carnis unitus eſt. Hic ergo

absolvit Christus probationem versus 55. quasi dic. hoc modo: Caro mea vere est cibus: cibus unitur, misceturque manducanti, unio vero vitam tribuit; ergo qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Itaque rediens ad sententiam primam versus 33. occasione cujus tanta dixerat, concludit sermonem:

59. *Hic est ille panis, qui de cælo descendit*, seu delapsus est, (est enim Præteriti temporis) quia per incarnationem quantum ad rem contentam, panis iste quasi præparatus & coctus fuit: *non sicut manducaverunt Patres*, &c. id est, non sicut manna, seu, non talis est panis, qualis manna, quod manducaverunt Patres vestri, & mortui sunt, id est, & per hoc non potuerunt a morte, sive corporis, sive animæ liberari. Qui vero *manducat hunc panem*, *vivet in æternum*, de quibus vide vers. 49. 50. & 52. Hoc interim hic notandum, quod manducationi sub sola specie panis non minus vitam æternam adscribat, quam si sub utraque specie sumeretur.

60. *Hæc dixit in synagoga*, id est, in loco publico in conventu omnium, *docens in Capharnaum*, celebri civitate. Quæ circumstantiarum expressio eo facit, ut mirabilis ille sermo plus fidei haberet, nec a quoquam confictus putaretur.

61. *Multi*

61. *Multi ergo audientes ex discipulis eius*, id est, ex septuaginta discipulis, ut patet ex vers. 67. & 68. . . . *dixerunt: Durus est hic sermo*, id est, intellectu & creditu difficilis. Tertull. de resurrect. cap. 36. exponit, intolerabilis. Nam ideo subjungunt, *quis potest eum audire?* id est, cujus aures eum ferre possunt, dum se dicit de cœlo descendisse, carnemque humanam comedendam, & sanguinem bibendum præcipit? Nam hoc ipsum carnaliter intellectum horrorem incutit. Has duas murmurationis causas intelligens Jesus, & ordine refutans,

62. *Dixit eis: Hoc vos scandalizat: id est, hoc vos offendit, & a me alienos facit?*

63. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem in cœlum, supra omnem naturæ creatæ potestatem, ubi erat prius, antequam de cœlo descenderet: idem enim suppositum est, quod & ante propter incommutabilem divinitatem in cœlo erat, indeque humanitatem assumendo descendit, & quod postea per eandem humanitatem ascendit. Est autem apostrophesis, seu reticentia, hoc modo supplenda: Quid tunc dicetis? an adhuc scandalizabimini verbis meis, quibus dixi, me de cœlo descendisse? Sic ergo tollit primam offensionis causam. Nunc ad secundam, qua putabant, carnem ejus*
more

more ferarum dentibus esse laniandam; ut August. Tract. 11. & Cyril. hic.

64. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Quæ verba a Chrysostomo cum suis, itemque Augustin. in Psalm. 98. sic exponuntur, ut significant, carnalem intelligentiam eorum de modo manducandi, nihil ad vitam prodelle, sed spirituales, qua caro Christi reipsa quidem, sed tamen in Sacramento, non sola fide, sed non sine fide, atque dilectione manducanda est. Cui sensui congrue subjungitur: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, id est, non ita carnaliter, ut suspicamini, intelligi debent, sed tradunt res spirituales, æternam vitam adferentes. Non quasi de manducatione carnis figurata, metaphorica, vel per solam fidem loqueretur, ut hæretici somniant, sed quia de manducatione veræ carnis, non tamen carnali, non mortuæ, non discerpendæ, non in propria specie, sed sub speciebus panis tectæ. Idem tamen August. Tract. 27. in Joan. & lib. 10. de Civit. cap. 24. & ex professo Cyrill. in hunc locum, explicant etiam aliter, ut scilicet Christus assignet veram causam vivificationis, quam carni suæ sæpius attribuerat. *Spiritus est, qui vivificat*, id est, divinitas mea carni conjuncta est illa, quæ vitam, de qua locutus sum, tribuit, per ipsam carnem meam: *caro vero sola*,
 seu

seu a spiritu divinitatis separata, non prodest quidquam, ad vivificandum. Cui sensui Augustin. dicit similem esse sententiam Pauli: *Scientia inflat*, sola scilicet sine charitate, *charitas vero ædificat*, etiam per scientiam. Itaque hoc sensu directe tradidisset Christus modum, quo caro sua vitam tribuit, scilicet per spiritum: consequenter vero eam non sic edendam esse, ut putabant, quemadmodum editur caro mortua animalium, sed sicuti spiritu animata, non carnali, sed spiritali modo, nempe sub Sacramento. Spiritualis enim caro spiritali modo edenda est. Itaque verba, quæ ego locutus sum, de manducanda carne mea, *spiritus & vita sunt*, seu spiritus vivens, ut præcesserat, id est, sunt spiritalia, & sic vitam adferunt, vel sunt de spiritu vivificante per carnem intelligenda, non de carne per se sumpta; quam vobiscum fateor non prodesse quidquam.

Ad quid ergo, inquires, caro manducatur, si spiritus solus ad hoc sufficit? Resp. Primo, quia caro vivificans homini vivificando magis congruit. Secundo, quia inæstimabilis dignitatis est, ipsissimi corporis & sanguinis Christi sumptione concorporeum & consanguineum Christo fieri. Tertio, quia maximi momenti est, ad fructum partæ redemptionis assequendum, ipsissimo pretio redemptionis, hoc est, carni & sanguini

Christi pro nobis datis uniri. Quarto, quia hoc efficacissimum est ad sanandam in nobis favientem membrorum legem, ipsi carni Christi, ab omni cupiditate alienissimæ, conjungi & commilceri.

65. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt, mihi docenti, & ideo verba mea non intelligunt. Intelligentia enim ex fide nascitur, juxta illud Isaia 7. secundum LXX. Nisi credideritis, non intelligetis*, quasi diceret, incredulitas quorundam est causa murmurationis, non sermonis duritia: *sciebat enim ab initio, id est, non solum post expertam murmurationem, sed ab initio conversationis discipulorum secum, sciebat, qui essent non credentes, ex discipulis, & quis, impulsus illo spiritu incredulitatis, traditurus, seu proditurus esset eum.* Nam ut S. Leo Serm. 11. De Passione, nihil umquam verborum Domini cordi ejus inhæsit. Hunc ergo insinuat Evangelista hoc Christi sermone ex incredulitate fuisse scandalizatum, & alienato animo tandem in prodicionem erupisse.

66. *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia scilicet quidam ex vobis non credunt mihi, quia nemo potest venire ad me, hoc est, credere in me, nisi fuerit ei datum a Patre meo, ut credat: nam est explicatio ejus, quod dixerat vers. 44. Nisi Pater meus traxerit eum, quia, ut August. libr. 1. ad Bonifac. cap. 3. Ille tra-*

trahitur ad Christum, cui datum fuerit a Patre, ut credat in Christum

67. *Ex hoc, tempore istius duri sermonis, multi discipulorum eius abierunt retro, Græce* (ap lithon eis ta opiso,) *abierunt ad ea, quæ retro, hoc est, ad pristinum vitæ modum, quem deseruerant. Quod magis explicat, addendo: & jam non* (Græce *kæ huketi, & non amplius,*) *cum illo ambulabant; sicuti solebant. Ubi Augustinus notat in Psalm. 54. primam hæresim in discipulis Christi velut ad duritiem sermonis ipsius factam esse; intellige circa Eucharistiam. Christus ergo ne turbari vel angî videretur eorum discessu,*

68. *Dixit ad duodecim, qui remanebant: Numquid & vos vultis abire? offensi doctrina mea, ut quæratís alium doctorem? quasi insinuans, hoc per se licere. Qua libertatis & optionis permissione significabat, quod ipse illis, non illi Christo essent necessarii, ut August. notat Tract. 11. ut videlicet ita magis eos ad remanendum accenderet, omnibusque pateret, quod neque vi, neque ignorantia, neque verecundia retineretur, ac denique ut sequentem confessionem eliceret.*

69. *Respondit ergo Petrus, nomine totius collegii Apostolici, cujus caput erat, ut Cyrill. notat, & cujus sententiam exploratam se habere putabat: Domine, ad quem ibimus, te relicto? quasi diceret,*

non inveniendum esse similem: cujus ratio sequitur, quia verba æternæ vitæ habes, id est, non dura, non quæ ferri nequeant, ut alii putant, sed vere divina & vivifica, quibus qui obtemperant, vitam æternam assequuntur. Alludit enim ad verba Christi v. 63. & tacite refutat murmur infidelium. Unde adjungit:

70. *Et nos credidimus*, jam ante, tum Joanni testificanti, tum tibi, & intelligentia fidem consequente, etiam cognovimus, ex factis tuis mirabilibus, quia tu es Christus Filius Dei vivi: Græce (*ho Christos ho hios tu deu.*) ille Christus, ille Filius Dei vivi & veri, ut observat Cyril. Quibus paucis verbis summam fidei Christianæ complectebatur, insinuans, se verba Christi, quantumvis minus intellecta, vel dura, majestatis intuitu amplecti tamquam veracissima. Christus vero emendans Petrum, quatenus indicaverat, omnes credere, ne forte visa postea proditione Judæ, se quoque deceptum fuisse suspicarentur, respondit:

71. *Nonne ego vos duodecim elegi*, in domesticos & Apostolos, & tamen ex vobis unus diabolus est: id est, diabolicum, mihi que adversantem animum gerit? Neminem exprimit, ut omnes solliciti essent ac timerent, juxta August. & Cyrill.

72. *Dicebat autem*, id est, notabat his verbis, Judam, Simonis filium, Iscariotem,
de

de quo dictum Matth. 10. . . . *Hic enim erat traditurus eum*, id est magnum illud scelus proditionis commissurus, cum esset, id est, quamvis esset unus ex duodecim, electis ad Apostolatam. Quod autem Deus tam exiguum numerum duodenarium noluit esse sine malo, hoc ad exemplum nostræ patientiæ valere voluit, quoniam necesse erat, ut inter malos viveremus, ut Augustin. in Psalm. 34.

CAPUT VII.

1. **P**ost hæc ambulabat Jesus in Galilæam, Græce est, in Calilæa, sicut paulo post etiam, in Judæa: & significatur, quod perambulare opida Galilææ, declinando Judæam stricte dictam, in qua templum erat & Pascha debebat celebrari. Causa erat, quia quærebant eum Judæi interficere, propter rationem assignatam, c. 5. v. 16. & 18. quæ etiam tangitur hoc cap. 7. versu 20. & 21. Itaque datur hic ratio, cur non perrexerit in Judæam ad Pascha celebrandum, quod cap. 6. v. 4. proximum fuisse dixerat, nempe periculum vitæ. In quo, ut August. infirmitati nostræ exemplum præbere voluit, pericula prudenter declinandi, quando non postulat charitas, ut vita profundatur.

2. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum*, Græce (*he ortē*) *festum Judæorum*: non enim erat unus dies, sed durabat per septem continuos dies, Levit. 27. Dicebatur autem *Scenopegia*, Græce (*Skenopegia*,) hoc est, *tabernaculorum fixio*, quia mense septimo sub dio in tabernaculis habitabant, in memoriam habitationis per quadraginta annos in deserto, & protectionis divinæ. Unum erat ex festis tribus, quibus debebatur comparere coram Domino, ut patet Deuteron. 16. v. 16.

3. *Dixerunt autem ad eum Fratres ejus*; quo nomine ex consuetudine Scripturarum vocantur quilibet consanguinei, ut notat Aug. Fratres ergo, sive ex parte matris vere cognati essent, sive ex parte Joseph esse putarentur. *Transi hinc*, &c. quasi dic. Quid hic in Galilæa obscurus delitescis? Sunt enim verba reprehendentium, & ipsa reprehensione exhortantium, ut iret in *Judæam*, Jerosolymam scilicet tamquam ad theatrum mundi, ut indicatur fuisse Act. 2. vers. 5.... *Ut & discipuli tui*, id est, studiosi doctrinæ tuæ, quos illic tibi conciliasti, neque te sequuntur quaquaversum, videant opera tua, quæ facis, admiranda, hoc est, ut etiam ibi eadem facias mirabilia, quæ videant.

4. *Nemo quippe in occulto quid facit*, id est, nemo aliquid præclarum faciens, latebras

tebras quærit, aut quærere debet, & *quærit ipse in palam esse*, id est, sed e contrario desiderat publico innotescere. *Si hæc facis*, id est, quandoquidem opera tam admiranda perperas, *manifesta te ipsum mundo*, id est, redde te celebrem universis hominibus, Jerosolymam proficiscendo, ut scilicet ibi a Sacerdotibus & Scribis approberis.

5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*, tamquam Christum, quem se esse assererat; quamvis id verum esse desiderarent, propter gloriam, quæ inde ad se redundaret. Nam ex humanæ gloriæ desiderio eos hæc verba dixisse, notat August.

6. *Dixit eis Jesus: Tempus meum*, mihi opportunum, ut proficiscar in Judæam, & mundo manifestus, *nondum advenit: tempus autem vestrum*, proficiscendi Jerosolymam, *semper est paratum*, id est, opportunum, utpote quibus ibi nihil periculi imminet: nam hanc rationem subjicit:

7. *Non potest mundus odisse vos*, quia nulla in vobis odii causa est, utpote quorum vita & sermo non multum a mundi moribus discrepat: *me autem odit*, quia *testimonium perhibeo de illo*, id est, testor ac doceo, quod opera eius mala sunt. Talis autem veritas reprehensionis odium parit, quia ut Cyrill. animus voluptati deditus graviter fert, si a voluptate re-

vocetur. Et quantumvis omnes homines ament veritatem lucentem, oderunt tamen redarguentem: amant eam, cum seipsam indicat; oderunt eam, cum eos ipsos indicat; ut August. 10. Confess. cap. 23. Ideo igitur

8. *Vos ascendite ad diem festum, ego autem non ascendo.* Et tamen constat ex versu 10. eum ascendisse. Itaque Porphyrius apud Hieronym. lib. 2. contra Pelagianos, hinc arguebat Christum inconstantiæ, quod tam cito mutasset propositum. Laborant autem plerique, ut hæc concilient. Cyrill. negat, eum ascendisse, celebrandi scilicet festi causa: August. Tract. 28. exponit, eum non ascendisse gloriæ suæ causa, sicut fratres ei consulebant. Sed expeditior solutio est, quam ibidem August. suggerit, & ipse textus indicat: quia non ascendit ad diem festum illum, hoc est, ad primum vel secundum diem festivitatis, sed ascendit sequentibus diebus, ut indicatur versu 14. Vel facilius adhuc dici potest, quando dicitur, *non ascendo*, illud Latinum, *non*, poni pro eo, quod in Græco est, (*hupoa*,) *nondum*: nam Græce habetur hic eadem vox, quæ versu 6. ubi dicit, *Tempus meum nondum advenit*: & quæ habetur hoc eodem versu; *Meum tempus nondum impletum est*, quod scilicet ego propterea exspecto. Quo impleto

10. *Tunc*

10. *Tunc & ipse ascendit*, cum scilicet fervor Judæorum aliquantulum fortasse deferbuisset; ut minore cum periculo venire posset. Ascendit autem, *non manifeste, sed quasi in occulto*: quia neque recta via profectus est, sed per diverticula & devia, transmissio scilicet Jordane per Peræam, ut ex collatione Evangeliorum colligitur: neque cum comitatu, ut adventui suo celebritatem adimeret.

11. *Judæi ergo, principes scilicet, querebant eum in die festo*, ut eum apprehenderent, & dicebant: *Ubi est ille?* Quam esse vocem contemptus, notat Chrysost. cum suis.

12. *Et murmur multum*, id est, multa mussitatio, variæ scilicet variorum sententiæ erant, *in turba de eo*.

13. *Nemo tamen, eorum, qui defenderent eum, palam, Græce, (parresita, libere, seu cum libertate) loquebatur de illo*: nam, ut August. *Seducit turbas*, clarius sonabant; *Bonus est*, pressius susurrabant; *propter metum Judæorum, Principum*, quibus eum invisum esse sciebant.

14. *Jam autem die festo mediante*, hoc est, cum ejus jam esset medium, quarto scilicet festivitatis die, qui inter septem medius est, *ascendit Jesus in templum*, publice scilicet, & præsentibus ibi inimicis, *docebat*. Ut satis hinc pa-

teat, antea exempli nostri causa, eum, ut diximus, latuisse, nunc vero divinæ suæ potestatis ostendendæ causa prodiisse, ut utrumque notat Augustin. Tract. 29.

15. *Et mirabantur, dicentes: Quomodo hic litteras scit, Scripturas scilicet sacras, quas allegat, ac divina mysteria, cum non didicerit?* quia multi noverant, inquit Augustin. ubi natus, quemadmodum fuisset educatus, quem tamen nunquam viderant litteras discentem.

16. *Respondit Jesus; Mea doctrina, quam vobis trado, non est mea.* Quam apparentem contradictionem solvit Athanas. Serm. 2. contra Arianos, & brevius Augustin. hoc loco, cum dicit: Doctrina Christi ipsius erat, quia Christus erat verbum, in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi; & ipsius non erat, quia verbum necesse est, ut alicujus sit. Quid vero tam tuum, quam tu? & rursum, quid tam non tuum, quam tu, si alicujus es, quod es? unde & Christus adjicit, *sed ejus, qui misit me*, id est, Patris, a quo sicut essentiam, & scientiam, & sapientiam, ita & doctrinam accepi. Unde cap. 8. *Sicut me docuit Pater, hæc loquor.*

17. *Si quis voluerit ejus voluntatem facere; conformando voluntatem & facta sua præceptis Dei, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit:* intellectus enim bonus omnibus facientibus eam. Nam, ut Augustin.

gustia. quæst. 96. super Exodum, Prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito devotionis istius ipse perducatur? *An ego a meipso loquar*, id est, an mea doctrina humano sensu inventa sit, Deoque contraria? Hoc enim dicit, *a meipso*, ita scilicet ut non sit ex Deo, quod necesse est Deo esse contrarium. Nam

18. *Qui a semetipso loquitur*, tamquam auctor atque inventor doctrinæ suæ, gloriam propriam quærit, id est, affectat gloriam proprii ingenii & inventionis, ut inde ab hominibus in pretio habeatur; *Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum*, Dei scilicet, quemadmodum me ubique facere videtis, *hic verax est*. Immediate dicendum erat, *hic a seipso non loquitur*, & consequenter, *verax est*, deferens auctori suo id, quod ei debetur: & *injustitia*, id est, impostura injusta, qua studio adulandi fallat aliquem, *non est in eo*. Nullam enim adulandi vel fallendi causam habet, sed doctrinam Dei, sive gratam, sive ingratam, auditoribus sine dissimulatione tradit. Et hætenus de primo capite Judaicæ accusationis, quod Patrem suum diceret Deum: nunc ad alteram, quod legem Moysis & sabbatum violaret.

19. *Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?* quasi dic, Nonne

ne vos ipsi solvitis legem Moysis, cuius transgressionem mihi obijcitis? Ut videlicet hoc modo in ipsosmet accusantes crimen objectum regerat. Sed in quo Judæi non servarent Legem, non ita liquet aut convenit. Chrysost. Cyril. & Augustin. intelligunt, eos non servare Legem, eo quod innocentem occidere vellent, quod lex prohibet; verum tamen 22. videtur magis congruere, ut reminem eorum intelligat facere legem illam, de qua sermo erat, de non violando sabbato, utpote in quo tota illa natio hominum circumcidebat, cum tamen hoc sit violare sabbatum, juxta sententiam illam, qua putabanta Christo sabbatum violari, hominem sanitati restituendo.

20. *Quid ergo me queritis interficere?* scilicet ob violatum sabbatum, cum ipsi vos non minus in eo rei sitis? Quæ verba cum essent ad Principes dicta; Respondit turba, putans & in se esse conjecta, & se criminis illius ream agi: *Dæmonium habes*, mendacii scilicet, & calumniæ istius auctorem: *quis nostrum te querit interficere?* Quibus inconditis turbæ turbatæ verbis, tamquam ex consuetudine hominum irritatorum dictis, Dominus in veritate tranquillus respondit sine maledicto:

21. *Unum opus feci*, sanando unum hominem languidum in sabbato, & omnes
mira-

*miramini: alii indignantes atque damnan-
tes, versu 23. alii saltem mirum judi-
cantes, quod non alio die hoc fecerim,
ut sic nulla in me caderet reprehensio.*

*22. Propterea, ut hanc jam indignatio-
nem vobis auferam, attendite, scilicet
id, quod vobis dicam: Moyses dedit vo-
bis circumcisionem, id est, mandatum de
circumcisione, ut patet Levit. 12. ver-
su 3. ubi dicit, Die octavo circumcidetur
infantulus: quibus verbis circumcisio in
Legis sacramentum transivit: non quia ex
Moysse est, tamquam primo promulgan-
dæ circumcisionis auctore, sed ex Patri-
bus, Abraham, Isaac, & cæteris Moyse
vetustioribus Patriarchis: & in Sabbato,
etiam a Moyse vobis præcepto, circumci-
ditis hominem, si videlicet dies octavus
nativitatis ejus in sabbatum incideret.
His præmissis argumentatur adversus eos
Christus in hunc modum:*

*23. Si circumcisionem accipit homo in sab-
bato, quæ ex suo genere servile quod-
dam opus est, præsertim cum ei-conjun-
gitur, quæ conjungi solet, medicinalis
illa chirurgia, ad sanandum vulnus ne-
cessaria, ut Cyril. notat, ut non solvatur
lex Moysi, id est, ita ut tamen per hoc
non violetur lex de observando sabba-
to: mihi indignamini, quia totum hominem,
id est, toto corpore paralyti dissolutum,
sanum feci in sabbato? Cum scilicet sit hoc
longe remotius ab opere servili, utpo-
te*

te solo jussu factum, sine nulla membri præcisione, vel medicinæ, vel fasciarum applicatione. Itaque

24. *Nolite judicare secundum faciem*, id est, secundum acceptionem facierum seu personarum, hoc est, non ex æquitate causæ, sed ex odio, amore, aut alio affectu erga personam, ad causæ meritum non pertinente: quasi dic. Nolite ex favore Moysen vel vos absolvere, ex odio me condemnare: *sed iustum iudicium judicate*, ex causæ meritis conceptum. Quo tacite eis revocat in memoriam legem Dei, quæ fere eisdem verbis expressa est, Deuterou. 1. verl. 16. & 17.

25. *Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis, Græce (ek ton Jerosolymiton,) Jerosolymitanis*, quibus videlicet magis perspecta erant Principum suorum consilia: *Nonne hic est, quem quærunt interficere?* &c. Sunt verba mirantium, ut August. notat, quæ tandem potentia fieret, ut non teneretur; imo nec verbum ei diceretur, quem antea Principes tanta sævitia persequerentur. Et cum dubitarent, an hoc fieret ex eo, quod agnoscerent, eum esse Christum, respondent sibi ipsis:

27. *Sed, &c. quasi dic. Non est hoc verisimile, quia hunc scimus, unde sit*, hoc est, novimus ejus patrem & matrem, ut est supra cap. 6. v. 42. *Christus autem cum venerit, nemo scit, id est, sciet, unde sit*

fu, id est, ex quibus parentibus. In quam persuasionem inducti sunt, forsan ex verbis Scripturæ male intellectis, ut ex illo Isaïæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* & illo Michææ 5. *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis;* & similibus, quæ de ipsius divinitate loquuntur.

28. *Clamabat ergo Jesus in templo docens & dicens: Et me scitis*, nomen, faciem, conversationem; *& unde sim, scitis*, id est, quibus, ut putatis, parentibus, qua patria natus, ubi educatus: verumtamen adhuc occultior mihi origo est, *quia a meipso non veni*. Ubi per, *veni*, significat, sua se quidem voluntate venisse, sed addendo, *non a meipso*, indicat, hoc suum velle & venire ab alio derivari. Quam ob causam congrue dicitur *missus*: missio enim origo est legationis. Ideoque adjicit: *sed est verus*, absolute & in omnibus, quia & verus Deus, & verus Pater, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, & verum habens Filium, verus in dictis, in promissis, in factis. Hic ergo per omnia verus & verax *misi me*, de cœlo in terram: per quod incarnationem suam indicat: *quem vos nescitis*, supple ex versu seq. quod ab ipso sum, &c. quasi dic. inquit August. Unde sim, scitis, & unde sim, nescitis: insinuans, secundum carnem se illis notum esse potuisse & gente & patria,

tria, secundum divinitatem vero incognitum.

29. *Ego scio eum, quia, seu quod, ab ipso sum, id est, scio, me ab ipso esse per æternam generationem, & ipse me misit, per incarnationem.* Nam, ut August. magnifice utrumque monstravit, *ab ipso sum, quia Filius de Patre natus, & ipse me misit, quia principii generantis auctoritate incarnatus.*

30. *Querebant ergo eum apprehendere, aliqui scilicet de turba verbis illis irritata, ut videtur colligi ex versu 32. utpote quia putabant, se magistratui gratum facturos, vel quia ab eo apprehendendi facultas jam ante data fuerat: & nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora illius, qua teneri & pati decreverat.* Itaque occulta Domini virtus conatum eorum cohibebat. Cum ergo multi alii de turba propter multitudinem signorum crederent, & Pharisei timerent, ne eum omnes sequerentur, dixit Jesus eis, qui missi fuerant ad eum apprehendendum:

33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, id est, quantumvis inter vos constitutum sit, me apprehendere, velitis, nolitis, adhuc modico tempore inter vos conversabor, & illo peracto, propria sponte mea, vado ad eum, qui misit me, per mortem, resurrectionem, & ascensionem in cœlum.*

34. *Quæretis me.* Hic multi intelligunt de quæstione in malum: quasi dic. Etiam post discessum meum quæretis extinguere me, & nomen meum, sed non invenietis: & ita consequenter exponi deberent sequentia: quia *ubi ego sum*, seu *ero tunc*, *vos non potestis venire.* Et iste sensus satis congruit versui 21. Capitis seq. ubi eadem verba illo sensu repetuntur. Christus ipse tamen c. 13. v. 33. repetit eadem sua verba apud Apostolos, & exponere videtur de quæstione etiam in bonum. Itaque sensus esse poterit etiam ille, sine præjudicio sensus præcedentis: Ubi in cælum ascendero, plerique vestrum compuncti quæretis, optabitisque præsentiam meam corporalem, ut me docentem audiat, & signa videatis; sed non invenietis. Ita fere August. *Et ubi ego sum.* Illud, *Et*, est causaliter accipiendum, pro *Nam*, ubi ego tunc ero, & jam etiam sum, propter divinitatem ejusdem suppositi, *vos non potestis*, seu poteritis tunc venire, quamdiu scilicet mortali corpore gravati me quæsieritis. Judæi ergo cum hoc non intelligerent,

35. *Dixerunt ad semetipsos*, id est, inter se: Quo, id est, in quem alium locum orbis terrarum *iturus est*? Non enim apprehendebant rudes homines eum, de cælo loqui. Numquid in dispersionem Gentium *iturus est*? id est, ad dispersas toto

orbe terrarum Gentes? Quomodo & 1. Petri 1. vers. 1. Gentilitas vocatur *Dispersio Ponti, & Galatiæ, &c.* quia Gentes non unam regionem, sicuti Judæi terram Chanaan, sibi assignatam habebant. *Et docturus Gentes?* Græce utroque est (*hellenas,*) *Græcos*, per quos intelligebant reliquas nationes hominum præter Judæos. Nam ex eo tempore, quo Græci rerum potiti fuerant, dividebant Judæi totum orbem in Judæos & Græcos, ut patet ex Apostolo sapius in Epist. 1. ad Romanos.

37. *In novissimo autem die magno festivitatis:* quem aliqui septimum fuisse putant; sed quia Scriptura non notat in feriis Scenopægiæ diem septimum fuisse magnum, imo nec ab opere servili fuisse feriatum, hinc verisimilius est, designari octavum, qui proprio nomine dicebatur, *Dies Cætus atque Collectæ*, quia totus populus eo die confluebat, tamquam postridie domum discessurus. Unde & Salomon die octavo dedicationis dicitur fecisse collectam. Hic ergo dies octavus Scenopægiæ, quia Levit. 23. vers. 36. vocatur celeberrimus, atque sanctissimus, merito debet intelligi esse dies magnus festivitatis: in quo propter frequentissimum auditorium, & jamjam dimittendum, Christus velut viaticum daturus, *stabat*, tamquam rem maxime seriam asserturus; & ex intimo animi sensu

sensu loquens, *clamabat*, ut facilius ab omnibus exaudiretur: *Si quis sitit*, id est, vehementer desiderat, salutem, beatitudinem, & summum bonum; quia sitientium appetitus vehementissimus est: *veniat ad me*, tamquam ad fontem publicum, unde nemine prohibente refecillationem suæ sitis, hoc est, salutem hauriat. Alludere videtur ad locum Isaïæ, 55. vers. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas...* *Et bibat*, potum salutis, quem ego ei propino, Spiritum videlicet sanctum, qui ita sitim ejus implebit, ut nullam umquam inopiam passurus sit. Ut autem intelligerent, quid sit venire ad se, explicando subjungit:

38. *Qui credit in me*, (credendo enim venit, non credendo disceditur) *sicut dicit Scriptura*, diversis locis, magnam Spiritus & gratiæ abundantiam promittens hominibus, ut videre licet Isaïæ 58. vers. 11. Joelis 2. vers. 28. & aliis locis, *flumina aquæ vivæ*, id est, multiplicia Spiritus sancti, & gratiarum dona abundanter, instar fluminum, *fluent de ventre ejus*, id est, non solum ipsum intus reficient, sed etiam ex animo ejus, seu intimis ejus sensibus per omne genus sanctæ operationis in alios erumpent. Hunc esse sensum Evangelista ipse exponit, dum testatur, hoc esse dictum *de Spiritu*, quem accepturi erant credentes, utpote qui dona

sua profundissime instar fluminum in credentes fufurus erat in Pentecoste.

39. *Nondum enim erat Spiritus datus, visibiliter scilicet, & cum tanta plenitudine, signorumque & effectuum gloria. Nam, ut Augustin. omnes Prophetæ, & iusti Spiritum sanctum olim acceperant: sed modus quidam futurus significatur donationis hujus, qui omnino ante non apparuerat. Causa erat, quia Jesus nondum erat glorificatus, per crucem seu mortem, ut Chrysost. cum suis: itemque Hieron. Epist. ad Hedibiam, quæst. 9. Sed rectius August. intelligit glorificationem per resurrectionem, & ascensionem in cœlum, quando exaltatus fuit ad dexteram Patris. Unde Christus ipse ait: Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Causa dilationis istius fuit, quia inordinatum videbatur glorificare Ecclesiam, seu membra Christi, antequam capitis glorificatio completa esset. Quo respexit sanctus Petrus, Act. 2. v. 33. *Dextra igitur Dei exaltatus* (id est, glorificatus) *& promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.* Sic enim patuit, tantam donorum profusionem esse fructum victoriæ, & glorificationis Christi. Cum ergo turba inter se dissentiente, ministri fuissent a Phariseis reprehensi, cur Jesum non addu-*

adduxissent captivum, causam reddiderunt: quia non aut supponit Bonum

46. *Numquam sic locutus est homo, hoc est, cum tanta eloquentia, & efficacia, & vi spiritus: nam ex solo concionandi modo aliquid divinum in eo latere judicarunt.*

47. *Responderunt Pharisei, cæteris magis implacabiles: Numquid & vos, qui nobis ministerio & clientela estis obstricti, seducti estis, verborum ejus pulchritudine, ut ei tamquam Prophetæ, vel Messiae adhæreatis?*

48. *Numquid ex Principibus aliquis, auctoritate scilicet præcellentibus, aut ex Phariseis, sanctitate aut Legis peritia eximiis, credidit in eum, quos scilicet tuto sequi possitis? Errore enim sæculari arbitrabantur, ex personis fidem, non ex fide Personas, æstimari oportere, ut Tertull. de Præscript cap. 5. Sed Christus in illis initiis non multos sapientes secundum carnem, potentes, aut nobiles vocavit, qui sua auctoritate alios provocarent, ne divitiis, potentia, honore, favore, sæculari sapientia homines ad se traduxisse videretur.*

49. *Sed turba hæc, quæ non novit legem, & ideo non servat eam, neque in credendo, neque in agendo, dum istum loco Prophetæ vel Messiae tam facile contra Legem recipiunt, maledicti sunt, juxta id, quod Lex dicit Deuter. 27. v. 26. Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.*

50. *Dixit Nicodemus ille, qui venit ad eum nocte: ideoque tunc non incredulus quidem, sed adhuc timidus, nunc vero paulo constantior, ut qui auderet eorum furorem saltem ad examen revocare:*

51. *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius, id est, Numquid lex Dei quemquam condemnari finit inauditum, ut ab ipso, præsente scilicet, causa ejus diligenter cognoscatur, utrum reus sit, an non; quantumcunque multos habeat accusatores? ut notat Basilius in Moralibus, reg. 54. cap. 5. Quod & Judæos observasse patet ex forma condemnandi Susannam, itemque Romanos, ex Act. 25. v. 16. Hinc & Deuter. 13. v. 14. sollicitè & diligenter Lex veritatem quæri jubet, antequam ad punitionem procedatur. Itaque Nicodemus non tam Jesum defendit, quam Legem, ut ei efficacius profit: credebatur enim, inquit August. quia si tantummodo eum vellet patienter audire, forte similes ministris credentibus fierent.*

52. *Responderunt, & dixerunt ei, ferocius cum convitio: Numquid & tu Galilæus es? ut scilicet propter communem patriam ei faveas? vel potius sensus videtur: Numquid, & tu ex discipulis ejus es? Nam, ut postea discipuli glorioso nomine dicti sunt Christiani, ita antea probroso videntur dicti Galilæi, quia plerique tales erant, & quia Christus ipse in*

in Galilæa educatus fuit. Unde ancilla Lucæ 22. probat, Petrum esse discipulum Christi, quia Galilæus erat: & Julianus Apostata morti proximus exclamabat, *Vicisti Galilææ.... Scrutare Scripturas, & vide, quia a Galilæa Propheta non surgit.* Græce (*egēgertai*,) surrexit, id est, deprehendes, nullum hæctenus Prophetam ex Galilæa prodiisse, & proinde neque hunc esse Prophetam vel Messiam. Ineptum plane argumenti genus: sic enim & Eliæ auctoritatem elevare potuissent, dicendo, quod ex habitatoribus Galaad Propheta non surgeret; & omnium eorum, qui primi ex aliqua gente excitantur. Interim consilium Nicodemi illum successum habuit, ut reverteretur unusquisque in domum suam, re videlicet infecta, & nihil decernendo adversus Jesum.

C A P U T VIII.

1. **J**esus autem, tamquam carens hospitio, nemine illud offerente, perrexit in Montem Oliveti, in hortum scilicet Gethsemani, situm ad latus occidentale montis Olivarum: nam illic Christum frequenter convenisse cum discipulis suis testatur Joannes infra c. 18. v. 2. idque ad orandum & pernoctandum

sub dio, ut colligitur ex Luc. c. 21. v. 37. & ex historia passionis.

2. *Et diluculo iterum venit in templum,* ubi pridie docuerat. Cum ergo adduxissent ei mulierem, *deprehensam in adulterio*, in ipso scilicet facto per testes, ita ut negari non posset; dixerunt ei:

5. *In Lege Moyses mandavit nobis huiusmodi, mulieres, lapidare.* Lex tam Levit. 20. v. 10. quam Deuter. 22. v. 22. tantum decernit pœnam mortis, nulla facta mentione lapidationis: sed verisimile est Judæos, sive ex regula interpretandi Scripturas, sive ex traditione, extendisse lapidationem, cujus fit mentio loco Deuter. cit. in versu, tam antecedente, quam sequente, etiam ad mœchos: de quo latius diximus in locum Levit. allegatum. *Tu ergo quid dicis?* Non tamquam Judex, sed tamquam Magister ac Doctor.

6. *Hoc autem dicebant tentantes eum,* hoc est, non discendi, sed experimentum sumendi causa, utrum aliquid ex ore ejus elicerent: *ut possent accusare eum,* nempe ut, si lapidandam censeret, famam mansuetudinis apud populum amitteret, imo adversus finem propositi sui agere videretur, qui dixerat, se venisse, non ut judicet mundum c. 3. v. 17. si autem non lapidandam diceret, eum Legi, vel traditioni, & consequenter cathedræ Moysis contrarium clamarent,

Jesus

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, in pavimento scilicet templi, seu in pulveribus ejus formando characteres, quia sub dio erat. Quid scripserit, alii aliud conjectant. Ambrosi. putat, eum scripsisse id, quod habetur Matth. 7. v. 3. Qui videt festucam in oculo fratris, &c. D. Thomas in Comment. cum aliis, sentit, eum scripsisse idem, quod ore dixit, Qui sine peccato est vestrum, &c. Causa, cur scriberet, juxta August. lib. 4. de consensu c. 10. fuit, ut significaret, illos in terra scribendos, non in caelo. Eutymius tamen & alii quidam putant, Christum scribendo, & quasi aliud agendo, judicium istud declinare voluisse, & captiosam quaestionem a se avertere, adeoque contemnere. Unde editio Complutensis addit in Græco, (μεγ προπιμενος.) dissimulans, seu quaestionem non ad se trahens: quemadmodum prudentes viri nonnumquam facere solent. Cui bene respondet id, quod sequitur;

7. Cum ergo perseverarent interrogantes, erexit se, Quo insinuatur, Christum non nisi coactum importunitate respondisse. Perseverabant autem interrogare, quia & ipsi suspicabantur eum tergiversari tamquam perplexum. Dixit &: Qui sine peccato est vestrum, id est, ex vobis, Per quod omnes intus ad interiorem judicem revocat: taciteque significat, eos non minoribus criminibus obnoxios esse. Pri-

mus in illam lapidem mittat, quasi dic. Mulierem quidem dignam lapidatione iudico, sed non est congruum, ut in illa punienda Lex impleatur a puniendis; ut videlicet transgressor transgressorem iudicet, inquit August. Itaque neque Legem læsit, nec muliereum damnavit, sed ita temperavit responsionem, ut & iustitiæ de vindicta criminis, & Legi ac mansuetudini satisfaceret, & ferociam accusantium deprimeret.

8. *Et iterum se inclinans, scribebat in terra,* tamquam rediens ad opus præmeditatum, quod ipsi interruperant, idque ut clementissimus Iudex daret eorum verecundiæ spatium recedendi, ut notat Hieron. libr. 2. contra Pelagianos.

9. *Audientes autem, & ista altissima iustitiæ regula tamquam telo percussi,* inquit August. quia videlicet redarguti propria conscientia, unus post unum exhibant, pudore profitendi se sine peccato, & timore audiendi pejora, incipientes a senioribus, eo quod ipsi plura haberent crimina, qui diutius vixerant, vel quia priores vim sententiæ intellexerant, quasi prudentiores, ut Ambros. Epistol. 58. *Et remansit solus Jesus, & mulier in medio stans,* nempe coram Jesu, Apostolis, & auditorio.

10. *Erigens autem se, dixit: Ubi sunt, qui te accusabant?* Quo significat, se cum Scribis & Phariseis hætenus egisse, tamquam

quam cum accusatoribus, non iudicibus. Unde etiam dixerat, *primus lapidem mittat*, eo quod hoc solet esse testium, non iudicum. Eaque de causa facilius etiam fuerat accusatores ab instantiæ severitate compescere, quam Iudices a condemnatione rei convicti. *Nemo te condemnavit?* id est, te nemo lapidavit, juxta sententiam condemnationis a me latam? Non enim agebatur de convincendo, sed de puniendo crimine.

II. *Nec ego te contemnabo.* Quibus verbis, inquit Ambros. Epist. 76. dimittitur mulier, non absolvitur, quia de erat accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur Judæi, qui priores a persecutione criminis, & ab executione supplicii destiterunt? Et quando quidem accusatore deficiente liber sit reus, addit Jesus, *Vade*, libera quidem a supplicio, sed jam amplius noli peccare: ut se homini pepercisse, non hominis culpam sibi placuisse monstraret, inquit August. Epist. 54.

12. *Iterum ergo locutus est eis Jesus*, id est, perrexit sermonem a Judæis interruptum facere, videlicet ad populum, qui vers. 2. dicitur ad eum venisse; dicens: *Ego sum lux mundi*, non solum quatenus sum Sapientia & Veritas, in æternum manens, sed etiam quatenus in carne vivo. Nam de verbo incarnato dixit Isaias, cap. 9. *Populus qui ambulabat*

in tenebris, vidit lucem magnam: & Christus ipse c. 9. v. 5. Quamliu sum in mundo, lux sum mundi. Itaque sum lux mundi, seu mentium humanarum, ita ut illa lux per verba, per conversationem, per mores, per totam corporis compositionem resplendeat, adeoque ut per sensus etiam externos hominum observari, & morum regula esse possit: & ideo, qui sequitur me, verbo doctrina, & exemplo prælucem conversationi suæ, non ambulat in tenebris, id est, non vivet in erroribus, aut peccatis; utrumque enim damnat ac tollit doctrina, & conversatio mea: sed habet lumen vitæ, æternæ, inquit August. cum scilicet ad metam ambulationis suæ pervenerit. Nam, ut est Psal. 35. Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

13. *Dixerunt: Tu de teipso testimonium perhibes: ideoque testimonium tuum non est verum, quemadmodum scilicet tu dixisti capite 5. v. 25. Sed tunc loquebatur ad hominem, hoc est, secundum morem inter homines usitatum; ubi propter suspicionem falsitatis, quæ ex amore sui nasci solet, homini de se testificanti non creditur: quem morem tunc Dominus non tamquam omni ex parte verum probavit; sed saltem circa se Phariseorum causa admisit, utens aliis notioribus de se testimoniis. Hic vero totam auctoritatem*

tatem suam, etiam ratione divinitatis sibi competentem proferre volens, docet, casum dari, in quo rectissime suo de se uti posset testimonio: ita tamen ut *testimonium suum verum sit*. Ratio est, quia scio, id est, accuratissima cognitione comprehendendo, unde veni, nempe ex sinu Patris, in hunc mundum, tamquam Deus ex Deo; & quo vado, iterum scilicet ad Patrem, absoluta dispensatione legationis meæ. Quibus verbis breviter complectitur omnia de se credenda, videlicet & se Deum esse ex Deo, & initium ac finem incarnationis suæ, ac proinde sibi maxime credendum esse: quia, ut Chrysost. Deus sibi ipsi idoneus testis est: &, ut August. lumen idoneum est, ut & alia demonstret & se. Vos autem nescitis, unde venio, aut quo vado, id est, ignoratis originem & egressum meum ex Patre, & regressum ad Patrem.

15. Vos secundum carnem judicatis: id est, secundum suggestionem carnis, & affectuum carnalium vestrorum: itemque secundum infirmitatem carnis meæ oculis vestris conspicuam pronuntiatis de me. Ego vero non judico quemquam, supple secundum carnem, sicut supplet August. id est, nihil pronuntio de me, aut de aliis ex affectu carnali, & ex iis, quæ solis sensibus foris apparent. Proinde.

16. Si judico ego, id est, testificor quippiam de me, aut aliis, *judicium meum verum est*, id est, testimonium illud meum legitimum est, & non suspectum. Nam, & præcedentia & sequentia aperte postulant, ut *Judicare*, & *Judicium*, pro *Testari* & pro *Testimonio* sumantur. Quia solus non sum, qui scilicet testimonium de me perhibeo: sed ego, & qui misit me, Pater, hoc est, quia duo sumus.

17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum, nihil in se divinitatis habentium, *testimonium verum est*, id est, pro vero, & legitimo recipiendum est, ita ut ei sit standum: quanto magis testimonium Patris & meum? Alludit enim ad locum Deuter. 19. v. 15. Nunc vero.

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & Pater. Quibus verbis explicat id, quod dixerat v. 16. nempe duos esse, qui de se testimonium perhibeant, seipsum scilicet tamquam Deum, & Patrem suum; quorum uterque per os humanæ naturæ Christi, & per opera mirabilia de Christo testimonium ferebat.

19. Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? satis animadvertentes de alio Patre, quam de Joseph esse sermonem: dissimulant tamen, & quasi per ludibrium rogant, ut clarius expressum in calumniam trahant. Respondit Jesus, palam eis exprobrans ignorantiam, occulte autem satis.

fatisfaciens quæstioni, ut calumniæ non pateret locus: *Neque me scitis, sicuti putatis, neque Patrem meum.* Quamvis enim eum noveritis aliquatenus sub ratione Dei; non tamen sub ratione Patris mei: quasi diceret, inquit Augustin. Dicitis, *Ubi est Pater tuus?* quasi jam me sciatis, & quasi totum hoc sim, quod videtis. Si me sciretis, id scilicet, quod potissimum sum secundum divinitatem meam, & præsertim secundum proprietatem divinitatis meæ personalem; forsitan & Patrem meum sciretis. Pro, forsitan, eadem vox Græca (an) infra, cap. 14. versu 7. transferatur, utique: *Patrem meum utique cognovissetis*, hoc est, sciretis me, æternum habere Patrem, qui me ex utero ante luciferum genuit æqualem sibi: non enim potest intelligi in divinis Filius sine Patre, neque contra.

31. *Dixit ergo iterum eis Jesus*, quia in perversa voluntate apprehendendi eum perseverabant: *Ego vado*, ex hoc mundo ad Patrem, quasi dic. Non fitis anxii de me tollendo, non diu hærebo inter vos: moriar enim brevi; scelere quidem vestro, sed sponte mea: & *queretis me*, non desiderio, sed odio, inquit Augustin. ut eradatis nomen meum de terra viventium, & in peccato vestro, odii mei, moriemini. Ubi sententiam condemnationis eis prædictam esse ex ore veritatis, notat idem August.

August. quamvis nonnulli hoc tantum dictum esse velint ratione periculi, in quo versabantur. *Et quo ego vado*, per mortem regnaturus apud Patrem, vos non, seu numquam, potestis venire, impediti scilicet illo odii, & incredulitatis peccato.

22. Dicebant ergo Judæi, ad se invicem mussitantes: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado (quibus verbis videbatur significari spontaneus, ac propriæ actionis & voluntatis discessus) vos non potestis venire. Intelligebant enim hæc, quasi dixisset: Interficiendo meipsum, effugiam manus vestras. Nuper cap. 7. vers. 35. aliam conjecturam multo benigniorem ex iisdem verbis fecerant; utramque vero, quia ignorabant, eum habere potestatem ponendi animam suam.

23. Et dicebat eis, id est, & addebat Jesus verbis suis; non enim tam est responsio, quam continuatio sermonis præcedentis, cui Evangelista illam impiam conjecturam Judæorum interposuerat: Vos de deorsum estis, id est, de terra, & ita terram lapitis; terrenis cogitationibus impleti: ego de supernis sum, id est, de cælo ex Patre natus; ideoque cælestia loquor & sapio. Vos de mundo hoc estis, & proinde pleni iis, quæ in hoc mundo corrupto sunt, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; ego non sum de hoc mundo, quia

quia a mundi vitiis & concupiscentiis ejus, vanitate & pravitate prorsus liber.

24. *Dixi ergo vobis, merito, scilicet quia tales estis, quia moriemini in peccatis vestris.* Nam ex illa mundana prudentia eorum nascebatur acerbissimum istud odium in Jesum, ex odio incredulitas, quæ fidem in Mediatorem, unicum remedium liberationis, excludebat. Nam hoc est, quod addit; *si enim non credideritis, quod eos non facturos prævidebat, & prædixerat, tacite suggerens modum, quo possent a peccatis liberari; quasi diceret, ex opposito: Ergo si credideritis, non moriemini in peccatis vestris.* Atque ita in spem aliquam revocavit eos, qui erant ex eis credituri: non enim omnes erant reprobi, ut hic August. *Quia ego sum, absolute.* Respicit enim ad locum Exodi 3. vers. 14. ubi Deus admirabile nomen suum exprimens, dicit Moyse: *Ego sum qui sum.* Quo nomine docet Augustinus proprie significari immutabilitatem esse divini, & consequenter æternitatem, infinitatem, &c. hoc est, esse divinum principio & fine carens. Hoc enim proprie dicitur esse, quod numquam mutatur, id est, cujus futurum numquam transit in præteritum, sed semper est. Unde istud, *Nisi credideritis, quia ego sum, idem est, quod, Nisi credideritis: quia ego sum Deus, ut*

fufius Auguftin. Vide dicta Exodi 3. Quia vero Chriftus non explicaverat, quidnam vel quisnam efferet, putantes, aliquid fubaudiri, dicebant ei:

25. *Tu quis es?* quibus refpondit: *Principium*, qui & loquor vobis, id eft, principium omnium creaturarum, qui etiam per affumptam humanitatem vobis loquor, prout exponit Ambr. lib. 3. de fide c. 4. & aliis locis, Auguft. fæpius, Profer, Bernard. & alii Latini. Sed textus Græcus omnes, maxime recentiores torquet, in quo illud, *principium*, eft quarti cafus, & pro *qui*, eft *quia*, vel *quod*, (*τὴν ἀρχὴν ἡο τικὰ λὰο ἡμῖν*.) Neque poteft referri ad *principium*, tamquam relativum ejus, quia genere differunt. Itaque Auguft. Tract. 28. in Joan. dicit, Chriftum refpondere non ad verba, fed ad mentem Judæorum, qui dicendo & interrogando, *Ti quis es?* tacite rogabant, Quem vis te effer credamus? quibus refpondet Chriftus? *Principium*, fupple, me credite. Quæ constructio quia durior eft, hinc alii aliis multis modis, fed a Latino textu valde recedentibus, difficultatem expedire conantur. Dicendum videtur, illud (*ἀρχὴν*) Græce poni adverbialiter, ut fubaudiat præpositio (*κατὰ*,) quemadmodum fubauditur, quando dicunt (*τὸ τέλος*,) id eft, *finis*, pro *tandem*, *denique*, *in fine*. Et ita fensus erit: *A principio*, fupple, *ego fum*, quia
omni

omni tempore prior sum, apud quem non est fuisse vel fore, sed immutabiliter semper esse: *qui*, vel *quia* (in idem enim redit) etiam *loquor*, seu dico hoc ipsum *vobis*, quando dixi, *Ego sum*. Hic sensus Græci textus videtur commodissimus, & vulgato textui maxime vicinus, & vix differt ab illo primo sensu Ambros. August. & aliorum antiquorum, qui non tam verba Græca, quam sensum reddiderunt.

26. *Multa habeo vobis loqui*, id est, quæ de vobis loquar & exoptulem, & *judicare*, id est, imo propter quæ vos merito condemnare possem (ingratitude & incredulitatem eorum præcipue notat;) *sed qui misit me, verax est*, quasi dic. Sed omissis omnibus illis, hoc unum vobis dicam, ad redargutionem infidelitatis vestræ, quod Pater, qui misit me, verax est: & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, id est, & nihil loquor in hoc mundo, nisi quæ a verace audiui; ac proinde necesse est, veram esse doctrinam meam, cui tamen credere & obedire recusatis.

27. *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum*, id est, non observarunt, seu non intellexerunt, quod de Deo tamquam Patre suo naturali loqueretur: nescientes videlicet, quid sibi vellet in illis verbis, versu 25. Quod pro-

mittit eos aliquando cognituros, addendo:

28. *Cum exaltaveritis Filium hominis, in cruce, prout explicat ipse Evangelista cap. 12. vers. 33.... tunc cognoscetis, ex miraculis in passione contingentibus, ex successu eventuum prædictorum, ex signo Jonæ Prophetæ, hoc est, resurrectione, & ex mirabilibus, quæ post ascensionem acciderunt, quia ego sum, id est, me Deum esse æternum, & immutabilem. Et ne putaretur Pater, subjungit, prout notat August. & a meipso facio nihil: id est, cognoscetis, me non esse primum actionum mearum principium, sed esse Deum de Deo, a quo habeo omnia, quæ sum, & facio; quia sicut docuit me Pater, hæc loquor. Docuit autem Pater, quatenus sciens scientem genuit: nam quemadmodum illi gignendo dedit, ut esset, sic gignendo dedit, ut nosset. Non enim sic docuit, quasi indoctum genuerit, sed in natura simplici veritatis, hoc est esse, quod nosse, ut August. Tract 40.*

29. *Et qui misit me, id est, cujus auctoritate tamquam paterna incarnatus sum, mecum est, id est, non recessit a me, etsi non simul incarnatus sit: & non reliquit me solum, id est, misit quidem, sed non dimisit, seu non deseruit me, neque secundum divinitatem, neque secundum humanitatem. Cujus rei argumen-*

mentum, ac signum est, *quia quæ placita sunt ei, facio semper*, cum ipso scilicet ut Deus, cuncta componens, & ordinans, & gubernans sine intermissione, tamquam ejusdem cum ipso voluntatis & operationis: ut homo vero nihil volens, aut faciens a paterna voluntate dissentaneum. Ex quo patet, quam accurate, quam studiose, ac sollicitè Christus omnia sua deferat Patri tamquam principio ac fonti. Ut ita nos doceret rem gravissimam maximeque necessariam, videlicet, ut animus noster, Deo tamquam principio semper inhæreat, & ad illum cuncta referat, ne aliquid sibi referat, ne aliquid sibi reservando, vel sibi placendo, quodammodo sibi suum fiat principium, & per superbiam cadat, ut August. 14. de Civit. cap. 13. Cum ergo ei loquenti multi credidissent, dicebat eis Jesus:

31. *Si vos manseritis in sermone meo, id est, perseveraveritis in fide, & obedientia verborum meorum, veri discipuli mei eritis, id est, tunc vere merebimini nomen discipulorum, quia fructum ac fidem discipulatus allequemini: vitam scilicet æternam, juxta illud, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Qui enim credunt, & in tempore temptationis recedunt, non merentur nomen discipulorum Christi. Quo vero fructu futuri sint discipuli, exponit addendo:*

32. *Et cognoscetis veritatem*, proficiendo ad rerum creditarum intelligentiam. Fides enim est, inquit August. credere, quod non vides; veritas (seu cognitio veritatis) videre, quod credis: qui est fructus fidei. *Et veritas*, credita, atque cognita, *liberabit vos*, id est, ex servis liberos faciet, sicut Græcum (*eleutheroſei*) sonat, libertate scilicet proprie dicta, & opposita servituti, qua concupiscentiis peccatorum dominantibus servitis; ut videlicet deinceps Deo, non timore pœnæ, sicut servi, sed ingenuo amore ipsius Dei, seu justitiæ serviatis. Ita plerumque August. ut Serm. 48. De verbis Domini, lib. 1. operis imperf. contra Julianum, & aliis locis. Quem sensum & ipsa cohærentia verborum sequentium postulat: nam illi ex Judæis, qui increduli remanserant, audito nomine liberationis

33. *Responderunt ei: Semen Abraham sumus, & nemini servivimus umquam.* Quod si de se intelligant, verum dicunt, quia Romanorum erant servi, seu mancipia, sed politico jure subditi, & ingenui: sin de majoribus, splendidum mendacium fuisse testatur servitus Ægyptiaca & Babylonica. *Quomodo tu dicis: Liberi eritis?* quasi scilicet liberi non simus, vel ante non fuerimus, quandoquidem libertas, de qua tu loqueris, non sit nisi a servitute. Quod cum Christus refutare potuisset,

tuiſſet, etiam juxta carnalem eorum intellectum; offendere tamen maluit, ſe non de corporis, ſed animi libertate loqui.

34. *Reſpondit ergo: Amen, amen, id eſt, quam veriffime, dico vobis* (nam ſuperlativum, ſeu exceſſum, Hebræi ſæpe repetitione ejusdem vocis expri- mere ſolent.) *quia omnis, qui facit peccatum, ſive de cætero ſit corpore ſervus, ſive liber, ſervus eſt peccati, dominantis arbitrio ejus. Nam peccato perpetrato non ſolum non poteſt homo viribus ſuis inde liberari per remiſſionem peccati, ſed etiam deſiderio peccandi ita tenetur obſtrictus, ut niſi gratia retineat, in alia deinceps peccata præcipitetur: quod Apoſtolus vocat regnare peccatum, ac dominari peccatum. Ubi nomine Peccati certum eſt, intelligi imperioſam illam concupiſcentiam, quæ ſervos ſemper ad peccata ſollicitat, & certiffime impellit, niſi vi majore gratiæ compeſcatur: & eam hoc quoque loco intelligi Auguſtin. tradit. Ab hac ergo peccati ſeu concupiſcentiæ peccandi ſervitute liberantur illi, quos veritas per potentem gratiam, ſeu juſtitiæ oppoſitiæ delectationem liberos facit: quæ libertas arbitrii, & oppoſita ei ſervitus, luculente deſcribitur ab Apoſtolo, ad Roman. 6. verſ. 12. uſque ad finem, & 2. Petri 2. verſu 16. Ut autem magis eos terreat, explicat con-*

ditionem talis hujus servitutis & libertatis, adhibita similitudine ex jure politico.

35. *Servus autem non manet in domo in æternum*, id est, hæc est conditio servorum, ut non semper maneant in familia, sicuti filius jure suo tamquam heres, sed ejicitur, aut venditur, cum domino placuerit. Relinquit autem eis tacite supplendam alteram similitudinis partem, nimirum, ita justo Dei judicio servus peccati ex domo Dei ejicitur. Nam in hujus rei figuram Ismael tamquam servus ejectus fuit, juxta illud Scripturæ, *Ejice ancillam & filium ejus*: Isaac vero tamquam filius est retentus.

36. *Si ergo vos filius*, id est, ego, qui sum veritas illa, de qua ante locutus fui, *liberaverit*, ab ista servitute peccati, cui obstricti estis, *vere liberi eritis*, non solum libertate civili, de qua gloriamini, sed libertate vera animi: quæ in eo sita est, ut homo neque concupiscentiæ peccatorum in se dominanti, consequenter neque dæmoni, sed soli Deo per charitatem sinceram tamquam filius serviat.

37. *Scio, quia filii Abrahæ*, Græce, (*sperma*,) *semen Abrahæ*; respicit enim ad verba illorum versu 33. ut retundat eorum gloriationem de patre Abraham: *sed queritis me interficere*, quia *sermo meus non capit in vobis*, id est, non invenit locum

locum in corde vestro. Retenta est enim phrasis Græca (*ouchorei en humin.*) tam inusitata, quam Latina, qua tribuitur sermoni id, quod cordibus conveniebat. Significabat enim, eos propter servitutem peccati, non capere sermonem suum, seu sermonem non capi ab eis: quo sensu alibi dicitur, *Non omnes capiunt verbum hoc.*

38. *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor, hoc est, Veritatem vidi, veritatem loquor,* inquit August. & simili modo, *vos, quæ vidistis apud Patrem vestrum, facitis,* dum scilicet quæritis me interficere, & sermonem meum repellere. Relinquit eis tacite subsumendum: sed non vidistis hoc apud vel in Abraham, ergo ille non est pater vester, sed alius aliquis sceleratior. Quam argutationis tacitæ vim cum Judæi satis intelligerent.

39. *Responderunt: Pater noster Abraham est,* apud quem scilicet nihil mali exempli vidimus. *Dicite eis Jesus: Si filii Abraham estis, legitimi, & benedictionis ejus hæredes, opera Abraham facite,* quia veri filii Abraham, censentur non filii carnis, sed filii promissionis, seu gratiæ Dei; hoc est, non qui ex Abraham carne nati sunt, sed qui per gratiam Dei renati, imitantur fidem & opera Abraham, sicut docet Apostolus ad Rom. 4. & ibid. c. 9. vers. 7. & 8. & ad Galat. 3. vers. 7.

40. *Nunc autem quæritis me interficere, &c. Hoc Abraham non fecit. Ergo non potestis*

jactare, vos esse filios Abrahamæ genuinos, sed potius ad dedecus vestrum degeneres.

41. *Vos facitis opera patris vestri*, id est, opera consentanea operibus patris vestri, nempe alterius quam Abrahamæ, qui homicida non fuit: quem patrem eorum intelligit esse diabolum, ut sequitur versu 44. sed eum ante non clare exprimit quam eos a filiatione tam Abrahamæ quam Dei exclusisset. Itaque cum animadverterent, non de carnali generatione, sed de spiritali Christum loqui, hoc est, non de carnis propagatione, sed de vitæ institutione, inquit Augustin. scirentque, idololatriam in Scripturis fornicationem vocari, quando Diis falsis & mutis anima tamquam prostituta subjicitur; *dixerunt ei: Nos ex fornicatione non sumus*, id est, non fornicatoribus seu idololatræ, sed ex veri Dei cultoribus: proinde unum Patrem habemus, videlicet Deum, quem tamquam Patrem religionis nostræ, verumque Deum colimus & imitamur. Nihil habes igitur, quod nobis objicias de patre nostro, neque secundum carnem, neque secundum spiritum.

42. *Dixit ergo eis Jesus: Si Deus vester Pater esset*, adoptione, & vos germani filii Dei, *diligeretis utique me*, qui sum Filius Dei naturalis. Non est enim filii adoptivi filium ejusdem patris naturalem odisse, aut non diligere: *Ego enim*

enim ex Deo processi, ut Filius unicus, ut æqualis, ut verbum Patris, ait Augusti. & veni, in mundum per incarnationem: neque enim a meipso veni; proprio scilicet consilio, secluso Patre, sed ille me misit:

43. *Quare loquelam meam non cognoscitis? hoc est, si Deus est pater vester, ut gloriamini, cur non agnoscitis linguam seu idioma meum, cum sit divinum, utpote & patris vestri & fratris vestri? Nam conterranei, & præcipue domestici, linguam suam invicem familiarissime intelligunt: quia, id est, nisi quia, (est enim magis increpatio, quam responsio) non potestis audire sermonem meum, id est, præ animi aversione, & odii magnitudine me neque loquentem ferre potestis. Unde Sapientiæ 2. versu 15 dicunt Judæi de Christo: Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, &c Quapropter ut apertius vobis loquar,*

44. *Vos ex patre diabolo estis, non creatione, aut generatione, aut adoptione; quibus modis dicuntur in Scripturis filii alicujus, sed morum imitatione, ut Augustin. quomodo omnes credentes vocantur filii Abrahæ. Unde & Christus quasi rationem redderet istius filiationis, subjungit: & desideria patris vestri, de me occidendo jam diu meditata, vultis*

vultis facere, ea ad effectum deducendo. Explicat autem duo tantum genera desideriorum diaboli, quæ Judæi accurate exprimebant, homicidium & mendacium. Nam ille homicida erat ab initio, hominis scilicet conditi, quia primis parentibus peccatum persuadendo, totum genus humanum occidit, juxta illud Sapientiæ 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Unde eodem homicidii amore docuit paulo post Cain occidere fratrem suum, quia, ut Basil. Homil. de Invidia, illam artem nemo adhuc hominum illo tempore excogitaverat. Deinceps vero ipse est, qui bellis & homicidiis infinitis totum orbem implevit & implet. *Et in veritate*, id est, amore possidendæ, dicendæ & faciendæ veritatis *non stetit*, id est, non permansit. Ergo in veritate fuit aliquando, sed non stando ac perseverando, de veritate lapsus est, ut notat hic August. Significatur enim mutatio ejus in deterius, a veritate ad fraudes & mendacia. *Quia non est veritas in eo.* Signum redditur, non causa ejus, quod in veritate non stetit, ut idem notat 11. de Civit. cap. 14. quasi dic. Quod ex eo perspicuum est, quia nunc in affectu ejus non est veritas, eo quod eam non diligit, neque in dicendo, neque in faciendo. Insinuat ergo, eum creatum fuisse in veritate: neque enim fieri potest, ut a Deo extra veritatem creetur.

Ergo

Ergo cum nunc in eo non sit veritas, merito arguitur, non quod in veritate non fuerit, sed quod in ea non steterit, id est, perseveraverit. Itaque cum loquitur mendacium, quod sit, quandocumque aliquis contra id, quod sentit, loquitur voluntate fallendi, prout definit August. in Enchiridio c. 22.... *ex propriis loquitur*, quia diabolus non aliunde mendacium accepit, sicut ille, cui ab alio persuadetur mendacium. Hunc enim sensum Christus ipse declarat, addens: *quia mendax est*, id est, quia diligit mendacium. Sic enim distinguitur *Mentiens* a *Mendace*, quod *Mentiens* est etiam, qui mentitur invitatus; *Mendax* vero amat mentiri, atque habitat animo in delectatione mentiendi; *mentiens* videlicet sola mentiendi fallendique libidine, ut August. libr. De mendacio c. 11. & 14. & *pater eius*, supple mendacii, quod præcessit, hoc est, primus auctor, & inventor mendacii, utpote quod ipse a nemine didicit, quam a seipso, & statim primis parentibus persuasit. Nam, ut idem Augustin. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium; & ideo est pater mendacii, sicut Deus est pater veritatis.

45. *Ego autem*, quomodo textus Græcus & August. *quia veritatem dico, non credidistis mihi*. Significatur ergo summa per-

verfi-

veritas eorum, quod ideo ei non crederent, quia dicebat veritatem, cum e contrario magis unicuique credendum sit, quia veritatem dicit. Contingere autem hoc solet ex odio dicentis, & ex amore vitii, quod arguitur. Adfert hoc Christus argumentum, quod sunt filii diaboli, qui amat mendacium.

46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* id est, Quis redarguet, seu argumentis convincet de ullo peccato, maxime mendacii, aut falsitatis in dicendo ac docendo? supple, ut propter hoc non videamini mihi credere. Si autem *veritatem dico vobis*, irrefragabilem, *quare non creditis mihi?* cum scilicet nullam causam non credendi mihi, nec ex doctrina, nec ex verbis, nec ex moribus meis prætexere possitis: quasi dic. Quare non creditis, nisi quia non ex Deo, sed ex patre diabolo estis, cui invisæ est veritas? Hanc enim causam tacite tangit, quando subjungit:

47. *Qui ex Deo est*, tamquam Patre per imitationem, & animi morumque similitudinem, *verba Dei audit*, id est, ea libenter accipit, tamquam auribus, affectui, & moribus suis consona. Propterea autem *vos non auditis*, id est, non recipitis ac diligitis verba Dei, *quia ex Deo non estis, sed ex patre diabolo*. Quod ideo dicit, non ut propterea excusabiles viderentur, sed ut de illa perversitate

tate compuncti, aures audiendi a Deo peterent.

48. *Responderunt ergo Judæi, quasi lacerasti hac invidia: Nonne bene dicimus nos, id est, optimo jure dicere solemus inter nos: numquam enim leguntur hoc expresse objecisse Christo; quamquam nihil vetet, sæpius objectum fuisse, licet non sit scriptum, ut notat Chrysostom. quia Samaritanus es tu, origine, affectu, religionis Mosaicæ, & gentis contemptu, moribus, & demonium habes, quod scilicet tibi & verba illa inspirat, & signa in te perpetrat? Itaque quia Christus negaverat, eos esse ex patre Abraham, & asseruerat, esse ex diabolo; reddunt ei in utroque convitiando talionem, dicendo, eum esse ex infami stirpe Samaritanorum, & a diabolo agitari. Primam calumniam, quia notorie falsa erat, negligit: ad secundam vero, quæ atrocissima erat, & omnem detrahebat fidem dictis factisque suis, respondit Jesus summa cum mansuetudine & clementia, qui summa cum vehementia improbitatem eorum redarguebat, ut utrumque notat Chrysost.*

49. *Ego demonium non habeo, id est, nihil mihi cum dæmone commercii, sed honorifico Patrem meum, id est, in omnibus gloriam Dei Patris mei specto ac tueor, etiam dum vos homicidas ac mendaces non sino filios Dei atque Abrahæ*

hæ vocari: & *inhonorastis me*, tanta me afficiendo contumelia, ut non possitis atrociori.

50. *Ego autem*, ne me putetis contumeliis vestris angere, non quæro gloriam meam, id est, non admodum curo, non affecto, non propugno: *Est qui quærat*, supple *gloriam meam*. Intelligit Patrem inquit August. & *judicet*, id est, ulciscatur contumelias meas, ut non putetis eas vos impune laturos. Itaque neglectis contumeliis eorum, pergit asserere fructum doctrinæ suæ, quasi connectens hæc verbi sui 31. & 32. ex quibus postrema Judæorum contradictio nata fuerat.

51. *Si quis sermonem meum servaverit*, fide & opere, mortem non videbit in æternum, id est, non experietur mortem æternam: subinsinuans, mortem quidem temporalem visurum, sed ab ea transiturum ad vitam æternam.

52. *Dixerunt ergo Judæi*, quasi audito ingenti paradoxo: *Nunc cognovimus*, certo certius, quia demonium habes, cujus instinctu tantam arrogantiam spirantia verba loqueris. Nam *Abraham mortuus est*, & *Prophetae*, qui tamen sermonem Dei servaverunt: & tu dicis: *majora quasi arrogans verbis tuis, quam Deus suis*: *Si quis sermonem meum servaverit*, &c. quæ Christi verba ipsi quasi de morte temporali dicta arripuerant.

53. Num-

53. *Numquid tu major es Patre nostro Abraham? &c.* Consequentia postulabat, ut dicerent: Numquid tu major es Deo? & qui te audiunt, major es Abraham, & Prophetis? sicut Chrysost. notat: sed contenti sunt dicere, *Numquid tu major es Abraham, &c?* eo quod perabsurdum illis videretur, eum vel Abrahamo & Prophetis majorem dici. Necessse enim erat eum, qui sua auctoritate quemquam ad vitam revocat, esse majorem eo, qui necessitate moritur: & Prophetæ mortui sunt, id est, & Prophetis, qui mortui sunt. *Quem te ipsum facis, per ipsam tuam jactantiam?*

54. *Respondit Jesus, ad illud scilicet, quod proxime præcedit, Quem te ipsum facis? ... Si ego glorifico meipsum, id est, si ego verbis illis magnificis propriam gloriam capto, meipsum laudando, sicut vos putatis, gloria mea nihil est, id est, inanis est, quia ex parte laudantis, nullius omnino apud homines auctoritatis est, nec veram gloriam inter homines facit: sed est Pater meus, qui glorificat me: oraculis Prophetarum, testimoniis de cælo, miraculis indubitatis, testando, vera esse, quæ dico, & me talem esse, qualem dico. Quod si quæritis, quis sit Pater meus? is, inquam, est, quem vos dicitis, quia Deus vester est, ne forte putetis, testimonium ejus a vobis repu-*

diari posse. Significat igitur, se esse Filium illius Dei naturalem.

55. *Et, pro sed, non cognovistis eum, neque ut Patrem meum, neque ut glorificantem me signis ac miraculis: Ego autem novi eum, utpote Filius ejus naturalis. Quod iterum arrogantiae videri poterat; sed non ita arrogantia caveri debet, ut veritas relinquatur, inquit August. ideoque addit: Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, quia contra mentem meam, & conscientiam loquar, more vestro, qui veritati etiam agnitæ resistitis, & non agnitam vos scire dicitis. Sed scio eum, cujus signum est, quia sermonem, id est, mandata, ejus servo: tacite indicans, eos non servare, ideoque non cognovisse Deum, & mendaces esse. Nam, ut apertissime dicitur 1. Joan. 2. v. 3. & 4. In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit, se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Amota igitur jactantiæ opinione, jam ex ipso Abraham ostendit, eum non ægre laturum fuisse, quod ei præferretur.*

56. *Abraham pater vester, quem mihi objicitis, exultavit, id est, gessivit, seu summo affectu desideravit, ut videret diem meum. Quod August. nonnumquam exponit de illo die, qui nullo finitur crastino, nullo prævenitur hesterno, hoc est, de ipsa æter-*

æternitate, in qua Filius coæternus est
 Patri, prout loquitur lib. De peccato
 orig. cap. 27. Sed verisimilius est per
 Hebraismum, diem Christi vocari tem-
 pus, quo vixit mortalis in hoc mundo,
 quod Abraham videre desideravit; quia
 desideravit videre vicinam salutem, &
 omnium Gentium benedictionem in semi-
 ne suo, hoc est, Christo. Ex quo colli-
 git August. ibid. fuisse Abraham fide in-
 carnationis ejus imbutum. *Vidit*, reipsa,
 inquiunt aliqui recentiores, Deo scili-
 cet illi revelante in limbo, ubi tunc de-
 gebat. Sed communis veterum inter-
 pretatio est, Christum loqui de visione,
 vel per fidem, vel per particularem
 & propheticam revelationem. Itaque
 eum vidisse diem Christi, quando Fi-
 lium immolare voluit, atque arietem
 cornibus inter vepres hærentem vidit:
 uterque enim Christi patientis typum
 gessit. Ita Chrysof. Theophyl. itemque
 Iren. c. 14. & 15. Vel vidisse, quando
 jussit, ut servus poneret manum suam
 sub femore ejus, & juraret per Deum
 cœli. Quo significabat, Deum cœli de
 femore suo nasciturum, ut Augustin.
 tum hic, tum loco supra citat. *Et gavi-
 sus est*, propter beneficii prophetice præ-
 visi magnitudinem. Quo indicat, se Abra-
 hamo longe majorem esse, ut Chry-
 sostom.

57. *Dixerunt ergo Judæi, existimantes; hoc dici de corporali visione per oculos carnis: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* qui tot sæculis vixit. Supponunt enim, Christum vidisse Abrahamum, tamquam tempore cœtaneum. Colligit ex his verbis Iren. lib. 2. capite 40. Christum tunc temporis excessisse annum quodragesimum, & quinquagesimo propinquasse. Sed argumentum est inefficax; utuntur enim numero longe majore annorum, quam revera Christus exegerat, ut efficacius eum refutarent.

58. *Dixit eis Jesus: Antequam Abraham fieret, Græce (perin genesthai, factus seu natus esset) ego sum.* Quo vocabulo, *Essendi*, constans & immobilis æternitas ejus exprimitur: ideoque non dicit, *fui*, aut, *eram*, sed *sum*: sicut olim dixerat Deus ad Moysen, *ego sum, qui sum*, Unde & August. hic notat illud, *fieret*, ad humanam facturam; *sum*, vero ad divinam subsistentiam pertinere, omnis scilicet temporis & mutationis expertem.

59. *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, tamquam in blasphemum, juxta Legem Levitic. 24. versu 16. ubi tales jubentur lapidari.* Intelligebant enim, eum asserere voluisse istis verbis divinitatem suam. *Jesus autem abscondit se, invisibilem se reddendo insidiatoribus, ut notant Theodorus Heraciensis in Catena Græca,*

ca, & ex illo Theophil. & Euthym. *Et*, sic inconspicuus per medium eorum, prout additur Græce & Syriace, *exiit de templo*. Nam alioqui in templo omnibus præsentibus non erat locus abscondendi se in atrio templi.

CAPUT IX.

1. *Et præteriens, per viam, in ipso* scilicet egressu de templo, (indicat enim Evangelista ista sermonis continuatione, paulo post eadem die hoc magnum miraculum editum fuisse, ut jam non verbis, sed rebus ipsis probaret Judæis divinitatem suam) *vidit hominem cæcum a nativitate, & proinde naturalibus remediis incurabilem.*

2. *Et interrogaverunt eum discipuli: Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, &c.* id est, cujus peccato factum est, ut hoc singulare malum cæcitatæ ei infligeretur? Nam quamvis nossent, nulli malo obnoxium futurum fuisse genus humanum, nisi peccatum originale præcessisset, suspicabantur tamen particularia quæque mala non obvenire cuiquam sine particulari vel suo, vel parentum delicto. Tollit hanc falsam suspicionem respondendo:

3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, supple, ut cæcus nasceretur, ut*

notat August. & Chrysostom. Nam quamvis prima transgressio sit fons generalis omnium miseriarum nostrarum, causa tamen proxima, cur hoc vel istud huic vel illi obtingat malum, non est semper proprium vel parentum peccatum, sed in diversis valde diversa est, & aliquando (sicut in hoc cæco) causa est, ut manifestentur opera Dei in illo, scilicet sanando: hoc est, ideo cæcitas hæc, juxta vitiosam dispositionem, vel materiæ, vel generantium, obtingere permessa est, vel etiam inflictæ est, ut occasio daretur operandi illustre miraculum, quo Dei potestas, & bonitas glorificetur. Quod quia per ipsum Christum explendum erat, addit:

4. *Me enim oportet operari opera ejus, qui misit me*, id est, Dei Patris opera, quæ scilicet mihi tamquam legato suo edenda præcepit, ut per ea homines ad fidem & salutem adducam. Nam de operibus legationis, vitæque temporalis Christi sermonem esse, patet ex eo, quod sequitur: *donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. Diem vocat præsentis vitæ tempus; Noctem, mortem: quia sicuti dies hominibus ad operandum opportuna est, nox vero importuna; ita & vita mortalis Christi destinata erat implendæ per ipsum legationi, a morte vero cessandum.*

5. *Quamdiu sum in mundo, id est, in vita hac mortali, lux sum mundi, doctrina, conversatione, & moribus, exemplar vitæ Evangelicæ me præbendo, & intus gratia, foris miraculis persuadendo.*

6. *Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit super oculos ejus, quo scilicet etiam videntes facilius excæcantur quam cæci sanantur, ut ita magis vim miraculosam suæ operationis ostenderet, ut Chrysost. notat Hom. in Epist. 1. ad Corinth. Idem vero observat hic, sicut & Iren. lib. 5. cap. 13. Christum hoc facto probare voluisse, se eundem esse, qui totum hominem ex luto fecerat, dum partem, quam imperfectam reliquerat, ex eodem luto perfecerat. Miscuit autem sputum, ut ostenderet, quam salutaris esset, & medica caro sua.*

7. *Et dixit ei: Vade lava in natatoria Siloe, Græce, (eis tes columbedran, in piscina) ut vertitur cap. 5. vers. 2. seu in lavacro Siloë. Est autem Siloë fons ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis (hoc est, perpetuis) sed incertis horis diebusque ebullit, & per terrarum concava & antra cum magno sonitu venit, prout Hieron. in versu 6. c. 8. Isaïæ dicit, se non dubitare posse, eo quod in illa provincia habitaret. Hic autem sumitur Siloe pro piscina, seu receptaculo*

culo aquarum ex illo fonte tandem confluentium: quod interpretatur *Missus*, quia derivatur ex Hebraico verbo *Schalach*, id est; *Misit*. Significare voluit Evangelista, interpretationem istam ad rem præsentem spectare, sive quia nunc sanandus esset cæcus, cum fuisset eo missus, ut canit Nonnus & Euthym: sive ut indicaret, Siloen figuram esse Christi, qui peculiariter tamquam fons omnis illuminationis & gratiæ nostræ, a Patre missus est, ut August. & Theoph. Unde ulterius idem August. notat, cæcum a nativitate significare genus humanum; aquas Siloe, baptismum Christi. *Abiit ergo, & lavit*, nihil hæsitans in fide, nihil in obedientia, nihil disputans, ad quid lutum, ad quid lotio, ut perpendit Chrysost. Ideoque *venit*, id est, rediit, *videns*, ut scilicet gratias ageret curatori suo. Quo insinuatur, sicut & v. 11. quod lavando, hoc est, non nisi absoluta lotione, visum sit consecutus. Post disceptationem igitur aliquam populi, de modo & auctore miraculi istius,

13. *Adducunt eum ad Phariseos, qui cæcus fuerat*, tamquam ad iudices, qui eo diligentius interrogato, & re accuratius perpensa, de tam publico miraculo judicarent.

14. *Erat autem sabbatum, &c.* Quo indicat, hanc fuisse illis dubitandi causam de veritate miraculi, & utrum probandum,

dum, an improbandum esset, quia videbatur religioni sabbati repugnare. Quam falsam opinionem, ut Christus ex Judæis tolleretur, constantissime in sabbatis miracula operatus est. Phariseis vero, aliis aliud sentientibus,

17. *Schisma erat inter eos*, hoc est, diffidium in opinionibus. Ut ergo aliquid certi elicerent, vel forte etiam ut calumniandi miraculi ansam captarent, si cæcus ipse Christum vel reprehenderet, vel eum laudando, causam ejiciendi se ex synagoga præberet, *Dicunt cæco iterum: Tu quid dicis de illo, &c.* hoc est, quid hominis eum esse putas? bonum an malum? Ille autem constanter, quod sentiebat, expressit: *quia Propheta est*; sciebat enim, Prophetas olim miracula faciendo, populumque divina docendo probavisse, se esse servos Dei: nec enim quidquam sublimius adhuc de Christo noverat.

18. *Non crediderunt ergo, quia cæcus fuisset, donec vocaverunt parentes.* Per quod Chrysost. indicari notat, eos multis modis miraculum tegere & abolere voluisse. Sed illa est veritatis natura, ut unde magis oppugnatur, inde magis confirmetur.

19. *Et interrogaverunt eos, primo quidem, Hic est filius vester?* ut scilicet primo constaret, utrum idonei essent ad ferendum testimonium. Deinde, *quem vos*

dicitis, quia cæcus natus est? Ordinatissimum est enim, ut ante constet de ægritudine, ut inde pateat veritas curationis. Ex quo fit, ut qui etiam nunc nova miracula explorant, ante omnia inquirent de veritate ægritudinis. Tertio interrogant: Si cæcus natus fuit, *quomodo ergo nunc videt*; cum hoc sit naturaliter impossibile? Consequens est enim, ut explorata infirmitate, modus curationis indagetur, utrum sit naturalis, an supernaturalis. Ad duo priora respondent affirmative, tertium tergiversando declinant, dicendo:

21. *Nos nescimus*; quia id tam explore non cognoverant, utpote qui curationi ejus non interfuerant: *ipsum interrogate, ætatem habet*: quasi dic. Nullus magis idoneus istius rei testis esse potest, quam ipsemet, qui neque puer est, neque desipit. Ita caute & vere a se amovent responsionis periculum, quia filius minori invidia, & majori fide, rem totam prædicare poterat. Itaque causam talis responsi indicans Evangelista v. 22. dicit, eos timuisse, *ne extra synagogam fierent*, id est, timuisse anathema, seu interdictionem ab ingressu synagogæ, multoque magis templi. Unde id videtur fuisse Judæis olim extra synagogam fieri, quod nunc Christianis excommunicari. Audito igitur, quod esset filius eorum, & cæcus natus,

24. *Dixerunt ei: Da gloriam Deo*, id est, glorifica Deum, confitendo simpliciter veritatem, quasi præsente Deo. Videtur fuisse phrasis & modus adjurandi aliquem, ut hanc gloriam & honorem deferret Deo, quatenus reverendo majestatem, & omniscientiam ejus, palam mallet confiteri veritatem, quam coram eo mentiri, ut patet Josue 7. vers. Scopus tamen Phariseorum fuit, ut negaret, se beneficium a Christo accepisse, ut notat Chrysoft. & August. idque hoc fingendo, sibi aliunde constare, quia videlicet nos, tamquam litterati & sancti viri, & talis rei competentes judices, certo *scimus*, quia *hic homo peccator est*, id est, scelestus & impius, cui proinde nulla ratione potest adscribi curatio tua.

25. *Dixit illis: Si peccator est, nescio*, quia nullum ejus rei argumentum habeo: *unum scio*, quia *cæcus cum essem*, modo *video*, supple, ipsius beneficio; nam tacite redarguit Phariseos. quasi dic. Res ipsa loquitur, utrum peccator, an Propheta sit, qui hoc mihi fecit. Nam sic acceperunt Pharisei responsum ejus, quando dixerunt:

26. *Quid fecit tibi? Quomodo aperuit*, &c. tot iteratis percunctationibus nihil aliud captantes, nisi ut in narrando non constaret sibi, & ita fides ejus vacillaret. Ille pertæsus superfluas interrogationes audire; respondit eis:

27. *Di-*

27. *Dixi vobis jam, &c. Numquid & vos vultis discipuli ejus fieri, scilicet sicut ego?* Est enim hæc confessio discipulatus sui, & simul falsa irrisio Phariseorum, utpote quos sciebat, præ superbia, & odio Jesu nihil ignominiosius sibi ducere, quam discipulos ejus fieri.

28. *Maledixerunt ergo ei, Græce (ελοι-διδ-σαν,) convitiati sunt ei, irritati scilicet tanta mendici libertate, & dixerunt, sequentibus verbis ei convitiantes: Tu discipulus illius sis. Quod maledictum est, inquit August. si cor discutias loquentium, non si verba perpendas. Quidquid enim eo animo profertur, ut alter afficiatur contumelia, maledictum est; licet verbum per se non videatur contumeliosum, ut ait Basil. Interrogatione breviori 24. Nos autem Moyse discipuli sumus, qua particula adversativa indicant, Jesum Moyse esse contrarium. Causam addunt, cur Moysen præferant:*

29. *Nos scimus, ex sacris scilicet literis eruditi, quia Moyse locutus est Deus: ut proinde dubitari nequeat, nos Deum ipsum sequi infallibilem, quando Moyse doctrinam sequimur: hunc autem nescimus, unde sit, hoc est, unde ad nos venerit, & consequenter unde, tam docendi auctoritatem seu missionem, quam doctrinam ipsam acceperit, a Deo, an a seipso. Ille nihil turbatus maledicto, intrepide respondit:*

30. *In hoc enim mirabile est, quia vos, &c.* id est, enim vero mirabile quiddam in hac re contingit, quod vos viri, tam perspicaces ac docti, nesciatis, unde sit: & *aperuit meos oculos*, id est, & tamen aperuit, sive, cum tamen aperuerit meos oculos. Oblique enim perstringit eos, quod ex miraculo illustri nihil moti adhuc missionem Jesu sibi ignotam esse fingerent. Probat autem, eos hoc scire debere:

31. *Scimus autem*, nos etiam idiotæ, ex communi & publica hominum sententia, *quia peccatores Deus non audit*, id est, non exaudit, ut sequitur: nam Græce utrobique idem verbum est, (*akouois*;) *sed si quis Dei cultor est*, non verbis tantum, ac ceremoniis, sed qui per obedientiam mandatorum ejus, *voluntatem ejus facit, hunc exaudit*. Quæ cæci sententia difficultatem habet: nam constat peccatores non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus multis exaudiri a Deo, ut patet ex Publicano: imo & ad miracula facienda, Matt. 7. v. 22. Unde Augustinus tum hic, tum Homilia 43. c. 5. & lib. 2. contra Epist. Parmeniani c. 8. ex professo docet, hanc sententiam esse hominis nondum intus illuminati. Si quis tamen eam, ut generaliter veram accipere velit, exponenda esset, quod Deus non exaudiat peccatores, ad facienda hujusmodi miracula, quibus pro-

probennt innocentiam suam, & se, doctrinamque suam esse a Deo: nam de istis agebatur. Subsumit autem cæcus:

32. *A seculo non est auditum, &c. quasi dic.* Sed in tot signis, & imprimis in hoc tanto miraculo, quod ad confirmationem innocentiae, & auctoritatis suae edidit, palam est, eum esse exauditum a Deo: Ex quo concludit:

33. *Nisi esset hic a Deo, scilicet missus & approbatus, tamquam cultor & observator voluntatis ejus, non poterat facere quidquam, nempe tale, ut jam diximus.* Quasi concluderet: ergo ille homo non est peccator, sed cultor Dei, &c.

34. *Responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, non solum anima peccato infecta, sed etiam corpore abominabilem statum animæ testante: nam, ut Chrysost. & Theophyl. notant, convivium est, quo ei cæcitatem exprobrant: Et tu, ita corpore & anima maledictus, doces nos, Legis peritos & sanctitatis cultores? Cum scriptum sit: Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? ... Et ejecerunt eum foras, extra conclave.* Nam simul e synagoga hunc ejectum fuisse, non est verisimile, quia nondum professus erat, eum esse Christum.

35. *Et cum invenisset eum Jesus, dixit ei, ad consolandam & compensandam illam*
igno-

ignominiam: *Tu credis in Filium Dei, missum scilicet in mundum?* Nam cæcus intelligens, illam quæstionem includere, quod esset aliqua persona visibilis, quæ esset Filius Dei, Respondit:

36. *Quis est, Domine, scilicet ille Filius Dei, ut credam in eum?* Est vox hominis non diffidentis, sed parati credere, seu, ut Chrysost. loquitur, est vox animæ valde desiderantis, & inquirentis, ut eum veritatis amatorem fuisse intelligas.

37. *Dixit ei Jesus, non id, quod brevius erat & clarius, Ego sum, sicut Samaritanæ; sed quod erat modestius & ad incitandum efficacius, in tertia persona: & vidisti eum, quando absterfa cæcitate, in gratiarum actionem redivisti.* Quo verbo revocat ei memoriam præstitæ sanitatis. Sed quia illud, *vidisti*, adhuc dubium erat verbum, addit manifestius: *& qui loquitur tecum, ipse est.*

38. *At ille ait: Credo Domine.* Compendiose profitens, & Deum habere Filium, & eum esse incarnatum, seu hominem factum, adeoque ipsum esse Jesum, qui loquebatur. *Et procidens adoravit eum,* fidem suam nou verbo tantum, sed & opere protestando. Itaque adoratio hæc fuit fidei, quam profitebatur, congrua, hoc est, adoratio latriæ, soli Deo debita.

39. *Et dixit Jesus, circumstantibus* scilicet occasione cæci, animo jam videntis, sic tamen, ut ad corporalem ejus illuminationem & cæcitatem alludat: *In judicium ego in hunc mundum veni*, id est, veni, ut faciam judicium, seu discretionem hominum in duas contrarias partes: ita videlicet, *ut qui non vident*, animo, simpliciter scilicet ignorantes res salutis suæ recessarias, & ignorantiam suam agnoscentes, *videant*, id est, per fidem illuminentur; & *qui vident*, sua scilicet opinione, sicut exponit Christus vers. 41. hoc est, qui sibi persuadent, omnia se nosse, nec indigere doctrina mea, *cæci fiant*, id est, animo excæcentur per incredulitatem. Nam talibus, cujusmodi Pharisei erant, contingit id, quod Apostolus de Philosophis dicit, *Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt*. Itaque illud, *in judicium*, & particula, *ut*, non scopum, aut finem adventus Christi in hunc mundum significant, sed effectum potius, seu consecutionem: nam proprio vitio excæcati sunt superbi ex ipsa luce, id est, doctrina & miraculis Christi.

40. *Et audierunt quidam ex Phariseis, qui eum quaquaversum sequebantur, ut observarent, quid diceret, atque faceret, & dixerunt ei: Nunquid & nos*, id est, etiam nos, qui legis peritia excellimus, *ut aliorum doctores, cæci sumus?*
per

per adventum videlicet tuum omni
scientiæ nostræ luce privati? Videbant
enim, se notari, ideoque rogant, ut
rem paradoxam & per se absurdam,
quemadmodum putabant, clarius ex-
primat.

41. *Dixit eis Jesus: Si caci essetis, cor-
pore, inquit Chrysoſt. & Theophyl. Sed
multo rectius exponitur, ut sit antithe-
ſis ad id, quod ſequitur, dicitis, quia
videmus. Itaque ſi caci eſſetis, iudicio
ſcilicet veſtro, id eſt, ſi vos cæcos eſſe
adverteretis, cæcosque fateremini, ut
exponit Auguſtin. peccatum non haberetis,
id eſt, jam videretis; nam ipſa cæcitas,
ſeu incredulitas eorum peccatum erat.
Ideo autem peccatum non haberetis,
quia cæcitatſ conſcii ad me medicum
ſanandi curreretis. Nunc vero dicitis, quia
videmus, id eſt, perſuaſi eſtis, vos eſſe
ſapientes, nec indigere ullius doctrina.
Peccatum veſtrum manet, id eſt, perſidia &
incredulitas, qua me repelliti, tamquam
non neceſſarium, perſeverat in vobis
ſine ulla venia, aut excuſatione.*

CAPUT X.

1. **A**men, amen dico vobis, Pharifæis
inprimis: nam ex v. 19. &
21. videtur hic ſermo occasione cæci
T. III. O paulo

paulo ante sanati habitus, ut scilicet Christus declararet, non esse veros pastores ovilis Dei, qui excluderent eos a synagoga, qui eum Messiam esse faterentur. *Qui non intrat per ostium, via scilicet regia, in ovile ovium, sed ascendit aliunde, per fenestram scilicet, aut fracto pariete, ille fur est, & latro, ille judicari solet fur & latro: fur, qui id, quod alterius est, suum esse putet; latro vero, qui quod est furatus, occidat, inquit Augustinus.*

2. *Qui autem intrat per ostium, via legitima. pastor est ovium, id est, per hoc tamquam primum & capitale argumentum ostendit, reipsa se pastorem esse. Alterum autem argumentum est, quod*

3. *Huic ostiarius aperit, non furi, aut latroni. Loquitur enim Christus de ovili, quasi magni patris familia, in qua quispiam constitutus est, qui claves omnium portarum curet. Et oves vocem ejus audiunt, id est, discernunt eam, tamquam vocem veri pastoris sui, eique obediunt: non sic voci furis, aut latronis: Et proprias oves vocat nominatim, id est, suas sibi proprie commissas, singillatim ad se vocat, ut curet singulas, & ducit eas, ad pascua, non ad lanienam, sicut fur & latro. Hæc sunt alia tria indicia veri pastoris.*

4. *Et cum proprias oves emisit, ante eas vadit, id est, præcedit eas, ut eis viam mon-*

monstret ad pascua, & defendat in periculis. Hoc est sextum veri pastoris argumentum. Septimum vero, *Et oves illum sequuntur*. Causa est, quia sciunt vocem ejus, id est, quia alluetæ sunt fibilis & sonis ejus.

5. *Alienum autem, furem scilicet, aut latronem, tamquam aliena voce sibi loquentem, non sequuntur.*

6. *Hoc proverbium dixit eis Jesus, id est, hanc parabolam, ex vulgari usu desumptam. Proverbium enim alioquin brevis est & vulgo trita sententia: Parabola vero prolixior sermo multumque figuratus, & ideo etiam plerumque obscurus. Atque hac de causa Pharisei & Judæi non cognoverunt, quid loqueretur eis, id est, quid sibi vellet ille sermo, seu quem sensum innueret. Per quod indicatur, eos cognovisse, quod ellet parabola ex rebus rusticis petita, sed sensum ejus ignorasse. Voluit itaque Christus in hac parabola delineare conditiones pastoris ovilis sui, seu Ecclesiæ suæ: Primo, quod intrat per ostium, non ascendens aliunde, id est, non intrudens se in superiorem locum regendi, sicut fur clanculum & per fraudes, vel sicut latro per violentiam. Tali ergo ostiarius Christus, vel Spiritus sanctus aperit. Oves voci ejus obediunt, & ille nominatim novit & vocat singulas ad se gratia sua, tamquam quas nomi-*

natim descriptas habet in libro vitæ, singularumque curam gerit. Præcedit eas exemplo vitæ bonæ, & oves eum imitantur, quia sciunt vocem ejus, ut qui potenter eas ad imitationem sui voce, & moribus, & gratia provocet. Porro per *Oves* hic intelliguntur non omnes fideles, quemadmodum Joan. ult. nec omnes iusti, sed soli electi, sicut patet v. 14. 15. 16. 26. & 27. & inprimis 28. Nam quamvis ovile sit tota Ecclesia, non tamen ita vocatur, quod omnes & solas contineat oves, sed quia oves, id est, electi, præcipua Ecclesiæ membra sint stabilia, & propter quos Ecclesia instituta est, & unde ovilis nomen sortitur.

7. *Dixit ergo eis iterum: Ego sum ostium ovium*, de quo scilicet in parabola locutus sum. Cum autem ostium sit, per quod ingrediuntur tam oves, quam pastores, dicitur Christus *Ostium*, quia per illum oves habent aditum ad populum Dei, & consequenter ad salutem & vitam æternam, quia per fidem ejus, per meritum, per inspirationem: rursum per illum ingrediuntur alii pastores, quia per auctoritatem ejus, sive de cælo immediate datam, sive legitima successione transmissam.

8. *Omnes quotquot venerunt*, scilicet a seipsis, non per me, seu per auctoritatem meam; vel, quod idem est, quotquot

quot venerunt non missi, prout exponit August. 16. contra Faustum, cap. 12. Non enim notantur hic Moyses & Prophetæ, quia missi ab ipso, & per ipsum venerunt, & ipsum prædicaverunt: sed de illis loquitur, qui non missi, sed sua sponte venientes, se duces ovibus ad beatitudinem exhibere voluerunt, de quibus Jerem. 14. vers. 14. & 15. & cap. 23. vers. 21. Tales ergo *fures sunt, & latrones*, quia vel dolose, vel violente in ovile ascendunt, ut oves instar furum sibi vindicent, & instar latronum in exitium præcipitent. *Sed non audierunt eos oves*, vel nullo modo, vel non perseveranter, ut August. hic. Efficit enim Deus providentia & inspiratione sua, ut eos oves prædestinatæ saltem finaliter exhorreant.

9. *Ego sum ostium.* Repetitione confirmat sermonem, & simul explicat: *si quis introierit per me*, inspiratione & auctoritate mea, seu *per me*, intus vocantem, & exterius auctoritatem dantem, *salvabitur*. Per quod satis indicat, ingressum illum etiam per gratiam internam debere fieri. Multi enim Christi quidem auctoritate accipiunt præfecturam in ovili; sed non salvantur, quia non spiritu ejus vocante, sed spiritu cupiditatis, vel ambitionis impellente profiliunt ad gubernacula: & *ingredietur*, secundum fidem interius contemplando res divinas, & *egredietur*.

dietur, externa officia operando; & utrovis modo *pascua inveniet*, id est, pabulum, quo & se, & gregem reficiat. Vel *ingredietur* in Ecclesiam, & *egredietur*, discedendo ex hoc mundo in cœlestem gloriam, ubi pascitur Israel pabulo æternæ veritatis. Utrumque sensum dat Augustin. Quamquam *Ingredi* & *Egredi* significare soleat in Scripturis totam hominis conversationem, ut clare patet Act. 1. v. 21. & Psalm. 120. v. 8. quasi dic. Quocumque se vertet, prospere aget, & pascua inveniet.

10. *Fur non venit, nisi ut furetur*, id est, sui commodi causa, ut oves a Deo abstrahat, & faciat suas; & *eas maculet*, veneno pravi doctrinæ occidendo; & *perdat*, æterna perditione. E contrario vero, *Ego veni, ut oves vitam habeant*, justitiæ per fidem in hac vita, & *abundantius habeant*, æternam in futuro, ut Augustinus Tractatu 45. Ratio autem curæ tam beneficæ & salutaris, subjicitur; quia

11. *Ego sum pastor bonus*, quasi dic. Non solum sum ostium, per quod ingrediantur alii, sed etiam ipse sum Pastor, & quidem bonus. Quod non diceret, inquit August. nisi essent & pastores mali, fures scilicet & latrones, aut certe mercenarii. Bonum ergo se esse pastorem, ostendit ex proprietate ejus: quia *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, id est,

est, vitam ipsam, multo magis commoda temporalia profundere paratus est pro salute ovium suarum, si necessitas earum hoc postulet. In quo perspicua differentia est ab iis, qui fures sunt & latrones. Sed quia nonnulli sunt veri pastores, quantum ad auctoritatem, non quantum ad affectum pastorem, etiam ab illis se discernit, addendo:

12. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor.* Quis in cortice parabolæ *Mercenarius* sit, perspicuum est, ille scilicet, cujus non sunt oves, sed mercede ad hoc officium pascendi conducitur: cujus conditio est, ut pericula a lupis imminencia parum curet, quia non illi, sed domino oves pereunt. Unde pulchre alicubi Augustinus, Viles habent oves, quia non emerunt eas. In re autem significata *Mercenarius* est, qui pascit oves, non salutis earum vel Dei causa, ad quem pertinent, sed mercedis & sui commodi gratia, sua scilicet quærens, non quæ Jesu Christi, & qui non est pastor, ovium, ita scilicet, ut earum salutem tamquam proprii gregis, & suam ipsius quærat; quales mercenarios pastores describit Isaias, cap. 56. vers. 10. & 11. ... *Videt lupum venientem*, id est, pseudo doctorem, sicut hoc exponit Apostolus Act. 20. vers. 26. *Intrabunt post discessum meum lupi rapaces*; quos statim explicat esse eos, qui abducunt discipulos post se. Ponit au-

tem Christus speciem pro genere: nam sub *lupis* intelliguntur etiam schismatici, & quarumlibet persecutionum, ac periculorum auctores. *Et dimittit oves & fugit*, abjecta cura & protectione earum. De cuiusmodi pastoribus Tertull. libr. De corona militis, cap. 1. Novi pastores eorum in pace leones, in prælio cervos. *Et lupus rapit oves*, per falsas doctrinas, & dispergit, per divisiones & persecutiones, quæ pastoris præsentia & protectione dissipari potuissent.

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est*, hoc est; quia solam mercedem, seu compendium suum spectat, & non pertinet ad eum de ovibus, id est, non ei cura de earum salute, sed mercede duntaxat sua. Cuiusmodi pastoris sensus & voces sunt, *Quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur*, ut est apud Zachar. c. 11. Unde de talibus dicit Spiritus Dei, *O pastor & idolum, derelinquens gregem!*

14. *Ego sum, non fur, non latro, non mercenarius, sed pastor bonus*. Quod declarat duobus argumentis, cognitione ovium, & animæ suæ profusione: & *cognosco meas*, id est, quia singularum conditionem distinctissime novi, non sterili cognitione, sed ut eis subveniam: est enim hæc cognitio æternæ electionis, ac dilectionis, juxta quam dicit alibi, *Ego scio quos elegerim*; & Apostolus,
No-

Novit Dominus, qui sunt ejus. ... Et cognoscunt me meæ, tamquam pastorem & salvatorem suum: infirmæ quidem ut medicum; proficientes ut ductorem; tentatæ ut adiutorem; valentes ut nutritorem. Quam cognitionem pastoris sui, ut oves habent, dicit Ambros. libr. 3. De virginibus: Si vulnus curare desideras, medicus est; si febris æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cælum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. Ut autem declararet, quam sit affectuosa illa mutua pastoris & ovium cognitio, explicat hoc adjecta similitudine, & quasi per parenthesis interposita.

15. *Sicut me novit Pater*, supple, sic ego nosco meas: *Et sicut ego agnosco Patrem*, supple, sic cognoscunt me meæ (ita enim videntur hæc membra inter se conferenda) hoc est, sicut novit me Pater Filium suum, ita ut dilectissimum habeat, curet & servet; sic ego cognosco oves meas, & vicissim, sicut ego novi Patrem, ita ut eum gratissime agnoscam omnium bonorum meorum fontem; sic oves meæ noverunt me, ut supra explicuimus. Itaque illud, *sicut*, similitudinem, non æqualitatem significat, & respicit illa verba vers. 14. quæ præcesserunt, *Cognosco meas, & cognoscunt me meæ.*

meæ. Sicut novit me Pater, &c. Et animam meam pono pro ovibus meis, id est, vitam ipsam pro eis liberandis profundo; quod signum consummatæ dilectionis. Nam, ut Christus dicit, Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis suis: quod ipse pro inimicis fecit. Ut autem scirent Judæi, quænam sint illæ oves, adjicit:

*16. Et alias oves habeo, id est, habeo autem & alias oves a Patre mihi traditas, scilicet ex Gentibus, dicente Patre ad Christum, Isaïæ 49. Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob & facies Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, &c. Quæ non sunt ex hoc ovili, id est, ex populo Israel, ut exponit Augustin. Vocantur autem Oves, vel per anticipationem, quia oves erunt, vel potius ratione prædestinationis Dei. Et illas oportet, juxta decretum æternum Patris, me adducere, ad ovile meum, seu Ecclesiam meam, nempe per discipulos meos; nam Christus per præsentiam corporalem non fuit minister, nisi circumcisionis: & vocem meam audient, obediendo prædicationi meæ, per ora discipulorum meorum resonanti. Et ita fiet unum ovile, id est, grex, (*mia poimnê*) ut est Græce, ex duobus scilicet populis, Judaico & Gentili, & unus pastor, ego scilicet ipse Christus, tamquam lapis angularis, faciens utraque unum, sicut præ-*
cla-

clarissime prophetatum hoc est apud Ezech. c. 37. v. 21. usque ad 25.

17. *Propterea me diligit Pater, quia, juxta mandatum ejus, ut est versu sequenti, ego pono animam meam, scilicet pro diligendis ovibus, seu hominibus, quos mihi salvandos dedit. Ita tamen eam pono, ut iterum sumam eam: non resumitur autem anima, nisi quæ a corpore separata fuerit; ut proinde Ponere animam, sit idem quod eam emittere. Iterum autem sumere, est eam propria auctoritate & virtute corpori restituere; sic enim seipsum Christus exponit:*

18. *Nemo tollit, id est, tollet, eam a me, invito ac nolente, sed ego pono eam a meipso, id est, sponte, quando & quomodo voluero. Quod fecit non solum, quia se sponte ad crucem tradidit, sed etiam quia sponte mortuus, ex divinitatis auctoritate; cum virtute propria divinitus vivere potuisset, ut ex illo magno clamore morientis patuit. Et potestatem habeo, plenam ac liberam, ponendi eam & sumendi eam, id est, moriendi & resurgendi, ita ut nemo me invitum posset vel occidere, vel in morte retinere, Hoc mandatum accepi a Patre meo: quod refer ad, ponere animam, seu ad passionem; nam ad resurrectionem non erat dandum mandatum, Hoc autem ipsum mandatum non fuit invito, sed volenti & consentienti datum. Insinuat autem*

mandatum Patris non intulisse sibi necessitatem, sed integram sibi reliquisse arbitrii libertatem.

19. *Dissensio iterum facta est inter Judæos.* Nam prior dissensio facta fuerat Gap. præcedent. vers. 16. Idem enim verbum est hic Græce, quod ibi, scilicet schisma: propter sermones hos, parabolicos, quos non intelligebant. Unde dicebant multi: *Dæmonium habet, quid eum auditis? &c.*

22. *Facta sunt autem Encænia*, id est, festum Encæniorum: quod ita dicitur, quasi festum innovationis, quia est festum renovatæ dedicationis structuræ sacræ. Quidam Græci intelligi putant dedicationem templi primi, structi per Salomonem; sed illius dedicatio fiebat mense septimo, non hyeme. Chrysostom., ac Theophyl. accipiunt dedicationem templi secundi, per Zorobabel erecti post captivitatem: fiebat enim mense duodecimo, scilicet Adar, respondente nostro partim Februario, partim Martio. Verius est, intelligi de anniversaria dedicatione altaris facta per Judam Machabæum, quæ incidebat in 25. mensis Cassieu, id est, novi, respondentis nostro Novembri, ac Decembri, & proinde hyems erat, de quo festo vide I. Machab. 4. vers. 59. & 2. Machab. 10. vers. 5. & seqq. ubi describitur modus celebrandi, instar festi Tabernaculorum.

23. *Et ambulabat Jesus*, non recreandi sui, sed docendi causa, quasi paratus, si se offerret opportunitas, *in templo*. Quod ne putares fuisse vel in ipsa æde sacra, vel in loco sacrificii, ubi hoc dedecuisse, addit explicandi causa, *in porticu Salomonis*: per quam intelligit atrium, non Sacerdotum, sed populi, sub dio cinctum porticu, ita ut a parte totum nominetur: & quia eodem loco structum erat, quo illud Salomon olim struxerat, dicebatur *Porticus Salomonis*. De quo atrio Salomonis agit Josephus lib. 8. Antiquit. c. 2.

24. *Circumdederunt ergo eum*, quasi nacti opportunitatem insignem, dum ab aliis rebus vacaret: *Et dicebant: Quousque animam nostram tollis?* id est, quamdiu nos suspensos, ac dubios tenendo eneca? *Si tu es Christus*, Patribus promissus, *dic nobis palam*, sine parabolis, & verborum involucris: quasi insinuantes, hanc esse causam, cur hætenus ei non credidissent, & audita veritate se credituros: verum, ut August. notat, non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Itaque

25. *Respondit eis: Loquor vobis*, id est, jam diu dixi vobis, supple, me esse Christum, & non creditis, quasi dic. Non oritur hoc ex obscuritate verborum meorum, sed ex incredulitate vestra. Causa autem, cur non hic palam dicat, *Ego sum Christus*, prima est: quia, ut dixi,
non

non quærebant veritatem sed calumniam; ut, si assereret, quod res erat, accula-
rent eum, quod se faceret Christum Re-
gem, sicut ei in passione objectum fuit.
Secunda, quia operibus id probare ma-
lebat, quam nudis assertionibus; reser-
vans responsionem talem in terminis
publico concilio Sacerdotum, quando co-
ram iudicibus ad exemplum nostrum pa-
lam veritatem professurus erat. *Opera
quæ facio in nomine Patris mei, id est: vo-
luntate, & auctoritate & virtute Patris
mei, tamquam superantia omnem crea-
turæ potestatem, hæc testimonium perhibent
de me, supple. quis ego sim.*

26. *Sed non vos creditis, neque verbis,
neque operibus.* Causa est, *quia non estis
ex ovibus meis, id est, ex prædestinatis
ad vitam æternam, sed potius ad inte-
ritum, prout exponit August.* Cujus rei
causa cum non possit esse nisi culpa ho-
minum, tacite taxat obduratam eorum
malitiam, propter quam divina gratia
destituti erant. Probat autem, eos non
esse ex ovibus suis, ex conditionibus ve-
rarum ovium;

27. *Oves meæ, id est, prædestinati,
& mihi ad salvandum dati, vocem meam
audiunt, id est, obediunt, credendo mi-
hi.* Nam *Audire* subinde significat nudam
perceptionem vocis Dei, sive exterior-
em, sive etiam interiorem; ut *Hodie si
vocem ejus audieritis, &c.* Subinde assen-
sum

sum & obedientiam respectu vocis Dei, ut, *Locutus sum, & non audistis*, &c. prout & hic sumitur. Porro dicendo, *vocem meam audiunt*, significat, se ovibus prius loqui, easque ad se convertere; quod clarius indicat addendo: *& ego cognosco eas*, non sterili solius mentis cognitione, sicut & hœdos novit, sed simul affectus, qua trahuntur oves ad pastorem, & sequuntur me, verbum meum scilicet credendo, & exemplum operando. De tali cognitione loquitur Apostolus ad Galat. 4. v. 9. *Cum cognoveritis Deum, imò cognitis a Deo*: per quod significat, ipsam cognitionem Galatarum a Deo, tamquam pastore cognoscente oves suas, provenisse. Ne vero parvi facerent, esse ovem Christi, eumque pastorem sequi, subjicit:

28. *Et ego vitam æternam do eis*, in præmium, quo nullum majus bonum ovium excogitari potest, & non peribunt in æternum, propria aliqua voluntatis mutabilitate vel defectu. Sic enim eis dabitur vita æterna, ut ne quidem per proprium velle ab ea excidere possint: nam eis perseverandi possibilitas & voluntas, divinæ gratiæ largitate donatur, ut latius August. de Corrupt. & gratia c. 12. Insinuat autem, eos e contrario in æternum perituros, eo quod non essent ex ovibus suis, ut notat August. Tractat. 48. *Et non rapiet eas quisquam, non fur, non latro,*

latro, non mundus, non caro, non dæmones, non prospera, non adversa, *de manu mea*, id est, de potestate mea, qua proteguntur: quod addit, ne aliena vi, fraudibus aut insidiis, a Christo avelli posse putarentur. Ne vero mirarentur tantam suam potestatem in tanta carnis infirmitate, rationem reddit: quia

29. *Pater meus quod dedit mihi*, id est, id, quod dedit mihi Pater gignendo, ut essem videlicet unigenitus Filius Dei, *majus omnibus est*, id est, potentius omni re creata: & *nemo potest rapere violente oves, de manu Patris mei*, supple; ergo nec de mea. Ratio sequitur v. 30. Porro Græce sensus est facilius in masculino, Pater qui dedit mihi, servandas scilicet oves, major omnibus est. Nemo autem potest rapere de manu Patris; ergo nec de mea. Consequentiam illam probat, quia

30. *Ego & Pater unum sumus*, natura divina, & consequenter potestate & voluntate: nam ubi unitas, adeoque identitas, ibi nulla prorsus disparitas. Notant autem communi consensu Interpretes & Patres, August. Oratione De quinque hæresibus, Hieron. c. 6. Isaïæ, Ambros. lib. de Spiritu sancto, & alii passim, illud, *Unum*, designare identitatem substantiæ seu naturæ; *sumus*, distinctionem personarum. Unde August. Epist. 174. docet, his verbis significari, Filium esse

esse (*homouſion*) Patri, id eſt, ejuſdem individualis ſubſtantia. In quem ſenſum & Judæi hoc acceperunt, cum viſus eſt eis, blaſphemare; quod nullo modo iudicaſſent, ſi tantum ſignificatam exiſtimaſſent concordiam voluntatis.

33. *Suſtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum, tamquam blaſphemum. Intellexerunt enim Judæi, inquit Auguſtinus, quod Ariani non intelligunt. Senſerunt enim non poſſe dici, Ego & pater unum ſumus, niſi ubi eſt æqualitas Patris & filii; Chriſtus autem intrepide*

33. *Reſpondit eis, blandiuſcule, ut furorem eorum ratione temperaret: Multa opera bona oſtendi vobis, id eſt, multis beneficiis vos affeci; nam Oſtendere bona vel mala, apud Hebræos eſt bene vel male facere, ut patet Pfam. 70 verſ. 20 & Plam. 59 verſ. 5 oſtendiſti populo tuo dura. Ex Patre meo, id eſt, tamquam virtute Patris mei facta, quem ſemper tamquam operum meorum, & miſſionis principium agnovi, & proinde probant, me eſſe filium ejus. Propter quod eorum opus me lapidatis? id eſt, ad lapidandum vos præparatis?*

33. *Reſponderunt Judæi: De bono opere id eſt, propter bonum opus, non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quam te amiſiſſe probamus: & quia, (illud, Et, eſt exegeticum ſeu declarativum, pro, id eſt, nam hæc ipſa eſt blaſphemia, quam de-*

T. III. P

ſignare

signare volunt) *tu homo cum sis, facis*; id est, jactas & prædicas te ipsum Deum. Bene enim intellexerant, quod verbis versu 30 positis se verum Deum asseruisset; sed illo principio nitebatur error ipsorum de blasphemia, quod nemo posset esse simul homo & Deus. Existimantes forsan, hoc aliter non posse fieri, quam per conversionem divinæ naturæ in humanam, aut humanæ in divinam, aut per commixtionem utriusque in aliquam substantiam tertiam. Unde Augustin. Tractat. 18. in Joan. In homine non intelligebant Deum: carnem videbant, Deum nesciebant; habitaculum cernebant: habitationem ignorabant: caro illa templum erat, Deus inhabitabat intus; per unionem scilicet naturæ divinæ ac humanæ in eandem personam. Quamobrem Athan. pro decretis Conc. Nicæni, notat, eos potius sermonem convertere debuisse hoc modo; Cur tu Deus cum sis, homo factus es? Nam opera, sicut & verba, eum Deum esse declarabant.

34. *Respondit eis*, non negando, se Deum esse, sicut omnino facere debuisset, si fuisset falsum; sed tuendo verba sua, argumento a minori: *Nonne scriptum est in lege vestra*, id est, in sacra scriptura a vobis in auctoritatem recepta, & proinde vobis irrefragabili: nam *lex* hic totam scripturam comprehendit, sicut & infra
cap.

cap. 15 v. 25 quamvis sæpius usurpetur pro solo pentateucho, ut Lucæ ult. v. 44 Quia ego dixi, *Dii estis?* Verba sunt ex persona Dei ad iudices dicta, quos uti potestatis ita & nominis sui participes fecit, ut sint tamquam Dii quidam terreni in administranda iustitia.

35. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, id est, quos Deus in illo Psalmi loco compellat. & non potest solvi scriptura, id est, erroris redargui, vel irrita reddi, quasi male, vel blaspheme homines mortales appellaverit deos.*

35. *Quem Pater sanctificavit, sanctitatem qua ipsemet sanctus, est, communicando ei, hoc est, sanctum per essentiam gignendo, prout exponit Augustin. Nam hæc sanctificatio videtur præcedere missionem in mundum, quam subiungit; & proinde non videtur ita convenientur intelligi de sanctificatione humane naturæ, sive per gratiam, sive per unionem divinæ naturæ cum humana, sicut aliqui interpretantur. Vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, filius Dei sum? Vos dicitis, me blasphemare, eo quod me dixerim esse filium Dei, quasi d. Immerito hoc dicitis: longe quippe iustius est, ut ille, quem Pater sanctum genuit, vocetur filius Dei. & consequenter natura Deus, quam illi, quos Deus alloquitur, & exiguam aliquam divinæ proprietatis participationem habent*

bent, prout August. per antitheses aliquas declarat. Probat autem, se a Patre sanctificatum :

37. *Si non facio opera Patris mei, id est, opera Patri propria, seu quæ non possunt alteri adscribi, quam Patri, nolite credere mihi, asserenti, me unum esse cum Patre.* Nam vis argumenti in eo sita est, quod quorum eadem sunt numero opera, illi unum idemque sint, necesse est. Quæ veritas, quia in hac vita valde remota est ab hominum clara cognitione, remittit eos ad operum testimonium.

38. *Si autem facio, scilicet opera Patris mei, miracula, quæ a nemine fieri poterant, nisi a Deo Patre: simul vero palam erat, ea quoque a Christo fieri propria auctoritate: & si mihi non vultis credere, propter verba scilicet mea, operibus credite, id est, propter opera mihi credite, ut per opera cognoscatis & credatis, id est, cognoscatis credendo; neque enim clare ex operibus cognosci potest, sed tantum credendo: quia Pater in me est, & ego in Patre per naturam.* Nam ista verba idem continent, quod illa superiora: *Ego & Pater unum sumus.* Unitas enim ista in eo sita est, quod personæ in se mutuo sint ratione unius individuae essentiae: nam per illam intimam inhabitationem, seu circumincessionem fit, ut singula sint in singulis & omnia in singulis, & singula in omnibus

bus, & omnia in omnibus, & unum omnia, ut loquitur August. lib. 6. de Trinit. c. 10.

39. *Querebant ergo eum apprehendere, quia videbant, eum persistere in eo, quod dixerat: & exivit de manibus eorum.* Quo insinuat eum jam pene apprehensum e manibus elapsum esse, sive ipsa fiducia egressionis, sive etiam occulta divinitatis virtute eos cohibente.

40. *Et abiit iterum trans Jordanem, ut per absentiam ejus sedaretur indignatio; in locum, ubi erat Joannes baptizans primum, hoc est, in Bethania seu Bethabara, de quo cap. 1 versu 28 nam postea Joannes migravit in Ænnon juxta Salim, ut est capite 3 versu 23.*

41. *Et multi dicebant, admoniti scilicet ipso loco, in quo Joannes baptizaverat, quia Joannes quidem signum fecit nullum, supple, & tamen ei credidimus; q. d. Quanto justius est, ut ei credamus, qui innumeris miraculis verba sua confirmat.*

42. *Omnia autem quaecumque dixit Joannes de hoc, Jesu scilicet, vera erant, id est, vera esse ipso eventu demonstratum est. Hoc est secundum argumentum credendi. Itaque duobus illis adducti, scilicet miraculis Jesu, & testimonio Joannis in memoriam revocato, multi crediderunt in eum, quod scilicet esset Christus filius Dei.*

CAPUT XI.

1. **E**rat autem quidam languens, Græce (asthenon) egrotus, Lazarus, distinctus tamen ab illo mendico, de quo Lucæ 16 a Bethania quæ quid sit statim adjicit, explicationis causa: de castello Mariae & Marthæ, hoc est, de pago seu vico, in quo habitabant; quomodo Bethsaida dicitur civitas Andreæ & Petri, cap. 1. versu 44. Describit tam exacte circumstantias, ut miraculum omnium celeberrimum credibilius fieret.

2. Maria autem erat, quæ unxi Dominum unguento, id est, liquore odorifico. In quo attestatur Joannes Lucæ narranti hanc concionem cap. 7. ut sic distingueretur hæc Maria ab aliis eodem vocatis nomine.

3. Miserunt ergo sorores ejus, nuntium e Bethania trans Jordanem: nam luctus earum, & cura infirmi, & latus conditio & fiducia in Jesu, satis erat, ne ipsæmet proficiscerentur, ut notat Chrysost. dicentes, id est, cum mandato dicendi ei præscriptis verbis nomine suo: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Tacite ipsum & verecunde, & prudenter provocantes ad sanandum: nam super omnes preces ægri, & amicorum ejus, est amor benefactoris. Unde August. Amanti satis nun-

nuntiasse ; non enim amas & deferis. Scopus earum fuit , ejus adventum impetrare. qua in re quædam fidei imperfectio fuit , non sperantium solo jussu ab ablente conferri posse sanitatem , sicut hoc patet clarius infra v. 21. & 32.

4. *Audiens autem Jesus, dixit eis, sororibus per eundem illum internuntium : infirmitas hæc non est ad mortem, quia nec mors ipsa ejus erat ad mortem, sed ad miraculum, inquit August. hoc est, infirmitas ista non adferet ei mortem talem, qualem vos timetis, ut sit ultimus terminus vitæ hujus mortalis, quia jam-jam resuscitandus est: sed pro gloria Dei inflicta est hæc infirmitas: quod explicat addendo, ut glorificetur filius Dei, id est, ut credatur & celebretur, tanquam Patri æqualis & verus Deus, per eam, supple, infirmitatem, non mortem, ut ex Græco patet.*

5. *Diligebat autem Jesus Martham, &c. Quod addit, tum ut redderet rationem versus tertii, tum ut indicaret Lazarum ad vitam revocatum esse non tantum ex amore Lazari, sed etiam sororum ejus tum denique, ut hinc disceremus, non mirari vel ægre ferre, si viri boni, Deoque dilecti morbis & incommodis affligantur, ut Chrysost. monet.*

6. *Ut autem audivit, mansit in eorum loco duobus diebus, ut interea & moreretur, & sepeliretur Lazarus, ne quisquam ca-*

lumniam struere posset miraculo. Postea vero dixit:

7. *Eamus in Judæam*, id est, in sortem tribus Judæ & Benjamin; nam tunc agebat ultra Jordanem, ut colligitur ex cap. 10. v. 40 Cum ergo discipuli eum ab itinere, periculo lapidationis objecto deterrerent,

9. *Respondit Jesus*, nonne duodecim sunt horæ diei, ab ortu scil. ad occasum solis? æstate quidem longiores, hyeme breviores, ut Aug. lib. de vera relig. cap. 43. Liranius & multi post ipsum, putant, proverbium fuisse, prout & nunc vulgo usurpatur, quo significetur, Judæos mutari posse, ut quod una hora diei voluerint, alia nolint: sed sequentia isti sensui difficulter aptantur. Aug. sensu magis mystico, quam literali per *Diem* intelligit Christum, per *Horas*, Apostolos duodecim, quos Christus moneat, non debere sibi dare consilium, sed potius se sequi, sicut horæ sequuntur diem, non contra. Videtur Christus significare velle, duodecim esse horas diei, hoc est, certis horis spatium diei esse definitum, ita ut, *siquis ambulaverit in die*, quacunque scilicet hora ejus, etiam ultima, non offendat, pedibus, quia adhuc lucem videt.

10. Die autem finito, statim *si ambulaverit in nocte*, offendit, defectu scilicet Incis. Qua similitudine significatum vult, suæ

suæ quoque vitæ mortali, tamquam diei suo, certum spatium a Deo præfinitum, quod nullis persecutionibus minui possit, illius diei adhuc aliquod superesse, quo in Judæam tuto ambulare possit: sed cum nox, hoc est, tempus passionis, & occasus vitæ advenerit, tunc offensionis, quæ a Judæis immineat, periculum esse. Ita Rupertus, quem alii multi secuti sunt.

11. *Post hæc dixit eis*, cum eos hoc suo sermone securos de periculo reddidisset: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado*, &c. de mortuo tamquam de dormiente loquitur, partim modestiæ causa, ne resurrectionem aperte promittendo, se ipsum jactare videretur; partim ut indicaret, tantam esse facilitatem resuscitandi Deo, quanta est nobis excitandi dormientem de lecto, ut August.

12. *Dixerunt ergo discipuli: Si dormit, salvus erit*, quia, ut Tertull. lib. de anima cap. 43. Somnus probator valetudinis, hoc est, ut August. Somnus ægrotantium, est salutis indicium. Itaque tacite significant, non esse proinde opus, periculosum iter suscipere.

13. *Dixerat autem Jesus de morte ejus; quæ Somnus dicitur in scripturis, & mortui subinde dormientes*, quia, ut August. 4. de anima cap. 18. Consanguineus, id est, cognatus, seu affinis est lethi sopor: nimirum non solum, quia omnes

instar dormientium ad vitam resurgent, sed etiam, ut Ambros. de resurrect. quia postquam ab ipsius mundi laboribus requietum fuerit, vigor nobis vivacior refundetur.

14. *Tunc ergo, cum videret, eos præruditate non intelligere, dixit eis manifeste, sine allusione vel metaphora: Lazarus mortuus est q. d. Somnus, de quo locutus sum, mors ejus est.*

15. *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Rectius ordo verborum est: Gaudeo, quoniam non eram ibi, propter vos, ut credatis. Causa ergo gaudii erat, quod non esset ibi, quia precibus, & ploratu amantium permotus fuisset, ut eum vel a morte præservaret, vel statim suscitaret: neutrum conveniebat, propter vos, ut credatis. Loquitur de fidei incremento, quæ ex perspectis fidei evidentissimis argumentis magis firmatur. Cum ergo dixisset Christus: Eamus ad eum, & discipuli forsan adhuc trepidare viderentur,*

16. *Dixit Thomas, qui dicitur Didymus, id est, alio nomine Græco etiam appellatur Didymus. Nam sicut primas Apostolorum vocatur Cephæ & Petrus, utroque nomine idem significante, ita iste dicebatur Thomas & Didymus, & utrumque significat geminum sive gemellum: ad condiscipulos, minus alacres: eamus & nos, ut moriamur cum eo, quia non obstantibus*

stantibus verbis Domini, putabat & ipsum, & discipulos certum mortis periculum adituros. Verba sunt ergo viri constantis juxta Bedam & Rupertum, Christumque diligentis potius, quam timidi, sicut putavit Chrysost. & Theoph. quasi per ironiam fuissent dicta.

17. *Venit itaque, & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem*, ut proinde facile quinque diebus aut sex fuerit mortuus: nec enim eodem die maxime ab amantibus sepeliri solent. Permisit hoc, ut & mors esset probatior, & miraculi gloria illustrior. De quibus diebus quatuor, vide mystice August.

18. *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam*. Quod addit, ut rationem reddat confluxus Judæorum ex Jerosolymis, utpote quæ non abesset, nisi *Stadiis quindecim*; id est, quasi duobus milliaribus Italicis, seu duobus millibus passuum: nam *Stadium* continet centum viginti quinque passus, ita ut octo stadia conficiant mille passus, hoc est, milliare Italicum, & tria milliaria circiter iter unius horæ. Propter hanc ergo propinquitatem

19. *Multi ex judæis venerant, officii causa; ut consolarentur eas*, verborum humanitate. Ex quo colligitur Lazarum & sorores ejus non vulgares fuisse personas, quibus hujusmodi officia maxime post quintum aut sextum diem impendi non

non solent, sed fuisse, vel divitiis, vel nobilitate conspicuas.

20. *Martha ergo, &c. occurrit illi, tanquam hospiti ac Domino, honoris atque amoris causa: Maria autem Domi sedebat excipiens Judæos consolatores suos, & ab eis detenta.*

21. *Dixit Martha: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Eadem sunt, & verba sororis, v. 32. quibus & modeste luctum suum exprimunt, & Domini potentiam & benignitatem ad arcendam a fratre suo mortem; quamvis in eo deficiant, quod potentiam ejus ad potentiam corporalem adstringant. Et quia verba speciem querelæ præ se ferebant, mitigat eam, addendo:*

22. *Sed & nunc scio, etiam fratre mortuo, quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus, etiamsi poposceris, ut frater mortuus ad vitam redeat. Non audet hoc directe petere, propter rei magnitudinem. Unde neminem legimus, hoc a Christo petisse, relinquit igitur rem judicio ejus, ut notat August. Quamquam non desint, qui putent Martham de resurrectione desperasse, ut probabiliter colligitur ex vers. 24 & 39 & ista verba hujus versus, nunc scio, &c. dicunt intelligi, quod Christus impetraturus esset quidlibet, ad hoc, ut ostenderet sermonem suum versu 4, ad sorores trans-*

missum (scilicet infirmitas hæc non est ad mortem) verum esse. Unde ut Christus sensum ejus explicaret Marthæ,

23. *Dixit illi : resurget frater tuus.* Quod cum modestiæ causa ambigue dictum esset, & Martha de resurrectione generali intelligeret, ut quæ præsentem sperare non auderet,

25. *Dicit ei Jesus: Ego sum resurrectio & vita,* id est, non opus est, ut poscam a Deo: ego ipse sum auctor resurrectionis, & fons vitæ mortuis, qui eos exsuscito, vitamque tribuo, quibus volo. Intelligit autem vitam eam, quæ vera vita est, æterna ac beata: nam vita communis bonis & malis includitur in nomine *resurrectionis*. Ut autem ostenderet, qua ratione fieri quis posset particeps tanti boni, utrumque explicat: *Qui credit in me*, quidquid, & quo modo credendum est, *etiamsi mortuus fuerit*, carne, sicut Lazarus mortuus est, prout supplet August. *Vivet iterum carne immortaliter*: & ita non turberis de fratre tuo jam mortuo, utpote qui crediderat in me. Et hoc quidem de jam mortuis; nunc de viventibus.

26. *Et omnis, qui vivit, adhuc in corpore, in hoc seculo, & credit in me, etiamsi moriatur ad tempus propter mortem corporis, non morietur in æternum, propter vitam beatam spiritus, & immortalitatem resurrectionis.* Promittit itaque

itaque credentibus in se, mortuis quidem resurrectionem vitæ, viventibus vero immortalitatem: ita ut & illi quidem recuperent vitam, hi nunquam amittant. *Credis hoc?* quæ interrogatio est ad credendum provocatio. Cum vero Martha verba Christi non satis intellexeret,

27. *Ait illi: Utique Domine, ego credidi, jam pridem, Quia, id est, quod, tu es Christus filius Dei vivi.* De quibus verbis dictum Matth. 16 v. 15 q. d. Hoc autem credendo, ego consequenter credidi, quod tu sis resurrectio & vita, &c. ut August. & ita patet, appositum esse responsum Marthæ.

28. *Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam Sororem suam, iussa scillicet a Domino: quod brevitatis causa suppressit Evangelista. Vocavit autem eam silentio, id est, clam submissa voce, ne Judæi intelligerent, ac turbam testem ad miraculum contra consuetudinem suam Christus advocasse videretur, dicens: Magister adest.* Ante vocaverat eum *Domini*, ex quo advertas, promiscue a discipulis vocatum fuisse *Magistrum* ac *Domini*, non solum ab Apostolis, quibus infra c. 13 v. 13 dicit, *Vos vocatis me Magister & Domine, &c.* sed etiam ab aliis.

29. *Illa ut audivit, surgit cito, præ amoris vehementia, & moræ impatien-*
tia,

tia, oblita luctus, urbanitatis, ac decori erga consolatores circumstantes:

30. *Nondum enim venerat Iesus in castellum id est, in pagum Bethaniæ. Causa erat, quod Lazarum suscitaturus erat, cujus monumentum, sicut communiter omnium Judæorum, extra oppida, & vicos esse solebant. Sequentibus vero eam Judæis*

32. *Cecidit ad pedes ejus, nihil morata præsentium Judæorum turbam, & male de Christo sentientium. Unde videtur magis perspectam habuisse dignitatem Jesu, & ferventius amasse, quam soror: nam vitæ contemplativæ studium, cui vacabat, plus in ea pepererat devotionis, reverentiæ, humilitatis; Et dicit ei: Domine, si fuisses hic, &c. Post quæ pauca verba videtur tacuisse, & rem lacrimis magis egisse, quam verbis.*

33. *Iesus autem ut vidit eam plorantem, &c. infremuit spiritu, id est, in semetipso, ut est verbi. 38. seu in nullum circumstantium fremendo. Est autem fremitus, sonitus quidam indignantis, qui flatu oris represso fit: quo modo congrue dicitur Marci 14 vers. 6. quod Apostoli fremebant in Magdalenam. Fremitum autem Christi fuisse contra peccatum, unde mors nata est, putat August. alii contra mortem; alii contra diabolum mortis auctorem; alii non improbabiler contra Judæorum incredulitatem*

tem, propter quos mors Lazari permiffa fuerat. Sed quia *Fremere* fubinde fumi-
 tur generalius, cum & mare & leo
 fremere dicantur, videtur per fremitum
 fignificari quidam lugentis condolentis-
 que affectus: quod & Evangelifta indi-
 cat, dum eum fignificat expreffum effe
 ex lacrymis Mariæ, & Judæorum. Unde
 quafi explicans id, quod dixerat, addit:
Et turbavit feipfum, motu triftitiæ & com-
 paffionis, tanquam radice fremitus iftius
 quem etiam ufque ad lacrymas exteri-
 ores permiffit. Porro dicendo, *turbavit fe-*
ipfum, fignificat, eum non turbatum illis
 motibus ex naturæ infirmitate, ficut nos,
 fed a fe ipfo, tanquam talium affectio-
 num arbitro, quia in illius potestate e-
 rat, fic, vel fic affici, vel non affici:
 ubi enim fuma potestas eft, inquit
 Auguft. fecundum voluntatis nutum trac-
 tatur infirmitas. Hæc autem turbatio
 affectuum, qui hominem interiorem
 reddunt impacatum, in illa vifione æ-
 ternæ pacis nulla erit, ut Auguft. 14.
 de Civit. c. 9.

34. *Et dixit: ubi pofuiftis eum?* huma-
 no modo cum hominibus agens, etfi non
 ignoraret, ut fcilicet miracula patrando
 ordinate fieret locus. Ideoque & exo-
 ratus lacrymis illud fecit, ne fe ingef-
 fiffe videretur.

35. *Et lacrimatus eft Iefus*, veram trif-
 titiam finens in vera ejus figna prorum-
 pere.

pere. Nam ut August. loco cit. in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, non erat falsus humanus affectus. Causa tristitiæ, & lacrymarum erat mors amici Lazari, quæ verum in se malum erat: de quo tristari & lacrymari moderate voluit cum lacrymantibus, ut se verum hominem, & humanum ostenderet: nam absque compassione nullius commiseratione tangi inclementiam & immanitatem quamdam feram indicat. Immoderate vero lamentari mulierum est, non viri sapientis, ut Basil. Hom. 4 & Theophyl.

36. *Dixerunt ergo Judæi, visis lacrymis: Ecce quomodo, seu quantopere, amabat eum, amore scil. lacrymas exprimente in viro tam gravi & constante. Hi colligunt inde amoris magnitudinem, alii vero virtutis impotentiam: quia*

37. *Quidam ex ipsis dixerunt, non satis bene affecti Domino: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur? cum sit facilius morbum arce-re, vel ægrotum sanare, quam cæco nato visum restituere; & eum invitum fuisse lacrymæ testentur.*

38. *Jesus ergo rursus fremens. Particula, ergo, designat causam, fremitus ejus a præcedentibus pendere. Fremuit ergo præ indignitate in improbitatem illam, qua beneficia ipsa vertebant in improperium, & affectus sui humanitatem in*

crudelitatem potestatis ejus. Fremuit igitur in semetipso, quia sonum indignationis intra semetipsum cohibuit. *Erat autem spelunca*, non, uti Christi sepulchrum, supra terram ex lapide excisa, sed deorsum tendens, ut satis colligitur ex eo, quod *lapis*, quo claudebatur, non erat advolutus ostio, sed *superpositus erat ei*, speluncæ: quæ proinde videtur fuisse similis foveæ, cujus os esset æquale terræ, sic tamen, ut gradibus in eam descendere-
tur, quemadmodum adhuc extare dicitur.

39. *Ait Iesus: tollite lapidem.* Sed cur ipse non sustulit imperio suo, vel immoto lapide Lazarum eduxit? Respondetur, primo, ne res tota spectrum magicum videretur, ac dicerent, non esse Lazarum, sicuti de cæco dixerunt. Secundo, ut Judæi, vel oculis suis crederent, qui mente credere nolebant. Removent ergo ipsi lapidem, vident cadaver, foetorem sentiunt, institas rumpunt, non possunt negare defunctum, quem vident resurgentem. Vident signa mortis, & vitæ munera: dumque conantur, ipso labore emendantur, sicut hæc expendit Ambr. lib. de fide resurrect. *Dicit ei Martha, soror ejus, qui fuerat mortuus* ideoque testis magis idonea quatri-duanæ mortis, *Domine jam fætet.* Tacita est ac modesta prohibitio, ne foetor erumpens sensum ejus, & adstantium offenderet: Nam videtur putasse, quod solum amici videndi causa la-

pidem jussisset amoveri, neque sperasse quatruiduani mortui & foetentis resurrectionem: nam hac de causa, tamquam parum tenacem fidei ac memorem, reprehendit eam dicens:

40. *Nonne dixi tibi: quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* id est, opus præclarum, quo glorificetur & celebretur Deus. Dixit hoc autem, quando per nuntium transmisit similia verba vers. 4. Quamvis alii putent, hoc ei dictum vers. 23. & 25. ubi dicitur, *Resurget frater tuus*, &c. quod reipsa idem est, quod videre gloriam Dei resuscitantis. Addit autem, *si credideris*, quia potest hanc gloriam Dei infirmitas fidei impedire, sicut impedivit in Petro, quando videns ventum validum cœpit mergi. Itaque confirmat hic Christus Marthæ fidem nonnihil labascentem: sicut & fidem Jairi Lucæ 8 v. 50, *Crede tantum & salva erit.*

41. *Tulerunt ergo lapidem*, quia scilicet Dominus pergebat urgere amotionem lapidis. Interea vero dum amotus esset, & sepulchrum quisque inspiceret, fœtoremque hauriret, ut nulla posset esse dubitatio de mortuo ibi condito, *Jesus elevatis sursum oculis*, tamquam alloquens Patrem suum (oculos enim in eos figimus, quos alloquimur) & illi omnia accepta referens, dixit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*, de Lazaro susci-
tando.

tando. Quod quamvis petiisse non legatur, voluisse tamen, ac desiderasse, certum est. Non solum autem preces, sed & desiderium pauperum & præparationem cordis eorum exaudit Dominus, ut est Psalmo 9. v. penult.

42. *Ego autem sciebam, quia semper me audis, in omnibus, quæ vel postulo, vel volo: q. d. Non est mihi hoc novum, vel inopinatum, sed propter populum, qui circumstat, dixi, verba scilicet illa, quod gratias ago tibi: idque eo fine, ut credant, quia tu me misisti, ut qui per hoc ipsum videbunt, me tantum opus tua auctoritate & potestate fecisse, cui hoc adscripsi, antequam fieret. Loquitur in his omnibus secundum formam hominis.*

43. *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit, ut omnibus constaret se esse, qui suscitabat, figuramque daret illius tubæ, & vocis magnæ, qua suscitabit mortuos in novissimo die, ut hic notat Theophyl. & Ambros. lib. de fide resurrectionis: Lazare, quæ est vox significans compositum ex corpore & anima, & suppositum: & quamvis hoc jam non esset, tamen Dei est vocare ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, quia vocando facit, ut sint. Proprio autem nomine vocat Lazarum, ne inquit Ambr. loco cit, alius pro alio suscitatus videretur, aut fortuita magis resurrectione, quam imperata videretur.*
Per

Per illam ergo vocem, *Lazare*, suscitatus est: per istam vero, *veni foras*, jam vivus ex antri profundo, vel latere ad ostium prodire jussus: Itaque

44. *Statim*, nulla interposita mora post vocem clamantis, quasi in momento, in ictu oculi, sicut Apostolus dicit futuram omnium resurrectionem, *prodiit*, de sepulchro, *ligatus manus & pedes insitiis*, id est, fasciis quibusdam, juxta ritum Judaicum sepeliendi mortuos, qui tangitur infra cap. 19 vers. 40. Sed quomodo processit ligatis pedibus? Respondet August. hic & Basil. Hom. 4 fuisse miraculum in miraculo, potentiam scilicet Dei hoc operatam esse, non vires Lazari. Nam etiam *facies illius sudario erat ligata*, ut obvinctis oculis videre non posset, quo vel qua pergeret. Simili sudario ligatam fuisse faciem Christi patet cap. 20 vers. 7 *Dixit eis Jesus: Solvite eum, omnibus fasciis sepulchralibus, & finite abire, liberum, quo voluerit; idque ut conversatio inter homines esset veritatis confirmatio. Miraculose ergo prodiit, utpote qui nunc foris constitutus, adhuc ambulare non posset. Jussit Christus per alios eum solvi, cum verbo solo potuisset, quia non solet miraculum adhiberi in iis, quæ possunt ab hominibus fieri, ut scilicet non sint va-*

cua sapientiæ suæ opera, ut est Sapien-
tiæ 14 v. 5.

45. *Multi ergo ex Judæis, qui convenerant, crediderunt in eum, evidentia miraculi, & simul gratia intus persuadente convicti.*

46. *Quidam ex ipsis, similiter miraculi spectatoribus, abierunt ad Phariseos. Quo insinuat, eos neque sic credidisse in Christum, sed insuper rem ad Phariseos detulisse, malo scilicet animo, ne amplius gloria Christi cresceret: videntur enim ex illis fuisse, qui vers. 37 notantur. Cum ergo res consultatione digna videretur,*

47. *Collegerunt Pontifices concilium, Græce (archierys) summi Sacerdotes, penes quos solos congregandi concilii potestas erat. Videntur fuisse Caiphas & Annas, qui nominantur Lucæ 3 v. 2. ubi & causas diximus, cur plures vocentur summi Pontifices, cum non nisi unus ex divino instituto præesse deberet. Concilium autem intelligit illud magnum septuaginta duorum virorum; ad quod causæ gravissimæ de religione & Republica referebantur, qualis causa videbatur hæc esse de Christo. Et Pharisei, non auctoritate, sed instigatione: nam illi ut tales, nulla pollebant potestate in clerum Judaicum, sed tantum quorundam rituum, & externæ sanctitatis professione eminebant. Et dicebant; Quid facimus, quod hominem*
toties

toties apprehendere conati, huc usque non apprehendimus? Continent enim verba tacitam ignaviæ suæ reprehensionem: *Quia hic homo*, quem propter contemptum, nec nomine dignantur, *multa signa facit?* quibus videlicet magis magisque clarescit in dies, populoque fit gratus & mirandus:

48. *Si dimittimus eum sic*, hoc est, ut sine obstaculo quæ quantaque voluerit, faciat miracula, *omnes credent in eum*, tamquam in Christum Regem. Quo sane confitentur, maximam fuisse miraculorum vim in persuadendo fidem, & e contrario, duritiam fuisse obstinatissimam in repellendo. Plus enim perditioni homines cogitabant, quomodo nocerent, ut perderent, quam quomodo sibi confu-derent, ne perirent, inquit August. *Et venient Romani*, tamquam adversus eos, qui deserto Cæsare alium Regem suscitaverimus; nam hoc ipsum ei postea coram Pilato objecerunt: & *tollent nostrum locum*, templum, civitatem, totamque Judæam sibi usurpabunt: *Et gentem*, in alium locum transferendo, sicut olim fecerunt Babylonii. Ita invidia & odio prætexunt salutem Reipublicæ, cum satis intelligerent, nihil terreni regni Christum quærere, intelligere deberent, eum, qui suscitabat mortuos, pericula vivorum posse dispellere, nec propter incerta

pericula certam claramque veritatem opprimendam esse.

49. *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius (non quod annui essent Pontificatus tunc temporis, sed quod per avaritiam Romanorum præsidum frequenter personæ mutarentur) dixit eis, tamquam præses concilii, majori loquens auctoritate & libertate, vel ut Chrysoft. ait majori impudentia: Vos nescitis quidquam, ad expediendas res perplexas. Indicat enim, eos variasse opinionibus, tamquam inopes consilii.*

50. *Non cogitatis, quia expedit vobis, Græce (hēmin) nobis, id est, longe fatius est, seu magis expedit (habet enim vim comparativi) ad omnium nostrum & Reipublicæ salutem, ut unus homo, si ve nocens, si ve innocens, moriatur pro populo, id est, occidatur a nobis pro salute populi: & non tota gens pereat, id est, potius quam ut illo superstitute tota natio Judaica a Romanis excidatur. Hæc fuit mens Caiphæ falsa & impia, politico spiritu concepta, cui propositum est quibuscunque mediis temporalem Reipublicæ statum salvum esse velle, eoque colore & prætextu obumbrare impietatem suam.*

51. *Hoc autem a seipso non dixit, id est, proprio instinctu, quatenus videlicet veram sententiam continebat: nam quatenus fallam jam dictam, plane hoc di-*

xit a semetipso, quia ex odio in personam: *sed cum esset pontifex anni illius*, in quo Deus respiciebat sacram sacerdotii a se instituti unctionem ac dignitatem, prophetavit; quatenus Spiritus sanctus ita verba ejus moderatus est, ut veram prophetiam, mente nesciente, immo errante, proferret. Nam Caiphas dicendo, *vos nescitis quidquam*, eorum stupiditatem despiciebat: Spiritus sanctus vero significabat, rei prophetatæ notitiam nemini ex seipso loquenti in mentem venire posse. Caiphas dixit, *expedit vobis*, non nobis, quia non ipsi, sed aliis erat fructus ex passione obventurus, dixit, *ut moriatur*, non *ut occidatur*, quia scelesti illa innocentis interfectio non est, quæ profuit, sed mors ejus: dixit, *pro populo*, & non tota gens, ut sensus ad Judæos non coarctaretur, sed universus orbis comprehendi posset, cum tamen ipse omnia contrario modo intelligeret. Unde exponit breviter Evangelista, quidnam prophetaverit, videlicet, *Quod Jesus moriturus erat pro gente*, Judaica, quam Caiphas solam intelligebat, ut August. notat.

52. *Et non tantum pro gente*, scilicet illa Judaica moriturus erat, quam etiam ob causam Dei instinctu assumpta fuerant per Caipham verba generalia: *sed ut filios Dei*, non ex justificatione, sed ex Dei prædestinatione (non enim adhuc crediderant, qui dispersi erant, per universum

sum mundum in variis populis & erroribus) congregaret in unum, non locum, sed in unum corpus, seu Rempublicam. quæ est Ecclesia, ut ita fieret unum ovile & unus pastor.

53. *Ab illo ergo die cogitaverunt*, id est, communi consilio firmiter decreverunt, ut Græcum (*synebulen* *santo*) indicat, arripientes avidè Caiphæ sententiam, non ut vaticinium, quod & ipsi ignorabant, sed ut prudentissimum, ad arcendum temporale malum, consilium, *ut interficerent eum*, quantumvis innocentem. Nam antea in hoc tantum tumultuarie & segniter incubuerant.

54. *Jesus ergo*, sciens decretum eorum jam non in palam ambulabat, more hominis sibi, inquit August. & more justici cavens etiam aliis: ne vel illos magis exasperaret, vel se studio in periculum precipitaret, cum nondum venisset hora sua: *sed abiit in regionem juxta desertum Judææ*, non procul a Jordane, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, Græce (*Efroin*) Ephraim. Urbs obscura est; nam quamvis aliqui putent, fuisse Ephron, de qua prima Machab. 5 vers. 46. minus est verisimile, quia erat ultra Jordanem. Verius est esse Ephron, de qua 2 Paralip. 13 vers. 19. quæ erat prope Bethel in tribu Ephraim.

55. *Proximum autem erat pascha Judeorum*, quartum prædicationis Christi, in quo

SECUND. JOANNEM Cap. XII. 251

quo & crucifixus est: & *ascenderunt multi Jerosolymam de regione*, id est, ex tota terra promissionis, ut *sanctificarent seipsos*, id est, purificarent, seu mundarent per aliqua sacrificia pro peccatis oblata: de cujusmodi sanctificatione prævia secundum præscriptum ante comestionem agni Paschalis, fit mentio 2. Paralip. 30 vers. 18.

56. *Querebant ergo Jesum*, ut qui sole-
ret festum istud multis diebus ad docen-
dum prævenire, & colloquebantur: *Quid*
putatis, quia non venit? Græce (ty doki
hymain, &c. Quid videtur vobis an non ve-
niet ad diem festum? Est enim interroga-
tio hominum, qui de adventu ejus in-
certi sunt, idque propter illud manda-
tum, de quo sequitur. Chrysost. tamen
cum suis, itemque August. Rupertus, &
alii, putant eos, hoc malo animo quæ-
sivisse, ut eum scilicet juxta mandatum
Pontificum comprehenderent.

C A P U T XII.

Historia convivii hujus late expli-
cata est Matth. 26. Solum observandum,
quod dicitur de Juda, murmurasse eum
de unguenti effusione tamquam nociva
pauperibus.

6. *Non quia de egenis pertinebat ad eum Græce (ouch hotiperi tonptochon emelen avto,) non quia de pauperibus ei cura erat, sed quia fur erat, in usum privatum rapiens, quæ in communem Christi & Apostolorum dabantur. Unde Basil. de hac furti specie loquens in Constitut. Monasticis, cap. 35 Societatis, inquit, expilatio est, rei cujuscunque & undecumque in privatum usum sevocatio; & qui id facit, alter Judas est. Et loculos, seu marsupium, habens suæ fidei creditos, ea quæ mittebantur, Græce (Ta ballomena) que conjiciebantur, scilicet intro in loculos, portabat, tamquam dispensator & œconomus familiæ Christi: non tamen, ut videtur, pro libitu suo, sed juxta jussu Domini qui videtur administrationem loculorum sibi servasse, tam quoad dandas eleemosinas, quam res familiares. Nam ideo putabant discipuli, cap. 13 vers. 29 Christum dicendo, quod facis, fac citius, jussisse, ut aliquid emeret necessarium, vel egenis daret. Porro hinc & ex cap. seq. patet, non sic Christum sectatum esse paupertatem, quin aliquid in communi possideret, quod ei a piis viris, vel mulieribus, ut est Lucæ 8 vers. 3. offerebatur; non in puram eleemosinam sed in stipendium, tamquam naturali jure debitum iis, qui prædicant Evangelium. Patet item, hoc non repugnare mandato de deponenda sollicitudine in*
ora-

crastinum, quam prohibet Matth. 6. v. ult.

Cognovit ergo turba multa, quia illic est, id est, quod esset Iesus in Bethania: Et venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, id est, curiositatis, non charitatis causa, ut Augustin. experiri scilicet volentes videndo, & interrogando, an verum esset, quod sana narrabat. Et quia Lazari celebritas, & publica conversatio, & continua præsencia reviviscere faciebat quotidie miraculum; mirabili invidia & cæcitate ducti

10. *Cogitaverunt, ut & Lazarum interficerent, una scilicet cum Jesu, ne etiam Jesu occiso, propter Lazarum superstitem in ipsum mortuum crederent, sicut propter ipsum credebant in viventem; vel ne Lazari superstitis præsencia esset perpetua redargutio impietatis ipsorum. Sed stulta erat hæc cogitatio & cæca sævitia; Dominus enim qui suscitare potuit mortuum, etiam posset occisum, inquit August. Tract. 50 in Joan.*

12. *In crastinum autem, id est, postridie illius cænæ, quæ erat dies quinta ante diem festum Azymorum, seu pascha, incidens in diem, quem dicimus Dominicum, seu primam sabbati, eratque decima mensis primi, qua die agnus Paschalis deligebatur, & in locum immolationis ducebatur, immolandus in*
Pa.

Paschate, juxta legem Exodi 12 vers. 3 Quam figuram implendo Christus eadem die Jerosolymam intrare voluit. *Turba multa, quæ venerat ad diem festum, jam instantem, partim purificationis partim agni mature præparandi causâ, cum audivissent, quia venit Jerosolymam, id est, quod venerit, & jam esset in itinere,*

13. *Acceperunt ramos palmarum, &c. ut cum insigniis victoriæ ipsum festive, & quasi triumphantem, Jerosolymam introducerent, jumento vectum, more eorum, qui inaugurantur. Porro de hac introductione, vide dicta late Matth. 21*

17. *Testimonium ergo perhibebat, cæteris scilicet præsentibus, qui non viderant miraculum, turba, quæ cum eo, &c. id est, quæ oculis suis spectaverat suscitationem Lazari, totamque rei gestæ feriem.*

18 *Propterea & obviam venit ei turba. Ubi Evangelista dat rationem, cur totus populus obviam Christo effusus fuerit, quod nunquam antea contigerat, nempe quia fama tanti miraculi totam civitatem impleverat.*

19. *Pharisei ergo, tamquam rebus desperatis indignissime ferentes populi fidem in Christum, tantamque gloriam ejus, dixerunt ad semetipsos, id est, inter se; erubescabant enim coram aliis faceris irritis conatibus suis ab eo esse superatos: videtis, quia nihil proficimus, omni*

nostra contradictione resistentia, mandatis; Ecce *mundus totus post eum abiit*, credendo eum, & confitendo Messiam, spre-
tis nobis: qu. d. Opus est celeri & fe-
veriore remedio. Verba sunt enim ho-
minum hyberbolice exaggerantium ma-
li magnitudinem, ut se acuant ad exe-
quendum quantocius occisionis decre-
tum.

20. *Erant autem quidam gentiles*, Græce vocantur, (*hellynes*) Græci, qui phrasi Scripturæ novi testamenti solent Judæis opponi. Chrysost. itemque Cyril. putant, eos de Judaismo suscipiendo cogitasse, hoc est, ut proseliti fierent, qui *ascende-
rant* Jerosolymam, templi visendi cau-
sa, quod pro sui veneratione & sancti-
tate per universum mundum honoraba-
tur; ut 2 Machab. 2 v. 12. *Ut adorarent
in die festo*, non solum precibus, sed &
sacrificiis per sacerdotes offerendis. Nam
hoc factitatum fuisse patet ex sacrificiis
quæ Heliodorus ethnicus obtulit, ibid.
v. 35. Hinc enim erat & atrium Gentium,
ubi orare sinebantur Deum Israelis.

21. *Hi ergo accesserunt ad Philippum*, si-
ve primum obvium, sive aliunde notum,
siue in extrema turba versantem, ut,
siquid forte esset Domino concionanti
nuntiandum, via per turbam tamquam
auctoritate discipulatus sui facta, nunti-
aret. *Et rogabant eum: Domine, volumus
Iesum videre*, quod propter circumfusam
undi-

undique turbam non poterant. Hoc ipsum vero erat argumentum propensi animi in Jesum: nam sic etiam Zachæus voluit tantummodo videre Jesum, non alloqui ex sycomoro. Per alios vero accessum quærere, erat submissionis, reverentiæ, & honorificentiae non exiguae. Sciebant, enim Judæos, ipsumque Christum Gentilium consortium declinare.

22. *Venit Philippus & dicit Andræ*, tamquam feniori, prius vocato, majoris auctoritatis. Ratio communicandi rem Andræ fuit, quia præter consuetudinem & Christi præceptum, Gentiles ad eum adducere, videbatur Philippo esse majoris momenti. Re vero intellecta,

23. *Jesus respondit eis*, tam Apostolis, quam Gentilibus a longe audientibus; nec enim aliud eis responsum dedisse legitur: *venit*, seu instat, *hora*, ut clarificetur *Filius hominis*, id est, ut ego multo illustrius, quam inter Judæos, brevi glorificer inter Gentiles; quod iste accursus istorum ad me significat. Itaque tacite indicat, gratam sibi esse visitationem istorum, qui tamquam Gentium primitiæ nomine omnium profitebantur, Christi conspectum sibi fore acceptissimum. Sed quia ista glorificatio non nisi morte sua præeunte fieri poterat, explicat hoc Christus familiari similitudine:

24. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti, cadens in terram, id est, seminatum, mortuum fuerit, terræ scilicet humore & calore resolutum, ac putrefactum, ipsum solum manet, unicum scilicet, & sterile & sine fructu: nam ei opponitur, quod mortuum multum fructum affert, nempe pro uno grano plurima. Relinquit supplendam alteram similitudinis partem hoc vel simili modo; Ita ego, si mortuus fuero, instar unici grani messem ingentem, fidem & salutem omnium Gentium prolaturus sum. Nam, ut August. Christus est granum illud mortificandum, & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Judæorum, & multiplicandum in fide omnium populorum. Porro exhortans omnes ad istius passionis sectanda vestigia, ut sicuti tribulationis, ita & clarificationis Christi participes esse possint, addit:*

25. *Qui amat animam suam, hoc est, semetipsum, videlicet in hoc mundo, sicut ex sequenti parte supplendum est. Amat autem sic animam suam, qui non nisi hujus mundi sibi quærit commoda, & fugit incommoda: odit autem, qui hujus mundi austeritates & afflictiones non fugit propter iustitiam, De qua sententia vide latius dicta Matth. 10. versu 39.*

26. *Si quis mihi ministrat, id est, si se ministrum meum profiteri velit, me sequatur*

tur, id est, imitetur, ut August. in o-
diendo scilicet animam suam in hoc
mundo. Christus enim pro nobis passus
est, inquit sanctus Petrus, relinquens
nobis exemplum, ut sequamur vestigia
ejus; & ideo Petro ministrorum primo
dicit, *sequere me*. Sed qua mercede? Ne
timeat animam suam a morte interitu-
ram, quia *ubi sum ego*, id est, brevi ero,
in æterna scilicet & ineffabili gloria a-
pud Patrem, *illic & minister meus erit*,
ejusdem consors gloriæ, beatitudinis, &
honoris; nam hoc quasi explicans sub-
jungit: *Honorificabit eum Pater meus*, illo
scilicet honore maximo, ut ibi sit adop-
tatus, ubi est filius unicus & naturalis
non æqualis factus divinitati; sed conso-
ciatus æternitati, inquit August. Ubi e-
nim bene erit sine illo? aut quando esse
male poterit cum illo? Facta autem pas-
sionis instantis mentione, subjicit:

27. *Nunc anima mea turbata est*, id est,
passionis horrore & mœrore concussa,
adeoque istis affectibus inquietata. Nec
vero ab alio quopiam turbata est, sed,
ut Cap. præced. dixit, *Turbavit se ipsum*,
quia animo præmeditato, suppliciorum
& passionis amaritudinem sibi proposuit,
eosque affectus non necessità, sed e-
lectione voluntatis induit, ut latius dic-
tum in Cap. 26 Matth. Hujusmodi au-
tem turbatio videtur Christo non hic
tantum, sed totius vitæ decursu sæpe
con-

contigisse. quoties subiret animum passionis instantia. Nam inde sunt illa verba apud Lucam c. 12. v. 50. *Baptismo*, scilicet sanguinis mei, *habeo baptizari*; & *quomodo*, id est, quantopere, *coardior animo*, *usque dum perficiatur*? Cujus angustiae exemplum hic editum voluit, ut inde conjiceremus, quod frequenter animo pateretur. *Et quid dicam*, Patri? id est, Quid rogabo eum? Sunt enim verba anxii & deliberantis, cui in hominibus infirmis, quorum figuram in se exprimere voluit, primum occurrere solet liberatio ab angustis. Quid ergo rogabo? *Salvifica me ex hac hora*? id est, an istud petam, ut liberes me ab hac instantis passionis angustia? Videtur enim apte legi posse interrogative, sicut insinuat Theophyl. Quamquam si assertive legatur, ut August. & alii legunt, exponi potest eo modo, quo orationem Christi in horto fusam pro transferendo calice expellimus. *Sed propterea veni in horam hanc*, ut scil. non salver ex ea; sed moriar. Importunum est autem, onus aliquod aggredi, & cum ad rem venit, tergiversari. Est enim correctio naturalis istius desiderii, quo passionem horrebat: quod d. Non hoc rogabo Patrem, sed istud potius;

28. *Pater clarifica*, Grace (*doxason*), *glorifica*, *nomen tuum*, sive vita, sive morte mea. Est enim simile illi, quod in

passione dixerat, *Fiat voluntas tua. Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi*, id est, jam glorificavi nomen meum, tot scilicet mirabilibus in vita tua, & iterum clarificabo, per mortem & exaltationem tuam. Ex illis enim fides & cultus Patris inter Judæos propagatus fuerat; ut ideo dixerit postea, *ego te clarificabo super terram*: ex his vero etiam religio ejus inter Gentiles propaganda.

29. Cum ergo quidam putarent tonitruum esse factum, propter vocis magnitudinem, & quia non nisi in articulatam sonum exceperant: alii vero minus hebetes existimarent, *Angelum ei locutum esse*, cujus ministerio vox tam excellens nomine Patris sonuisset,

30. Respondit Jesus: *Non propter me hæc vox venit*, ut per eam instruar de ignotis, vel conforter in adversis, quasi turbatus; *sed propter vos*, ut inde discatis, me esse missum a Deo, me non esse adversarium ejus, me esse curæ ipsi, me gloriam ejus quærere. Statim autem explicat, quid sibi vox illa voluerit, hoc est, modum, quo clarificatus esset Pater, dicendo:

31. *Nunc judicium est mundi*, id est, jamjam instat tempus, quo causa humani generis definienda est. Intellige, non in malum, per justum judicium condemnationis, sed in bonum pro mundo, adversus Principem hujus mundi, quem ipse

ipse captivum tenebat. Nam explicans id, quod dixerat, *Nunc, inquit, princeps hujus mundi*, diabolus (non quasi cœli terræque dominus sit, inquit August. absit; sed *mundi*, id est, hominum in mundo habitantium, quibus universis peccati persuasione dominatus est) *ejicietur foras*, ex cordibus hominum tamquam ex arce, quam occupavit. Fecit hoc Deus, dum eum prius justitiæ, deinde potentiæ suæ vinculis alligavit. Justitiæ quidem: justum enim erat, ut quia diabolus merito tenebat eos, quos peccati reos conditione mortis obstrinxerat hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit. Hac justitia victus, & hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus diriperentur, inquit August. lib. 13 de Trinit. cap. 15. Merebatur enim omnium amittere servitutem, dum unius nihil debentis persequitur libertatem, ut ait S. Leo serm. 8. de passione. Postea vero vinculis potestatis alligat diabolum, quando eum juste innocenti sanguine victum, potenter ejicit in baptismo extra corda hominum, & coërcet eum, ne amplius intus tyrannice Dei electis dominetur, sed tantummodo foris oppugnet.

32. *Et ego si exaltatus fuero a terra*, id est, nam ego cum in crucem actus fuero (datur enim ratio versus præceden-

tis explicando modum, quo Princeps ille a principatu suo in homines dejiciendus erat) *omnia*, quæ possidebat, & ex quibus ejicitur foras, inquit Augustinus, hoc est, omnes nationes, vel omnia hospitem genera, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in artium licitarum & utilium professionibus omnibus, prout idem explicat; non enim omnibus omnino individuís hominibus loquitur, propter id, quod sequitur, *traham ad meipsum*, ut sim caput eorum, & illi membra mea, hoc est, ut in me credant, & mihi amore cohæreant: nam talem esse tractum Dei, patet Joan. 6. v. 44. Hoc vero non in omnibus omnino contingit. In verbo autem *trahendi* indicatur & potestas gratiæ trahentis, & vis diaboli resistentis, & infirmitas ejus, qui trahitur.

33. *Hoc autem*, de sua exaltatione, dicebat, significans, qua morte esset moriturus, id est, quo mortis genere. Videtur enim hæc phrasis apud Judæos fuisse usitata ad significandam mortem crucis, sicut apud nos significat suspendium; nam ut ex versu sequenti patet, Judæi sic statim intellexerunt. Nisi dicamuseos in verbis ejus intellexisse id, quod facere cogitabant; ut eis verborum istorum obscuritatem aperuerit, non infusa sapientia, sed stimulata conscientia, ut sentit Aug.

Itaque

34. *Respondit turba : Nos audivimus ex lege, id est, ex lacris litteris, prout & Psalmi supra nomine legis vocati sunt, quia Christus manet, id est manebit, vivet, regnabit, in æternum, juxta illud Psalmi, Tu es sacerdos in æternum : & illud Isaie 9. v. 7. Super solium David, & super regnum ejus sedebit amodo & usque in sempiternum ; de quo & Danielis 7. v. 14 & aliis locis. Et quomodo tu dicis : Oportet exaltari filium hominis, id est, quomodo ergo dicis, te filium hominis (sciebant enim, eum sic se vocare solitum, vel sic se in superiori sententia vocasse, etsi Evangelista non exprefferit) in cruce moriturum ; cum videlicet una ex parte te pro Christo geras, & nunc pro Christo receptus sis ; & ex altera parte mori repugnet Christi æternitati. Ex quo patet, eos existimasse Messiam suum in æternum victurum. Quis est iste filius hominis, quem in cruce moriturum esse dicis ; Quo tacite videntur indicare velle, ipsum proinde non esse verum Christum.*

35. *Dixit ergo eis Jesus, non respondens ad quæstionem, quia importunum erat, sed potius fidem verbis suis habendam suadens : Adhuc modicum, id est, adhuc exiguo tempore, Græce (heti mikron chronon, ad modicum tempus,) lumen in vobis est, seu vobiscum est, hoc est, Ego, qui instar lucis vobis monstro vi-*

am veritatis in credendis & agendis verbo, & exemplo, non diu vobis adero, sed brevi moriar. *Ambulate*, in me credendo, & sequendo, *dum lucem habetis*, me scilicet vobis præsentem, & præluentem. Nam quod Chrysoſtom. cum ſuis itemque Rupertus putant vitam uniufcuſque vocari *lucem*, mortem vero *tenebras*, non congruit præſenti loco, ut patet ex verſu ſequenti. *Ut non vos tenebræ*, errorum, excœcationis & obdurationis, *comprehendant*: & qui *ambulat in tenebris*, *nescit*, quo vadat. Nec enim viam videt, vel terminum viæ, ideoque errat, offendit, præcipitatur. Relinquit ſupplendam alteram partem ſimilitudinis: Ita qui *ambulat in mentis errore* & cæcis animi ſui affectibus, viam vitæ nescit, & in æternæ mortis exitium præcepſit. Proinde

36. *Dum lucem habetis*, me ſcilicet adhuc præſentem ac docentem, *credite in lucem*, ita ſcilicet, ut de veritate & virtute doctrinæ meæ, quamvis non intellectæ, non dubitetis, *ut filii lucis ſitis*, ſeu eſſe poſſitis. Fides enim integra, & indubitata, eſt certiffima ad filiationem Dei via, quamvis non ſit completa ejus forma. *Hæc locutus eſt Jeſus*, & abiit, & abſcondit ſe. Græce (*hapelithon hehriby ap' avton*,) cum abiſſet, fuit abſconditus ab eis. Nempe abiit vesp̄ri in Bethaniam, ut tradit Marc. c. II. v. II. & Matth. cap.

21. ut 17. idque clam æmulis suis, ne sciretur, ubi nocte diversaretur, ad evitandas eorum insidias.

37. *Cum autem tanta signa fecisset, in tanta scilicet multitudine, & magnitudine, & varietate, & virtute, idque coram eis, ut nullus esset tregiversandi locus, non credebant in eum.* Principes intelligit, maximamque turbæ partem. Ex quo facile intelligas, cur tanto studio inculcaverit Christus, ut in se tamquam in lucem crederent.

38. *Ut sermo Isaïæ impleretur, hoc est, ita ut prophetia ejus impleretur; eventum enim, non causam denotat ut: non enim quia hoc dixit Isaïas, idcirco non crediderunt, sed quia non erant credituri, ideo prævidit atque prædixit, ut ait Chrysostom. Quem dixit, id est, prædixit sancti Spiritus afflatu de Judæis istis. Voluit enim Deus hoc propterea prænuntiari, ne multos perplexos tene- ret tanta incredulitas erga Messiam, ipsis promissum & expectatum. Domine, quis credidit auditui nostro? id est, quam rarus est, qui credidit rebus auditis ex nobis, hoc est, Evangelio, quod ex nobis prædicantibus auditum est, ut exponit Apostolus ad Roman. 10. vers. 16. Et ipse Propheta exponens auditum illum, seu rem auditam, adjicit: *Et brachium Domini*, id est, Christus Dominus, qui *brachium* dicitur (quia virtus*

r 5 Patris

Patris est, & verbum ejus, per quod omnia facta sunt, ut declarat August. quia per verbum fit operatio) *cui revelatum est?* id est, quam raris per fidem agnitum est! Et quia dixerat, quod non crediderant, jam auget sermonem, quasi causam ejus reddens:

39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, non quasi prædictio Isaiæ, sed quia res prædicta erat causa illius impotentiae, excæcatio scilicet & obduratio voluntatis, ut sensus proinde sit, Non poterant credere, propter cœcitatem suam, quam prædixit Isaias, Nam superiore versu 38. prædixerat Isaias tantummodo incredulitatem Judæorum; hic vero reddit causam ejus & quidem talem, ut cum ea fides non possit consistere. Mentis enim excæcatio, & voluntatis obduratio talis est, ut quamdiu durat, nullo modo admittat fidem: est enim credendi impotentia, non prævia voluntati, quasi quæ jam volentem credere impediat; sed in ipsa firmissima & voluntaria voluntatis determinatione consistens, ideoque quam maxime culpabilis. Sic Itaque dictum est, non poterant, ubi intelligendum est, quod nolebant; quemadmodum dictum est de Deo, Negare se ipsum non potest. Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ; ita quod illi non poterant credere*

dere, culpa est voluntatis humanæ, inquit Augustin. Tractat. 53 in Joann. Ecce dico & ego, inquit ibidem, quod qui tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent, sibi esse necessarium divinum adjutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Christum scilicet tamquam in mediatorem, in Salvatorem, in adiutorem. Nam illa est proprie fides in Christum; & illi directe repugnabat illa Judaica, itemque Pelagiana superbissima præsumptio de viribus & justitia sua. Non poterant ergo credere, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere, ut August. ibidem docet. Porro quæ sequuntur v. 40. de excœcatione & obduratione, explicata vide Matth. 13. v. 14 & 15. Nam quod ibi dicitur, *Incrassatum est cor & oculos suos clauferunt*; hic vero, *excœcavit*, &c. significatur, excœcationem atque obdurationem, & ad homines & ad Deum referri. Ut intelligeremus, in uno eodemque opere, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis; dum diabolus suggerit, homo consentit, Deus delerit, ut docet August. 21. contra Faustum c. 9.

41. *Hæc dixit, quando vidit gloriam ejus, id est, majestatem Christi in illa gloriosa*

osa visione, & locutus est de eo, Christo in mundum venturo, in quem Judæos post tanta signa prævidit non credituros. Nam Isaia 6. ubi illa visio describitur, habetur etiam versu 10 illa prædicatio excœcationis. Vidit autem Isaias sub specie corporali significativo modo gloriosam quamdam representationem sanctissimæ Trinitatis, & consequenter etiam Filii Dei: nam illa verba apud Isaiam, *Quem mittam?* sunt verba Dei Patris, qui de missione Filii sui in mundum singulariter sibi competente loquitur. Et quia filius ex omnium personarum assensu incarnatus est, hinc subjungitur, *Et quis ibit nobis?* Cui respondit Isaias, nomine Filii Dei se paratum offerens, *ecce Ego, mitte me*, prout apposite exponit Athan. in illud Evangelii, *omnia mihi tradita sunt*. Nam illa, quæ sequuntur apud Prophetam, *Excæca cor populi ejus*, &c. non satis apte quadrant in personam Prophetæ, nisi prout figuram gerebat Filii Dei: ut hanc ob causam recte dicat Evangelista Isaiam hoc dixisse, quando locutus est de eo, scilicet Christo Filio Dei.

42. Verumtamen &, id est, etiam, ex principibus seu optimatibus, & Rempublicam gubernantibus, multi crediderunt in eum, insinuans, etiam ex vulgo credidisse in eum, tamquam Deum incarnatum ac Messiam. Addidit hoc per modum correctionis.

rectionis vers. 37. ne quis nullum omnino Judæorum putaret credidisse. Sed tamen propter Phariseos, profectos hostes Jesu, non confitebantur, id est, non se gerebant publice pro discipulis ejus, celantes, se in ipsum credere, ut e Synagoga non ejicerentur, sicut constitutum erat c. 9. v. 22. Quamvis ergo major esset potestas Principum, quam Pharisæorum, tanta tamen erat auctoritas horum & gratia apud plebem, ut nec Principes eos auderent offendere.

43. *Dilexerunt enim gloriam hominum, quæ ex conventibus, confessionibus in synagoga, & ex primis cathedris proficitur, magis quam gloriam Dei, id est, gloriam, quæ est a solo Deo, ut explicatur cap. 5 vers. 44. vel, ut Apostolus ad Rom. 4. vers. 2. gloriam, quæ est apud Deum, quam scilicet Deus promisit, ac tribuit confessoribus veritatis. Nam alioqui Gloria Dei etiam dicitur, qua glorificatur Deus; sed de illa non videtur hic agi.*

44. *Jesus autem clamavit, id est, clara ac libera voce non obstantibus Phariseis, professus est, ut scilicet re ipsa confitendi fiduciam doceret. Qui credit in me, non credit in me, id est, non tantum credit in me, quem abjectum hominem putatis, Sed etiam in eum, qui misit me, hoc est, in Patrem. Cum enim nemo credat in Christum, nisi qui cre-*

crediderit, eum esse Filium Dei, necesse est, ut hoc ipso credat & in Patrem. Similis est locutio cap. 9. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Addidit hoc, ut metum ac pudorem detraheret illis, qui non confitebantur, ut quia non erubescant in Patrem, tamquam Deum credere scirent, nihil causæ esse, cur non etiam in se crederent, utpote qui esset Filius ejus æqualis.

45. *Et qui videt me*, id est, per nonnullam fidei intelligentiam, perspectam habet naturam ac dignitatem meam; *videt eum, qui misit me*, quia una est, & inseparabilis utriusque natura, juxta id, quod supra dixit, *Ego & Pater unum sumus.* Adde, quia nec Filius sub ratione Filii intelligi potest, nisi intelligatur simul & Pater.

46. *Ego lux in mundum veni*, id est, ego cum essem lux æterna in principio apud Deum, per assumptam hominis naturam in mundum veni, ut videlicet mundo lucis; seu solis orientis officium præstarem. Tacite enim insinuat, ut August. notat, totum mundum in tenebris jacuisse. Qua de causa adjicit: *ut omnis, qui credit in me*, obediendo scilicet doctrinæ meæ, tamquam radiis lucis, *in tenebris non maneat*, erroris, & iniquitatis, & mortis æternæ, in quibus jam erat.

SECUND. JOANNEM Cap. XII. 271

47. *Et si quis audierit verba mea, auribus corporis, & non custodierit, credendo, obediendo, servando, Græcus legit (ky me pissevsi,) & non crediderit, scilicet fide per dilectionem operante, ego non judico eum, id est, non condemno eum, scilicet nunc in presenti sæculo, ut supplet August. & Euthimius. Causam reddit, non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut salvificem, id est, ad salutem revocem, mundum: q. d. Nunc in hoc adventu meo tempus est misericordiæ, postea erit judicii. Itaque ne se propterea impunem fore putaret, sub-
jicit :*

48. *Qui spernit me. Quid hoc sit, explicat sequentibus verbis, & non accipit verba mea; nam qui non credit verbis Christi, spernit eum, & afficit injuria, habet, qui indicet eum, id est, qui condemnet & puniat. Sermo quem locutus sum, quem August. intelligit ipsum verbum Dei, seu Christum, quem ipse annuntiabat; sed commodius videtur intelligi posse, esse ipsam Christi prædicationem. Ille ergo sermo, judicabit eum in novissimo die, quia præbebit materiam judicandi, causamque damnandi, adeoque tanquam testis dignum æternis suppliciis esse clamabit, propter contemptum sui.*

49. *Quia ego ex meipso non sum locutus id est, propria privataque auctoritate, sed Dei Patris, quia qui misit me Pater, ipse*

ipse mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Quæ duo vel idem sunt, vel, si quid discriminis est, dicere significat meditatam orationem, sed loqui sermonem familiarem: ut sic indicaret, nullum prorsus verbum sibi excidisse, multo minus factum, quod non Pater sibi præscripserit & præceperit. Itaque reddit rationem, cur sermo suus eos judicaturus sit, qui non crediderunt.

50. *Et scio, quia mandatum ejus vita æterna, id est, via ad vitam æternam, & causa ejus credentibus, & obedientibus, juxta illud Christi: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Qua causali phrasi dicitur Proverb. 16 v. 25, Dulcedo animæ sanitas ossium, id est, lætitia animi est causa sanitatis. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor, id est, sicut præscripsit, & jussit me ea secundum naturam humanam loqui. Et proinde qui spernit sermonem, quem locutus sum, spernit eum, qui misit me.*

CAPUT XIII.

Ante diem festum Paschæ. Non dicit, *Ante Pascha*, nam hæc ablutio pedum tacta est Paschate jam inchoato, utpote illa vespera, qua agnus immolatus fuerat:

fuerat : sed dicit, *Ante diem festum Paschæ*, Grace unoverbo (pro de tes heartes, ante festivitatem, seu ante lucem festivitatis Paschalis. Distinxit illa duo accurate Moyses, Levit. 23. v. 5. *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solemnitas Azymorum Domini est.* Quæ distinctio observatur & Num. 28. vers. 16 & utroque loco est in LXX. eadem vox Græca; quæ hic. *Sciens Jesus*, ab æternitate tamquam Deus, ab initio conceptionis; ut homo, quia venit hora, divinitus constituta; ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, per mortem; & subsequenter resurrectionem; & ascensionem; mors enim sola non fuisset ille transitus. Porro alludit ad nomen Hebraicum *Pascha* transitum vel transultum significans, quod quodammodo nobis Evangelista hic interpretatur ut notat Aug. Tract. 55. *Cum dilexisset suos*; Apostolos; seu familiares; nam toto tempore conversationis suæ nihil eis nisi dilectionis officia verbis & factis exhibuerat: *in finem dilexit eos*, id est; usque in finem vitæ suæ; imo etiam in finem usque dilectionis; quia nihil ejus dilectioni addi potuit, dum & summo humilitatis officio, quod mentibus eorum præcipue commendabat, pedes eorum lavit, & Sacramentum corporis & sanguinis sui eis præbuit, & sermone nihil nisi amorem spirante eos

consolatus est, ac denique animam suam pro eis posuit, qua nulla est alia major charitas, ut est, c. 15. vers. 13 Ita Aug.

2. *Et cœna facta*, id est, absoluta. Hanc aliqui intelligunt legalem, seu agni Paschalis; sed illa stando fiebat, juxta legem: Christus autem dicitur hic surrexisse a cœna. Intelligit ergo cœnam comunem, seu ordinariam, quæ post esum agni Paschalis, si quis largiore cibo indigeret, apponebatur, & proprie *Cœna* dicitur. Illa ergo finita, quamvis mensa, ciborumque reliquiis nondum sublatis, ut qui vellet, adhuc comedere posset. Cum diabolus jam misisset in cor, id est, suggessisset, imo persuassisset. Quod additur, non ad excusationem Judæ, sed ad sceleris exaggerationem: nam ante sæpius videtur Judas meditatus, ut traderet eum inimicis, sed benignitate & delinimentis pietatis Christi revocatus fuisse, donec diabolus ei hoc persuaderet ut notat Ambros. Hoc ergo adjicit Evangelista, ad designandum excessum humilitatis Christi, quod etiam illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat in scelere, inquit Aug. tam execrando. Multo autem magis magnitudo istius humilitatis elucet ex magnitudine majestatis ejus, de qua sequitur.

3. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*, id est, cum non esset ignarus se

Dominum universorum constitutum, quibus uti posset ad ministerium suum, & quia a Deo exivit, id est, ex Deo natus homo apparuit, & ad Deum vadit, per ascensionem in cælum. Quæ ideo notat Evangelista, ut sciremus, Christum humilem fuisse electione & voluntate, non ignorantia sui, ut Bernardus Serm. 42. in Cantica. Cum ergo tantum se esse sciret, tamen

4. *Surgit a cæna*, id est, a mensa, cibis adhuc appositis instructa, & ponit vestimenta sua, non omnia, ut videtur Origines Tomo 32. in Ioan. putavisse, ideoque linteo fuisse succinctum, sed tunicam exteriorē & laxiorem, quam proprie vox Græca (*hymation*) significat, vel certe pallium. Nam plures vestes gessisse Christum, præter tunicam inconsutilem, manifeste patet Joan 19 vers. 23. & Matth. 27 vers. 35. *Et cum accepisset linteum, præcinxit se*, eodem illo linteo ad extergendos discipulorum pedes. Fecit hæc omnia, ut expeditior esset ad istud ministerii genus, pleneque formam servi acciperet, nec alio ministro indigeret; ideoque tam minute hæc describuntur, ut omnibus magis admirabilis appareret humilitas.

5. *Deinde mittit aquam in pelvim*, manibus scilicet suis. Ubi Tertul. notat, Christum uti voluisse linteo, urceo, pelvi, & similibus instrumentis, quæ a Di-

is Gentilium adinventa creduntur, quia meras utilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessitatibus vitæ humanæ procurant, ut ab ipso Deo inspirata credantur, prospectore, & instructore, & oblectatore hominis sui. *Et cepit lavare*, id est, se composuit ad lavandum, vel certe istis verbis rem prius in genere exprimit, ut deinde ad singularia descendat. Non enim aliquos ante lavit, & postea venit ad Petrum, ut putat Orig. qui a Juda initium factum docet; sed a Petro, tamquam Apostolorum primo, lavando cœpisse videtur, ut Aug. Tract. 59. & Bernard. Serm. 2. de cœna Domini, & fere Latini. *Pedes discipulorum*, quia discalceati videntur incessisse. Pedes autem elegit potius, quam manus aut caput, quia in iis lavandis est major humilitas, & affectuosior charitas. Pedes subinde charioribus hospitibus lavari solitos ante convivium, satis colligitur ex Lucæ 7. vers. 44. Transtulit hunc ritum Christus in finem convivii, ut significaret, se sacrationem eis adhuc parare cœnam. Quid singula significant allegorice, vide Aug. in fine Tract. 55. in Joan.

6. *Venit ergo ad Simonem Petrum*, ut ab illo inchoaret illud humilitatis officium. *Et dicit ei Petrus*, expavescens videlicet ad personæ magnitudinem; & inauditum illud abjectionis exemplum: *Tu mihi la-*
vas

vas pedes? Singula verba spirant emphasim, quam expendens August. ait, Quid est *Tu?* quid est *Mihi?* quid est *Pedes?* Cogitanda sunt potius, quam dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua. Ita ille. Habent autem vim, tum recusantis præ reverentia, tum increpantis Christum, quod rem se indignam facere videretur.

7. *Respondit Jesus: Quod ego facio, tu nescis modo.* Nam, ut Cyrillus, Petrus putabat, ad quamdam solummodo corporis quietem, ut fieri solet, lotionem istam adhiberi, ad mitigandum scilicet laborem itineris, aut stationis, aut sordes abluendas: *Scies autem postea,* cum receptis vestibis accubuero, & postea cum Spiritus sanctus vos docuerit omnem veritatem. Tunc enim discipulis insinuatum est, lotionem istam fuisse fidei mysterium, & humilitatis insigne, ut loquitur l. 3. de Virginibus. Utrumque explicat, & primum quidem licet obscure vers. 10 alterum vero 14 & 15.

8. *Dicit ei Petrus* præternimiam quamdam & pietatis plenam erga Dominum reverentiam, arbitratus gravari humilitatem servi, si sibi obsequium Domini patienter admitteret, inquit Ambros. quia, ut notat Cyril. libr. 9. c. 4. in Joan. mirabilis horrorisque plena res erat videre Filium Dei ad suos pedes

prostratum. Cui similia habet Augustin. Tract. 36. Itaque Petrus Dominici facti altitudine exterritus, ait: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, hoc est, inquit Aug. nunquam hoc feram, nunquam hoc patiar, nunquam hoc finam: hoc quippe in æternum non fit, quod Quæ Petri recusatio, quia ab ejus fide, a reverentia, a dilectione, ab humilitate proficiscebatur excusabilis erat ante severam illam Christi comminationem; immo laudabilis, quia etiam civili honestati maxime congruebat. Respondit Jesus: *Si non laverō te*, id est, si pertinaciter te non permiseris lavari, *non habebis partem mecum*, in mensa, in consortio, in familia, in regno q. d. nihil mihi tecum amplius commune erit. Non quod humilis illa & verecunda Petri recusatio, quæ præcesserat, tantam pœnam mereretur, sed pertinax illa inobedientia meruisset illam, si perstitisset, ut insinuant Cyril. & Basil. in præmio lib. De moribus. Qui vero intelligunt, Christum minari, quod nisi eum laverit a peccatis venialibus præcedentibus, non sit habiturus partem cum Christo, eo quod nihil inquinatum intrare possit, in regnum Dei dant mysticum, non literalem.

9. Dicit ei Simon Petrus, adhuc vehementior in admittendo, quam fuerat in detrectando; quia amore & timore perturbatus, inquit August. plus expavescebat

bat Christum sibi negari, quam usque ad pedes suos humiliari: *Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput, supple, lavari sino potius, quam non habeam partem tecum.* Ex quo patet, eum antea potius ex amore & observantia, quam ex inobedientia lotionem recusasse.

10. *Dicit ei Jesus: qui lotus est, v. g. in balneis, ille non indiget, nisi ut pedes lavet, utpote qui facillime propter contactum terræ iterum inquinantur, si vel tantillum egressus fuerit, sed est mundus totus, præter pedes videlicet, quos solos habet opus lavare, inquit August.* Hæc est igitur prima pars similitudinis, cui Christus adjungit alteram: Ita & vos discipuli mei, *mundi estis, toti scilicet, hoc est, ita & vos loti estis a peccatis omnibus per baptismum, prout exponit August. vel per fidem & obedientiam sermonis mei, ut insinuat Christus, cap. 15. v. 3.* Relinquit supplendum ex præcedentibus, hoc vel simili modo: ut proinde non indigeatis, nisi ut vobis laventur pedes. Itaque transilit subito Christus a lotionem pedum corporali ad spiritua-lem, quam ex Christi mente significabat. Unde etiam *Pedes*, eodem interprete Augustino significant humanos affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur. Nam per illos terrenis rebus afficimur in quotidiana conversatione, &

fordibus peccatorum venialium inquinamur, ita ut subinde non tam pulvere aspergi, quam luto obliniri videantur, inquit Hom. 50. *Sed non omnes*, uno videlicet Juda excepto, quia nunquam mundatus, vel certe post mundationem mutatus fuerat. Hæc juxta Cyrillum, fuit quædam correptio & quidem prima Judæ, ut stimulo conscientie percussus, a consilio prodendi revocaretur.

12. *Postquam ergo lavit pedes eorum.* Quo insinuatur, ceteros, exemplo Petri eruditos, lotioni consensisse. *Dixit eis: scitis, quid fecerim vobis?* id est, quo consilio, qua significatione laverim pedes vestros? Interrogat ignorantes, ut attentiores reddat ad explicationem, quam supra v. 7. promiserat Petro.

23. *Vos vocatis me, Magister.* Vocativus est, sicut & illud, & *Domine*, quamvis Græce sit utrumque Nominativus: & bene dicitis, quia verum dicitis, *sum etenim.* Veritas enim & sapientia Dei est, quæ docet hominem scientiam, quæ doctrix est disciplinæ Dei, quæ in omni gente primatum habet, quæ omnium sublimium & superbiorum colla propria virtute calcat. Ergo, nec arroganter Christus hoc sibi tribuit, quia vere competit: nec jactanter, quia Deus; quantumcumque se laudet, non potest se extollere. Nec hoc faciendo, illi vitium

est, sed nobis beneficium, ut latius declarat August. Tract. 58.

14. *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, multo profecto magis & vos, servi atque discipuli, debetis alter alterius pedes lavare.* Est enim argumentum a minore, hoc est, a minus verisimili ad majus; vel si rem ipsam spectes, a maximo ad minimum. Non tamen de sola pedum ablutione sermo est, sed de quibusvis humanitatis obsequiis, atque ministeriis, cum quadam abjectione conjunctis. Et quia hæc lotio externa pedum ex Christi mente significabat, mundandos esse terrenos affectus, seu maculas leviores, tamquam pulveres pedum iis, qui corpus & sanguinem Domini suscipere debent: hinc ulterius sub lotione obsequia spiritualia comprehendit, quibus delicta proximum lavare debemus, sive orando, sive docendo, sive increpando, sive exemplariter conversando, sive peccata in se admissa dimittendo, ut satis indicat Aug. & Beda. Utroque ergo modo & sensu Christus in hoc facto suo nobis exemplum dedit, ut significat v. 15.

15. *Exemplum enim dedi vobis.* Ne quis vero suspicaretur, Apostolos & ministros Christi, propter legationis suæ sublimitatem, a talibus abjectis obsequiis eximendos, subjicit duas proverbiales sententias.

16. *Non est servus major Domino suo, &c.* ut proinde non dedignari debeat, quod non dedignatus est ejus Dominus, sed potius hoc ipsum ad gloriam ei valere & sufficere debet, quod humilitati magistri ac Domini æquetur, ut Tertull. in Scorpiaco, cap. 9.

17. *Si hæc scitis, beati eritis*, non sola cognitione, sed *si etiam feceritis ea*, quia, ut Apostolus ait: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Verum quia sciebat aliquos ex ipsis facturos ea, quæ sciebant, beatosque futuros, aliquem autem non; hinc ad illorum consolationem, hujus autem correptionem, addit:

18. *Non de omnibus vobis dico*, quod facturi sitis ea, vel beati futuri: *Ego scio, quos elegerim*, ad beatitudinem: quasi diceret: Est enim aliquis inter vos, qui neque beatus erit, neque faciet ea. Ita August. & quasi aliquis quæreret: Cur ergo eum inter tuos domesticos esse permisisti? Respondet objectioni: *Ut adimpleatur scriptura*, id est, voluntas Dei per scripturam expressa, qua decretum fuit, ut infidelitatem & prodicionem unius permitterem. Posset tamen etiam exponi de electione ad Apostolatam, hoc sensu: Ego novi, qui et quales sint, & quales sint futuri, quos in Apostolos meos elegi: non enim vel præsentis, vel futuri status eorum ignarus

narus hoc feci, sed ut adimpleretur scriptura, quæ dicit: *Qui manducat mecum panem*, id est, qui eodem mecum cibatur, & mensa fruitur (per quod familiarissima conjunctio significatur) *levabit contra me calcaneum*, id est, calce me petet, seu calcitrabit contra me, vel potius calcaneo, sed pede inter pedes posito, me supplantabit. Est enim metaphora, vel ab equo dolose dominum calcibus vulnerante, vel potius ab homine luctante, qui industria quadam, pede suo supplantat adversarium. Utroque modo significatur fallacia proditoris Judæ, qui sub specie discipuli & pacis, osculo magistrum tradidit. Unde LXX. legunt in Psal. 40. *Magnificabit super me supplantationem*, id est, magnam fecit supplantationem, quia mirum in modum decepit. Hæc secunda fuit Judæ admonitio.

19. *A modo*, Græce, (*ap' arti*,) *ex nunc dico vobis*, priusquam fiat, quod scilicet a domestico meo supplantandus sum: *Ut cum factum fuerit, credatis*, quia ego sum, is scilicet, qui sum, id est, ut credatis, quia sum verus Deus, cujus nomen proprium est, *Esse*, de quo Exodi 3. v. 14. Prædicat ergo eis prodictionem, a proprio discipulo futuram, ne eam videntes postea fieri, putarent, eum ignarum fuisse, & vacillarent in fide divinitatis ejus. Probatio enim di-

vinitatis

vinitatis, veritas est divinationis, inquit Tertull. in Apologet. Sed quia dicere posset aliquis infirmorum, si Apostolis in tam humilibus officiis versandum est, qua ratione tuebuntur auctoritatem suam, cum ab omnibus contemnendi videantur? occurrit Christus:

20. *Qui accipit si quem misero, me accipit,* &c. q. d. Homines in eis Deum ipsum veneraturi sunt, & proinde auctoritas eorum pendeat, non a pompa visibili, sed ex respectu suo, & Patris sui, quorum personam gerunt. Nam superiorum quidem est humilia obsequia non detrectare, sed inferiorum est, eos propterea non minoris facere.

21. *Cum hæc dixisset Iesus, amanter, placide, & cum totius animi quiete, turbatus est;* non tamen immediate post illa dicta: nam interposita fuit tota institutio sanctissimæ Eucharistiæ, ut patet ex Lucæ cap. 22. quam Joannes hic prætermittit, tamquam sufficienter ab aliis Evangelistis expressam. Itaque quod Matth. sequentia in Joan. verba narrat tamquam ante Eucharistiæ institutionem a Christo dicta, uti videtur anticipatione. Quamvis Aug. lib. 3 De consensu, c. 1. putet hæc immediate sequentia Christi verba eadem cum iis, quæ narrantur apud Matth. & Marcum, tamquam ante Eucharistiæ institutionem prolata: qua instituta continuaverit sermonem
de

de eodem Juda, sicut narrat Lucas, c. 22. v. 21 & 22. & 23. ubi interrogant inter se discipuli, quis hoc esset factururus: cui interrogationi docet Aug. subjungendum esse id, quod Joannes hic dicit, v. 23. *Erat ergo recumbens, &c.* Sed ut ante monui, facilius videtur dici posse, quod Matthæus & Marcus anticipationem usi fuerint in narrando, & omnia illa de Juda post Eucharistiæ institutionem dicta fuerint. Cum ergo Christus mentem suam convertisset ad imminentem jam passionem, & præcipue ad facinus Judæ, quod jamjam executurus erat, *turbatus est spiritu*, id est, animo suo: potestate scilicet, non infirmitate, quia sponte turbavit seipsum, ut August. Tract. 60. Nam affectum humanum in seipso sua potestate commovit, motu scilicet doloris, de duritia & perditione Judæ, ut eum efficacius revocaret. Quam ob causam etiam cum ante bis eum occulte perstrinxisset, nunc tandem tertio *testatus est*, id est, palam contestatus est, & aperte affirmavit, constanti etiam utens asseveratione *Amen, Amen.*

22. *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli*, partim stupentes rei novitate & atrocitate, partim ut observarent, si quod indicium in aliquo. ex voce vel vultu appareret, utpote *Hæsitantes*, de quo diceret. Lucas addit, eos quæsisse inter se, quis

effet hoc factururus; immo Marcus etiam, eos singulos rogasse Dominum; *Num quid ego sum?*

23. *Erat ergo recumbens unus in sinu Iesu*, quod infra vers. 25. dicitur, *supra pectus Iesu*, ut notat Aug. Quidquid enim est inter stomachum & brachia, *sinus* vocari solet. Nam Orientales plerumque recumbebant ad mensam in lectulis, seu thoris convivalibus, eo situ, ut in cubitum sinistrum incumberent, & reliqua pars corporis inferior extrorsum in longum protenderetur. Ex quo situ fiebat, ut caput ejus, qui secundus accumbebat, respiceret pectus, aut umbilicum primi, & sic deinceps de cæteris. Sic ergo cum Joannes accumberet Christo proximus, posterior pars capitis ejus respondebat sinui, seu pectori Christi. *Quem diligebat Iesus*. Hac periphrasi seipsum significat Evangelista, modestiæ causa nomen suum suppressens. Quod Scriptoribus sacris esse familiare, Moisi Matthæo, Paulo, tradit Augustinus. Porro hæc dilectio Christi erga Joannem erat familiarior quidam usus ejus, & quædam peculiaris benevolentiæ demonstratio, quia junior erat & virgo, & morum fortasse verecundia, & suavitate singulari, ut multi sentiunt. Hac ergo attenta Joannis cum Christo familiaritate, & loci propinquitate,

24. *Innuuit huic Simon Petrus* (unde constat eum a Christo fuisse remotiorem , fortassis e regione , ut facilis innuere potuerit) & *dixit ei* , hoc est , innuendo , seu nutu dixit , non aliquid sonando , ut notat Augustin. nam si aliquid verbo dixisset , non erat opus innuere. Unde Græce tantum est , (*nevi un tuto*) *innuit huic Petrus* , ut scilicet interrogaret , *quis est* , *de quo dicit* ? scire avidus , non quod de seipso timeret , ut aliqui putant ; quia constat , eum de seipso fuisse confidentissimum : sed ut pro suo amore ac zelo impediret.

25. *Itaque cum recubuiisset ille* , Græce (*hepipeson* ,) *cum incidisset* , seu *recidisset supra pectus Jesu* , erexerat enim se aliquantulum , sed innuente Petro reclinavit se iterum ad pectus Jesu , eo situ , quo supra diximus : *dicit ei* , secreto & quasi in aurem : *Domine quis est* ? Cui respondit :

26. *Ille est* , cui panem intinctum porrexero , id est , buccellam panis , ut est v. 27. instar offulæ condimento intinctam , quæ benevolentiae causa subinde alicui dari solet. *Et cum intinxisset panem* , dedit Judæ , & eo facto manifeste proditorem Joanni designavit. Porro hæc buccella non fuit corpus Domini , ut tradit Augustin. tum Tract. 62 tum aliis locis & Conc. Bracarense tertium Can. 1. Nam Judas cum cæteris Apostolis corpus Domini
acce-

acceperat, sicut Lucam evidentissime narrare dicit August.

27. *Et post buccellam*, acceptam & comestam; simulato animo quasi gratum habendo signum istud benevolentiae, *introivit in eum Satanas*, ut sibi jam traditum plenius possideret, tamquam dominus videlicet cogitationum & voluntatum ejus, in quem prius intraverat, ut deciperet, inquit Aug. Causam addit Hieron. in Epist. ad Ephes. quia tunc, inquit, vel maxime diabolo in potestatem damur, quando nec humanitate, nec clementia, nec mansuetudine ejus vincimur, quem indigne odimus. Nimirum Judas cum animadverteret, vel indicio illo buccellæ se Joanni esse proditum, vel etiam ceteris coapostolis per illa verba, *Tu dixisti*; quæ sunt apud Marth. exacerbatus in Christum, obfirmavit prorsus animum ad perficiendum scelus, quod pactus erat. *Et dixit ei Jesus*, videns animum ejus ad executionem paratum: *Quod facis*, id est, facere paras, *fac citius*. Vox est non jubentis, sed finentis, non trepidi, sed parati, qui ostenderet, se moram non facere traditori, & sic paternam exequi voluntatem, ut facinus, nec impelleret, nec timeret, prout explicat S. Leo serm. 7. de Passione. cui consentit Aug. Tract. 62. Cessit enim Jesus his verbis, ut posset Judas; non egit, ut vellet: q. d. Non

Non impedio, per me licet, ut facias, imo ut citissime facias. Eadem phrasi dixit Judæis, *Solvite templum hoc*: & Elizæus filiis Prophetarum importune urgentibus, ut mitteretur aliquis ad quærendum Eliam, *Mittite*: & Cyprian. moriturus dixit Proconsuli: *Fac, quod tibi præceptum est*, ut August. refert.

28. *Hoc autem nemo scivit discumbentium*, &c. ne Joannes quidem: quia quamvis proditorem sciret, non tamen ea nocte & jam statim perpetrandum esse scelus. Vel certe Joannes in eo numero seipsum non comprehendit, sicut nec Judam. Ex quo colligere licet, quanta fuerit & Judæ hypocrisis, omnia dissimulantis, & Apostolorum simplicitas in malo & Christi benignitas in Judam. Nam ex istis tribus capitibus factum est, ut in nullius mentem cadere posset alicujus mali suspicio.

30. *Cum ergo accepisset ille buccellam*, qua tamquam signo Joanni se indicatum suspicabatur, utpote quem aliquid interrogasse, vel locutum esse viderat, *exivit continuo*, specie exequendi præcepti Domini; sed revera furore quodam actus diabolo admovente calcaria. Unde Cyrill. cursim & gressu præcipiti Judam se proripuisse tradit, diabolo videlicet timente, ne morando daretur locus penitentiae, & quasi e temulentia mentem suam rectius cogitando eriperet. Qui &

addit, diabolum quoque timuisse, ne Eucharistia sumpta scintillam aliquam illuminationis in animo ejus accenderet. Nihil enim vetat corpus Domini etiam indigne sumptum præter legem quasi miraculo aliquid correctionis operari; qualem effectum tribuit August. baptismo in homine abominante baptismum, lib. 4. Confess. cap. 4. *Erat autem nox*, quæ apposite significabat Judæ tenebras, cui occiderat Sol justitiæ, ut August. lib. 2 de Cain & Abel, c. 4. Cum ergo supradictis verbis, *quod facis*, &c. Judam Christus e familia sua ablegasset, sicut olim Joseph Ægyptios, ne quis adesset alienus agnitioni mutux, coepit ab hoc tempore suavissimis verbis viscera charitatis suæ & quasi animam suam in discipulos effundere: nam ideo utitur particula illa continuativa.

31. *Cum ergo exiisset*, Judas nocte in-tempesta, *dixit Jesus*, familiarius tamquam ab eo liberatus, coram quo minus conveniebat has intimæ dilectionis margaritas effundere. Erupit itaque in hæc verba: *Nunc clarificatus est*, id est, glorificatus, seu clarus & celebris effectus est, *Filius hominis*, cælesti videlicet doctrina & admirandis miraculis: *Et Deus clarificatus est in eo*, id est, gloriose inclauit per Filium hominis, tum quod illa semper ad Deum Patrem retulisset; tum quod manifestum esset, ut fatebatur

Ni-

Nicodemus, neminem posse hæc signa facere, nisi Deus esset cum eo, cujus proinde virtus & bonitas per ea clarescebat.

32. Quod *Si Deus clarificatus est in eo*, id est, si hæctenus glorificatus fuit per Filium hominis: *Et Deus clarificabit eum in semetipso*, id est, jam vicissim tempus instat, ut Deus illustrem & gloriosum faciat Filium hominis, seu humanitatem ejus, *in semetipso*, id est, per seipsum, quia Deus in ipso existens, & subsistens in persona, gloriosum faciet, declarans, eum esse Filium Dei, idque *continuo*, etiam in media passionis imminuentis ignominia; maxime vero per gloriosam resurrectionem, & ascensionem in cælum, quæ statim consequentur. Utrūque tangit Chrysostomus.

33. *Filioli*, tenerrime scilicet dilecti. Videtur enim vox blandientis; quamvis etiam significare posset, eos adhuc tennellos esse, qui adhuc quasi uberibus Christi lactati nondum possent perfectiora portare. Quo sensu Apostolus vocabat Galatas *Filiolos*, quos iterum parturiebat, donec formaretur in eis Christus. *Adhuc modicum vobiscum sum*, id est, vobiscum more mortalium, & cum ista familiaritate conversabor. *Queretis me*, id est, præsentiam meam corporalem, ut ex ea solatium & adjutorium hauriat in tribulationibus ingruentibus: *Et*

sicut dixi Judeis, supple, sic etiam vobis dico, prout infra sequitur: Quo ego vado, ad possidendam gloriam meam in cœlo, vos non potestis venire, id est, non potestis me sequi. Sed quia aliquando secuturi erant, adjicit explicationis causa: *Et vobis dico, modo*. Ubi illud, modo conjungi potest vel cum dico, vel potius cum venire: ut sensus sit: Non potestis eo nunc venire, sed postea sequimini; sic enim videtur exponere hæc verba Christus ipse Petro v. 36. Ratio, cur non possent, erat, eo quod gloriæ illius participatio multis laboribus ac discursibus, imo morte ac passione ipsorum comparanda erat, ad quam tolerandam nondum erant satis fortes. Sic enim tanquam infirmitatis suæ notam accepit ea verba Petrus v. 37.

34. *Mandatnm novum do vobis*, hoc unicum scilicet, ex quo tamquam compendio discatis, quam vivendi formam me absente inter vos tenere debeatis, videlicet *ut diligatis invicem*, non verbo scilicet, neque lingua, sed opere & veritate. Nam ut regulam quamdam mutux istius dilectionis haberent, adjicit: *Sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*, hoc est, dilectione non carnali, sed spiritali, ut Augustin. Tract. 65 dilectione, qua temporalem vitam, & inco-
lunitatem, & commoda, æternæ salutis proximorum postponatis, sicut ego meam
post-

postposui vestræ. Sed cur *novum* vocat hoc *mandatum*, cum *mandatum dilectionis* ab initio fuerit? Diversæ rationes a Doctoribus tum antiquis, tum novis excogitatæ sunt. Aug. quia innovat hominem a vetustate. Sed Christus videtur novitatem non in dilectione, sed in ipso dilectionis mandato, quasi noviter dato constituere. Unde alii volunt *novum* dici, quod hucusque non sit datum. Sed hoc non videtur esse verum, ut patet ex illo magno præcepto dilectionis Dei & proximi toties inculcato. Alii aliter rem expediunt. Verosimilius videtur posse dici, *mandatum novum* do, quasi dixisset: *Mandatum de novo* do vobis, ut diligatis invicem, hoc est, meo exemplo, singularique affectu & studio, meo denique nomine instauro & commendo vobis præceptum dilectionis mutuæ. Nam inde est, quod Paulus illam vocat ad Galat. 6. *Legem Christi*; Joannes, teste Hieronym. *Præceptum Domini*: a quorum utroque propterea tantopere inculcatum fuit. Proinde addit Christus:

35. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis*, qu. d. Non ex jejuniis, vitæque austeritate, ut discipuli Joannis; non ex vestitus genere, & observantiis corporalibus, ut Pharisei; non ex certis philosophiæ placitis, ut Philosophi; non ex miraculis, linguis, sacramentis, prophetiis, scientia, fide, vel quocunque

dono, quod habere possunt & mali: sed
 sed ex sola dilectione, tamquam genu-
 ino symbolo discipulatus mei, cognos-
 cemini ad me pertinere. Nam sine cha-
 ritate reliqua omnia nihil profunt, ut
 Augustin. ex Apostolo, 1 ad Corinth. 13.
 Unde Tertull. in Apolog. cap. 39. Vel
 maxime dilectionis operatio notam nobis
 inurit penes quosdam. Vide, inquiunt,
 ut se invicem diligunt. Hæc ergo ge-
 nuina nota est, non Christianismi, non
 professionis Christi, non Ecclesiæ; sed
 veri, hoc est, sinceri, & boni Christiani.
 Cum autem Petro nihil altius inhaereret,
 quam quod dixisset Christus, *Quo ego
 vado, vos non potestis venire*; hinc quasi
 taxatus de infirmitate a Domino, ait:

36. *Domine, quo vadis?* quo scilicet
 non possum te sequi? respondit Jesus, po-
 tius ad mentem Petri, quam ad verba;
 nam animo sequendi hoc interrogaverat,
 ut Chrysost. & August. notant: *Quo ego
 vado*, per mortem ad regnum Dei, *non
 potes me sequi modo*, quia vires tibi de-
 sunt ad passionem pro nomine meo to-
 lerandam: *Sequeris postea*, quando &
 exemplo meo, & Spiritu sancto infuso
 mortis terrorem didiceris superare, &
 omnia bona & mala temporalia contem-
 nere.

37. *Dicit ei Petrus*, impatiens quo-
 Christus de se vel tantillum submis-
 sisset; nam plenus præsumptione virium
 sua-

suarum, nihil putabat esse tam difficile, quod non sua animositate superaret? Quare non possum te sequi modo? q. d. Estne aliquod incommodum, aut periculum vitæ, quod impediat? *animam meam*, hoc est vitam, quæ præ omnibus rebus diligitur, pro te ponam, quanto magis reliqua? *Pellem enim pro pelle & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, ut est Job. 2. Dixit hoc Petrus bono quidem animo, sed virium suarum ignaro: putabat enim hoc posse, quod se velle sentiebat. Nam charitas quidem ejus erga Christum vera erat, sed adhuc invalida, quæ multum crescere debebat, ut August. lib. De gratia & libero arbitrio c. 17.

38. *Respondit ei Jesus: animam tuam pro me pones?* q. d. Multum abest. Non enim tibi satis erit amore vitæ tuæ conservandæ fugere, vel confessionem nominis mei silentio declinare, sed non cantabit Gallus, id est, non erit tempus gallicinii, donec ter me neges, seu negaveris. Qua de re diximus latius Matth. 26. versu 33. Solum hic notandum, prædictionem istam trinæ negationis fuisse primam, & contigisse domi, quam & Lucas narrat cap. 22. Illa vero; quam narrant Matthæus & Marcus, contigit postea in itinere versus montem Oliveti, cum nondum Petri præsumptio esset satis compressa prædictione Christi.

CAPUT XIV.

Cum ergo videret Dominus, discipulorum animos prædictione tum proditionis suæ, & imminentis mortis, tum negationis Petri, qui omnium animosissimus videbatur, consternari, & pusilli animæ fieri, occurrit motibus illis:

1. *Non turbetur cor vestrum*, timore, vel mœrore ex dictis meis. Modum vero comparandi roboris & præsidii adversus instantes difficultates suggerens, *creditis*, inquit, *in Deum*. Supplenda est ex idiotismo Hebraico particula similitudinis: q. d. Sicuti ex lege Moysis instructi creditis in unum Deum, ita & in me credite, tamquam in eundem Deum & Filium Dei & quidem incarnatum, Nam hoc totum illis verbis indicat, ut Cyrill. notat. Fidem enim divinitatis, quæ sub lege explicite prædicabatur, non ad alium Deum transferendam esse docet, sed ad plures personas extendendam. Itaque tacite monet Christus, ut oculos mentis in divinitatem suam figant: nam ita fore, ne turbarentur, quidquid ei tandem accideret. Ne vero ad illam domum Patris, quo Christus migrabat, hoc est, ad regnum Dei, putarent non posse pervenire, nisi eos, qui summa essent virtu-

te, & animi robore præditi & ab omni lapsu alieni, adjicit:

2. *In domo Petris mei mansiones multæ sunt*, quia magna illa beatitudinis aula non solum capax est innumeræ multitudinis, sed in ea quoque diversissimi sunt beatitudinis, honorum, & dignitatum gradus. Utrumque enim notari & loci capacitatem, & gloriæ ejusque differentiam, observat Cyrill. *Si quo minus Græce (y de my) si autem non*, hoc est, alioquin, prout vertitur vers. 11. q. d. Si non essent multæ mansiones, quibus excipi possetis, ego dixissem vobis, scilicet, non esse, neque lactassem vos inani spe obtinendæ mansionis alicujus, quia vado parare vobis locum, id est, quia discessurus sum vestri causa, ut videlicet, quia cælum hætenus hominibus inaccessibile fuit, introitum ejus vobis aperiam ad capiendam possessionem ejus. Nam alioqui quantum ad prædestinationem, regnum & locus regni, unicuique paratus est a constitutione mundi, ut est Matth. 25. v. 34.

3. *Et si*, id est, cum vel postquam Abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, ad judicium omnium, & accipiam vos ad meipsum, id est, in consortium meum introducam, ut ubi sum ego, in domo scilicet & gloria Patris, corpore & anima glorificatus, & vos sitis, ejusdem gloriæ & beatitudinis participes:

q. d. Digressus a vobis non diu abero, nec obliviscar vestri, sed cito rediturus sum. Quod maxime valebat ad eos a turbatione recreandos. Porro sub adventu ad iudicium, Christus more suo adventum ad unumquemque in morte, qua ex hac vita singulos educit: intelligere solet, ut alibi dictum.

4. *Et quo ego vado, scitis, ex iis, quæ proxime & sæpius dixi, nempe ad Patrem in cœlum, in gloriam meam: Et viam scitis, qua ego illuc profecturus sum, scilicet per mortem meam.* Nam & utrumque eis prædictum fuerat. Sequia, juxta August. 14. De Civit. c. 7^d habemus in abdito mentis quarundam rerum notitias, quas videmur ignorare, vel quia inde non cogitamus, vel non recordamur, vel modum non satis penetramus, hinc Thomas dicit:

5. *Domine, nescimus, quo vadis: Et quomodo possumus viam scire?* Nam sicuti mortus, ita etiam via speciem sumit a termino: q. d. Tu dicis nos utrumque scire; nos utrumque nescimus. Quamobrem Christus latentem discipulorum scientiam eis ad memoriam revocans, & plenius eos instruens,

6. *Dicit ei, utrumque scilicet explicans, & viam, & terminum viæ: Ego ut homo scilicet, & mediator Dei ac hominum, sum via, illa scilicet, de qua quæritis, tam mihi ipsi, quam aliis.* Nam
Chri-

Christus sibi quidem via fuit, quia propriæ passionis merito intravit in gloriam suam, & Patris, ut patet Lucæ cap. 23. v. 33. & ad Philip. 2. Aliis vero via est, doctrina, exemplo, & merito, quia non nisi per ipsum habemus accessum ad Patrem. Majorem obscuritatem habet, quod adjicit, & *veritas* & *vita*. Plerique recentiores probabiliter volunt esse majorem explicationem viæ, q. d. Ego sum via veritatis & vitæ: Via vera, non fallax, non erratica; Via, quæ sine errore ducit ad vitam æternam. A qua interpretatione non abhorret Hilar. lib. 7. de Trinit. Cui sensui apposite subjungit, *nemo venit ad Patrem*, tamquam ad terminum viæ, (sic enim explicat, quo vadat) *nisi per me*, id est, per doctrinam meam, cui obtemperet; per conversationem, quam imitetur; per mortem, qua redimatur. Sed quia singulis oculis valde emphatice est additus Græce articulus (*he hodos*) &c. *illa via, illa veritas, illa vita*: videntur singula in abstracto merito de Christo explicari posse, præsertim quia ei sic propriissime conveniunt. Itaque Augustinum hic, tum alibi, plerumque vult his duobus vocabulis explicari terminum viæ, nempe divinitatem Christi, quam eandem habet cum Patre suo; primo vero verbo explicari ipsam viam, scilicet humanitatem ejus. Creatura quippe rationalis

nalis in suum terminum, sub ratione veritatis & vitæ consideratum proprie & principaliter tendit, quia nihil anima fortius desiderat, quam veritatem & vitam, quorum utrumque Deus est. Unde & ejus beatitudo non est aliud, quam immortale, nulla molestia interpellante de ipsa sola, per quam vera sunt omnia, veritate gaudium, ut August. lib. 10. Confess. cap. 23. Itaque Tract. 69. Christus, inquit, ibat ad veritatem, ibat ad vitam. Ibat ergo ad seipsum, per seipsum. Et nos quo imus, nisi ad ipsum (id est, ad fruitionem vitæ & veritatis, seu divinitatis ejus) & qua imus, nisi per ipsum? Ipse igitur ad seipsum per seipsum, nos ad ipsum per ipsum; imo utrique ad Patrem, qui eadem cum ipso Veritas & vita est, seu idem & unus Deus. Nam ne alium vitæ terminum induxisse videretur, quam Patrem, addit juxta hunc Augustini sensum, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Et quia causari possent discipuli, se quidem jam ipsum scire, quod sit Veritas & vita, ad quam venire debeant, sed se Patrem ejus ignorare, tollit eis hanc excusationem:

7. *Si cognovissetis me; secundum divinam naturam meam, & Patrem meum, id est, etiam Patrem, utique cognovissetis, quia propter divinæ naturæ identitatem non potest natura Filii cognosci, nisi*

nisi & natura Patris cognoscatur. Imo nec una persona sine altera cognosci potest, tum quia divina natura propter summam simplicitatem ejus, cum qua personalitas identificatur, non nisi tota videri potest: tum quia ratio personæ, seu proprietas personalis est relativa; quo fit, ut qui unam videat, videat & alteram: & modo cognoscetis eum, cum Spiritus sanctus brevi in vobis complebit cognitionem Dei, ac personarum divinarum; imo & vidistis eum, quatenus naturam seu divinitatem meam, ex doctrina & mirabilibus operibus meis, & ex revelatione Patris credidistis, & utcumque cognovistis: nam illa eadem est ipsissima natura Patris: Adde, quod jam omnes Apostoli per revelationem cognoverant Christum esse Filium Dei vivi; prout Petrus profitetur Matth. 16. Non potest autem Filius agnoscī sub ratione Filii, nisi agnoscatur pater.

8. *Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem*, id est, exhibe eum oculis nostris corporalibus præsentem, quem nos vidisse dicis. Arripit enim Christi verbum, quo omnes Patrem vidisse dixerat, non audens aperte respondere, quod non ita esset: q. d. Fac, ut quod dicis, verum sit, & eum clare demonstra: & sufficit nobis, hoc est, & nihil aliud ultra quærimus, utpote qui te jam satis novimus atque vidimus. Quamquam
Cyrill.

Cyrill. & nonnunquam August. hoc ita exponant, ut id sufficere velit Philippus ad plenam beatitudinem, quæ in perfecta Dei visione sita est.

9. *Dicit ei Jesus*, ut declararet ejus inexcusabilem imperitiâ: *tanto tempore vobiscum sum*, docendo vos verbis, & operibus, quis ego sim, & non cognovistis me? per hoc indicans non solum eos Patrem, sed ne se quidem cognovisse, quem oculis videbant, maximeque se cognoscere putabant. Ratio est, quia *qui videt me, videt & Patrem*. Non quod ipse esset Pater simul & Filius, quod in Sabellianis Catholica fides damnat; sed quod tam similes sint Pater & Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit, inquit A. Nam propter naturæ unitatem, uno intuitu conjunctim videntur Pater & Filius propter personarum vero ordinem, consequenter. Insinuat ergo, duas in se esse naturas, eo ipso, quo significat se ab illis non videri, etiamsi corporalibus oculis hominem viderent. Quomodo tu dicis, id est, quomodo igitur tam imprudenter, & imperite loqueris, ut dicas, *ostende nobis Patrem?* qui Patrem tam quoad naturam, quam proprietatem personalem in meipso videre potuisti. Quod tamen si nondum intelligitis, an saltem

10. *Non creditis*, (Græce *hu pisthevis*, non credis, ut solum Philippum alloquatur) *Quia ego in Patre, & Pater in me est?*
prop-

propter unam & eandem utriusque naturam? q. d. Non credis, quod ego & Pater unum & idem sumus, tamquam duæ personæ unius naturæ? Probat hoc autem ab effectis, quia *verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor, ita scilicet, ut non a Deo Patre. Nam quamvis Filius haberet in se principium loquendi, hoc ipsum tamen habebat a Patre. Pater autem in me manens* (quo significat, se ita, Patre processisse, ut tamen ab eo non sit divulsus aut separatus) *ipse facit opera, tam verba scilicet, quæ loquor, quam miracula, quæ facio. Per quod manifestum relinquit, inquit Ambros. lib. 3. de fide c. 5. quod unum omnino opus Patris & Filii credere debeamus, & consequenter inseparabilem esse utriusque naturam, qua Filius sit in Patre, & Pater in Filio; quod probandum susceperat.*

II. *Non creditis, igitur mihi affirmanti, quia ego in Patre & Pater in me est? Neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus, inquit August. Alioquin, si scilicet verbis minus creditis, propter opera ipsa, mirabilia, credite, quæ in testimonium huius veritatis edidi, quod ego & Pater unum & idem sumus, hoc est, unus Deus, & consequenter ego in Patre, & Pater in me. Nam opera evidenter probant, Christum esse Deum, partim om-*

omnigena sua varietate, & magnitudine, propter quod dicit c. 15. se opera fecisse, quæ nemo alius fecit: partim ex facientis auctoritate, quia faciebat ea non tam rogatu, ut alii Sancti, sed jussu & imperio suo, tamquam evidenti propriæ virtutis testimonio: partim quia ad hanc ipsam veritatem adstruendam ea faciebat. Quod si adhuc ista non sufficiant, addo adhuc aliud potentius.

12. *Amen dico vobis, qui credit in me, istud scilicet credens, quod asserui, me esse in Patre, & Patrem in me, seu me Filium Dei consubstantialem Patri, opera miraculosa, quæ ego facio, quæ ego homo mortalis hætenus feci, & ipse faciet, q. d. Non solum mihi est illa facultas patrando miracula, sed, quod amplius est, eam etiam aliis dabo, ut & ipsi inde colligant, sanam esse fidem suam de divinitate mea, & hoc aliis persuadeant. Imo majora horum faciet, id est, majora his: Primo, amplitudine, quia Christo prædicante pauci Judæi miraculis crediderunt, discipulis vero omnes Gentes. Secundo, quodam taciendi modo, quia Christus fimbria sua, Petrus etiam umbra sua sanavit ægrotos. Utrumque modum tangit August. Tertio, etiam difficultate faciendi: Christus enim quatridduo mortuum & foetentem, nonnulli Sancti etiam multis annis defunctos suscitaverunt. Quarto, visibilia miracula*

cula Christus fere circa corpus fecit, discipuli etiam circa animas, dum visibiliter Spiritum sanctum impositione manuum dederunt. Nec tamen propterea Sancti sunt majores Christo, quia per Sanctos illa eadem fecit Christus; quod in sequentibus significat, *quia ego ad Patrem vado*, sessurus ad dexteram ejus in gloria Patris, tamquam Dominus omnium.

13. Et propterea quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, id est, per me, & propter merita mea; insinuans, discipulos hac majora per invocationem Dei Patris, interposito Christi nomine facturos, ac facere debere; *hoc faciam*, una scilicet cum Patre exaudiens & faciens, tamquam auctor istorum operum mirabilium: *ut glorificetur Pater*, tamquam originalis effector istorum operum majorum; *in Filio*, id est, per Filium, tamquam per mediatorem, utpote cujus invocatione facta sint: deinde tamquam per artem omnipotentis Dei Patris aequalem, qua facta sunt. Indicat ergo, finem miraculorum esse gloriam, qua glorificatur Pater in Filio & vicissim Filius in Patre, quoniam unum sunt Pater & Filius, & neuter sine alterutro facit, ut August. Ut vero scirent, etiam ipsum Christum invocari posse, & non solum Patrem per Christum, ut quidam haeretici arbitrati sunt, subjungit opportune,

14. *Si quid petieritis me in nomine meo, id est, propter memetipsum, & gloriam nominis mei, hoc faciam.* Quamquam Græce desit illud, *me*, ut sit tantum repetitio sententiæ præcedentis, asseverandi causa, quia ritum orandi hætenus inusitatum introducebat, per merita scilicet incarnationis suæ. *Hoc faciam*, tamquam æqualis Patri, idque non minus, ac si essem præsens corpore. Quomodo vero hujusmodi promissio intelligenda sit, dictum est Matth. 7. vers. 7. Et hætenus quidem respondit ad quæstiones Thomæ & Philippi; nunc pergit eos consolari & hortari:

15. *Si diligitis me, mandata mea servate,* id est, operibus explete ea, quia observatio mandatorum non solum est signum dilectionis, sed etiam effectus, ita necessarius, ut pereat dilectio, nisi in opus erumpat. Unde 1. Joan. 5. vers. 3. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.*

16. *Et ego, si hoc feceritis, non ero immemor vestri, sed rogabo Patrem, tamquam homo, seu mediator Dei & hominum: quomodo etiam nunc interpellat, & orat pro nobis, teste Apostolo ad Rom. 8. vers. 34. Non tamen simplex, & cum lacrymis, quemadmodum in diebus carnis ejus conveniebat; sed gloriosus, ut advocatus noster assidens Patri. Et alium Paracletum dabit, Spiritum sanc-*

sanctum scilicet. Quo ostendit & se Paracletum, seu consolatorem esse, sed alium, quia persona non natura distinctum. Adde, *alium*, propter quemdam distinctum quoque consolationis modum, quia Christus ut homo, suos consolabatur presentia & operatione verborum sensibili; Spiritus sanctus vero presentia & operatione spirituali, quatenus amittentes temporalia, interno & sempiterno gaudio perfrui facit, ut August. lib. 1. de sermone in monte. Quam Spiritus sancti operationem clarius explicat addendo, *ut maneat vobiscum in æternum*: nam Christi corporis paracletis, non nisi paucorum annorum fuerat. Et quamvis ipse quoque æternus & internus fidelium consolator sit, tamen sicuti Patri potentia, & Filio sapientia, ita Spiritui sancto bonitas ac favor, atque amor, & consequenter, quæ sunt amoris & consolationis, per quamdam appropriationem, tribui solent. Promittitur autem hic eis Spiritus sanctus, cum tamen eum jam haberent, quia plenius & superabundantius & manifestius eis infundendus erat, ut latius Augustinus.

17. *Spiritum veritatis*, id est, meum: Christus enim veritas est, a quo Spiritus ille procedit: vel *Spiritum veritatis*, id est, veracem, phrasi Hebraica, seu veritatis auctorem, ac doctorem; quomodo dici solet *Spiritus erroris*

& mendacii. Quem mundus, id est, mundi dilectores, seu homines mundani, mundo addicti, non potest accipere, quamdiu scilicet mundus est, ita nempe ut simul mundum diligat & a Spiritu sancto inhabitetur. Nam amor mundi, & amor ille, per quem Spiritus sanctus inhabitat, ex diametro repugnant. Quia non videt eum, oculis corporis: imo nec scit enim, id est, non cognoscit, aut intelligit, aut gustat eum, juxta illud Apostoli, *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, utpote rerum temporalium amore cæcus & nauseans. vos autem cognoscetis eum, credendo, & utcumque videndo naturam ejus, & gustando suavitatem ejus. Ratio est, quia apud vos manebit, familiariter, atque perseveranter. Ne vero putarent, ita mansurum, quemadmodum apud hominem, inquit Augustinus, hospes visibiliter manere consuevit, exposuit addendo: *Et in vobis erit*: q. d. Non ita visibiliter vobiscum manebit, ut ego, sed in ipsis vestris animis habitabit. Et hæc est ratio, cur ergo cognoscerent, quia cognosci, quemadmodum cognoscendus est Spiritus sanctus, non potest a nobis, si non sit in nobis.

18. *Non relinquam vos*, per discessum meum Orphanos, id est, velut filios patre orbatus: nam superius paterno, tenerrimoque affectu eos *Filiolos* appella-

verat. *Veniam ad vos*, id est, iterum redibo : quod dicit, non solum quia incæpit eis esse divinitate propinquior, ut quidam exponunt, sed *veniam*, id est, redibo etiam corporaliter. Respicit enim ad resurrectionem post diem tertium, futuram, ut August. & Euthymius exponunt.

19. *Adhuc modicum*, scilicet tempus erit, & *mundus me jam non videt*, id est, non amplius videbit, quia scilicet formam suam visibilem Christus subtraxit mundo per mortem, nec eam videntem & contrectandam reddidit post resurrectionem, nisi tantum discipulis suis. Propter quod addidit, *vos autem videbitis me*, id est, brevi post mortem videbitis, quia ego vivo, hoc est, vivam seu reviviscam a morte, & *vos vivetis*, id est, reviviscetis mecum, participes facti & immortalitatis & divinitatis meæ. Hæc est tertia consolandi ratio; nam secunda continebatur v. 18. Iam addit quartam :

20. *In illo die*, Quod multi referunt ad diem Pentecostes; alii ad tempus a resurrectione ad ascensionem usque : sed multo rectius cum Cyrillo, August. & aliis, refertur ad diem æternæ beatitudinis; tunc enim proprie videbimus, & cognoscemus contemplando, quod nunc credimus. Nam, hoc est, quod dicit : *In illo die vos cognoscetis*, per speciem
 v 3 sci-

scilicet & evidentiam, quia ego sum in Patre meo, tamquam verus Patris Filius, ejusdem omnino cum ipso substantiæ. Tunc etiam cognoscetis, quod & vos in me estis, tamquam corpus in capite, & palmites in vite per incarnationem meam: & ego in vobis, tamquam caput in membris, influens, regens, sanctificans ea. Tria itaque mysteria indicantur perfecte cognoscenda, Trinitatis, Incarnationis, & Sanctificationis, quæ capita sunt totius doctrinæ divinæ.

21. Qui habet mandata mea, mente & notitia retinendo, & servat ea, operibus implendo: unde August. Qui habet in memoria, & servat in vita; qui habet in sermonibus, & servat in moribus; qui habet audiendo, & servat vivendo, ille est, qui diligit me, maxime si servat ea, studio atque animo mihi placendi: nam ea pro jussione facere, fervientis est; studio vero placendi, diligentis. Qui autem diligit me, diligitur a Patre meo: nam Pater diligit eos, qui diligunt Filium suum, quem ipse omnium maxime diligit, juxta illud cap. 16. v. 27. Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis. Et ego, una cum Patre, diligam eum, tamquam jam amicum, ego enim diligentes me diligo: Et manifestabo ei meipsum, per revelationem non humanitatis meæ, quam cernitis, sed divinæ essentiae meæ, ut August. 4. de Trinit. c. 19, idque in præmium istius dilectionis mei. 22.

22. *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: utpote qui jam exiverat, sed alius, frater scilicet Jacobi, dictus Thaddæus & Lebbaeus, scriptor Epistolæ Canonicae, & Catholicae, ut August. Domine, quid factum est, id est, quid causæ, unde fit, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Cui Christus ita respondet, ut significet, etiam aliis præter Apostolos hanc manifestationem obtingere posse; dixit enim ei generalissime:*

23. *Si quis diligit me, quicumque tandem ille fuerit, sermonem meum, seu doctrinam & præcepta mea, servabit. Caritas enim necessario & indefinentur conjunctam habet præceptorum observantiam, ut ait Basil. libr. 2. de baptismo, cap. ult. quia hæc est proprius & immediatus, & adæquatus effectus dilectionis, usque adeo ut nec dilectio sine isto effectu, nec iste effectus sine dilectione esse possit, ut significatur v. seq. & hac de causa, Pater meus diligit eum, sicut & ego: nam sermo pluralis, qui sequitur, satis indicat, quod etiam se comprehendat. Et ad eum veniemus, Pater & ego, intellige per incrementum dilectionis, & consequenter inhabitationis; quia non omnes, quos Deus inhabitat, inhabitat æqualiter, ut Aug. Epist. 57. quia paulatim perficit in proficientibus inhabitationem suam. Et mansionem apud eum faciemus, faciendo eum in eadem*

dilectione, & bonis operibus perseverare. Nam dicendo, *faciemus mansionem*, seu stabilem inhabitationem, significat se futuros causam perseverantiae, dando scilicet suis electis non solum ut possint perseverare, sed ut re ipsa perleverent. Relinquit autem intelligendum, quod se illis, apud quos manet, manifestaturus sit, ita simul habes expositam causam, cur se suis manifestaturus sit, & non alienis, quos Judas *mundum* appellaverat; nimirum quod hi diligant, illi non diligant, ut notat August.

24. *Qui non diligit me, sermones meos*, id est, mandata mea, non servat. Quibus ut majorem adjiceret auctoritatem apud eos, qui suam divinitatem nondum satis plene cognitam habebant, ideo addit: *Et sermonem, quem audistis, non est meus*, quia ipsemet Filius, qui loquebatur, non est suus, sed Patris. De quo vide c. 7. v. 16. Dominus enim tamquam studiosissimus Paternae auctoritatis, & observantissimus ordinis ex origine sibi competentis, passim in omni occasione inculcat se suaeque a Patre esse, tanquam qui sit verbum Patris.

25. *Hæc locutus sum vobis*, apud vos manens, id est, dum his tribus annis visibiliter vobiscum conversatus sum. Quo subindicat se jamjam corpore discessurum.

26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, id est, prop-

propter me, quia scilicet propter merita mea, & preces meas, ut est vers. 16. Item *in nomine meo*, id est, loco meo, qui vices meas impleat, consolando, docendo, &c. juxta eundem versum 16. ubi Spiritus sanctus vocatur *Alius Paracletus*. Ille vos docebit omnia interna inspiratione, atque illustratione insinuando menti vestræ scientiam. Doctrinam enim seu scientiam non auditus, aut memoria, sed intellectus rerum facit. Nihil enim prodest multa vel audivisse, vel legisse, nisi intellexeris quæ vel legeris, vel audieris, ut Amb. Serm. 10. v. 1. in Psal. 118. *Et suggeret vobis omnia*, ut vobis vel oblita, vel etiam retenta tempore suo in mentem veniant. Quod ad peculiarem Spiritus sancti directionem pertinere agnoscit & Prosper Epist. ad Demetriadem, & August. lib. 4. de doctrina Christiana. *Quæcunque dixerò, Græce (eipon) dixi seu dixerim, vobis*, supple, apud vos manens. Opponit enim doctrinam interiorem Spiritus sancti exterioribus verbis suis, ut videlicet ita consolentur eos, si quæ minus a se dicta intelligerent, vel postea oblivioni traderent.

27. *Pacem relinquo vobis*, id est, commendo vobis discessurus, tamquam testamentum meum, supremamque voluntatem, prout notat August. Tract. De ovibus, c. 13. Quam pacem clarius explicans: *Pacem, inquit, meam, hoc est*

spiritualem, internam, divinam, quæ includit tria: primo: pacem seu reconciliationem, & amicitiam hominis cum Deo: secundo, pacem seu tranquillitatem hominis in se ipso: tertio, pacem seu concordiam hominis cum hominibus; quarum posterior ordine, semper ex priore nascitur. Sed quia parum prodesset pacem istam extrema voluntate nobis commendari, nisi eam ipsemet cordibus heredum suorum infunderet, ideo addit: *Do vobis*. Et adhuc clarius differentiam tum pacis suæ, tum modi donandi notat: *Non quomodo mundus dat, pacem, ego do vobis*. Pax enim hujus mundi est, ut homines in rebus hujus mundi nihil adversi sentiant, hoc est, ut mundo & bonis ejus sine molestia litium, & bellorum perfruantur, inquit August. Quæ pax fere malis artibus acquiritur, & externa est, brevis, lubrica fallax, immo perniciosa. Et hanc ipsam pacem mundus verbis quidem optare potest, non autem dare sicut Christus pacem suam internam, stabilem, perpetuam, & complementum omnis humani desiderii, ut doctissime & fidelissime tradit August. lib. 19. de Civitate, cap. 12. & seqq. *Non turbetur cor vestrum, audita mentione discessus mei, neque formidet, tamquam ab omni auxilio deserendi*. Nam

28. *Audistis, quia ego dixi vobis, jam ante*

SECUND. JOANNEM Cap. XIV. 315

ante versu 2. & 3. & 18. & 19. *Vado*, id est, hinc ab eo ad Patrem per mortem subtrahendo vobis visibilem speciem meam: sed iterum *venio ad vos* tum per secuturam continuo resurrectionem, tum vero maxime per exhibitionem perpetuæ præsentiaæ meæ in cælo. *Si diligere- tis me*, sincero illo amore amicitiaæ, qui non spectat proprium commodum, sed id, quod amico placet, & bonum est, ut declarat Cyril. in hunc locum, *Gauderetis utique, quia ad Patrem vado*, id est, gauderetis de discessu meo ad Patrem. Ratio est, *quia Pater*, ad quem vado, *major me est*; & proinde non potest illa profectio ad Patrem mihi cedere nisi ad majorem honorem, gloriam, dignitatem, felicitatem, de qua mihi congratulandum esset. Significat ergo, amoris discipulorum, quo Christum diligebant, multum amoris proprii fuisse permixtum, ex quo de discessu tristabantur. Porro dicitur hic Pater major Filio, non ratione personæ, quatenus Pater est origo Filii, ut quidam voluerunt; quia hoc non tollit æqualitatem eorum: sed ratione humanitatis, per quam solam ibat ad Patrem. Per illam igitur Filius minor est, non Patre solo, sed etiam Spiritu sancto, imo & seipso, inquit hic August. quia major est forma Dei, quæ amissa non est, quam forma servi, quæ accepta est.

29. *Et nunc dixi vobi*, me scilicet iturum ad Patrem, & rediturum, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis; non id quod videritis esse factum, quia fides est argumentum non apparentium: sed ut credatis, quod credendum est de me, videlicet quia ego sum, prout suppletur, c. 13. v. 19. Vel ut credatis, quod sum Filius Dei, qui potuit hoc facere, cum prædixit; & prædicere, antequam faceret. Non quasi ante non crederent, sed ut nunc crederent fide aucta, non nova; aut certe fide resecta, cum surrexit, quæ cum moreretur, defecerat. Fides enim illa, quæ tunc, quando loquebatur discipulis, erat parva, & cum moreretur, iam pene nulla, aut nulla, visis eventis revixit, & credenda credidit, ut idem exponit. Nam, ut ex Tertull. diximus, probatio divinitatis, veritas est divinationis.

30. *Jam non multa loquar vobiscum*, mortalis cum mortalibus. Cujus rationem dat Christus: *Venit enim Princeps mundi hujus*, id est diabolus, princeps non cœli & terræ, sed mundi, hoc est, peccatorum, seu amatorum hujus mundi. Unde & Paulus ad Ephes. 6. v. 12. cum dæmones vocasset *Rectores mundi*, exposuit, addendo *tenebrarum harum*, id est, cæcorum amatorum mundi. Venit ergo, seu jamjam veniet princeps ille, ut scilicet per se suosque me interimat, imo etiam

SECUND. JOANNEM Cap. XIV. 317

etiam examinet animi mei & vitæ statum. Hoc enim omnibus hominibus circa finem vitæ contingere auctor est S. Basilius in Psalm. 7. ut si quid peccati habeant, detineantur. Ideoque Christus addit, *Et in me non habet quidquam* id est, nihil juris, ut me occidat, quia nihil peccati, siue proprii, siue ex parente tracti: meritum enim mortis peccatum est. Quia vero jure quæri posset, quæ de causâ ergo morieris? præoccupat Christus: sed

31. *Surgite, ex mensa; discumbens enim discumbentibus loquebatur: eamus hinc, ad locum, unde sum tradendus in mortem: q. d. Ecce me paratum offero ad mortem, ultro sine merito subeundam. Non enim his dictis statim surrexit & abiit, ut patet ex cap. 18. v. 1. Eamus ergo hinc, ut cognoscat mundus, ex hoc scilicet, quod iponte me offero adversariis meis, quia diligo Patrem, id est, quod morior non infirmitate, non aliquo reatu, non Satanæ violentia, non futuri eventus ignorantia, sed pure ex Patris dilectione, itemque ex obedientia mandati ejus. Nam illam tangit addendo: Et sicut mandatum dedit mihi Pater, moriendi scilicet in cruce, sic facio. Quemadmodum enim valde inculcaverat discipulis, conjungendam esse dilectioni mandatorum observationem, ita hic utriusque se exemplum statuit. Sic ergo*
vi

videtur hic versus construendus, ut illud *Surgite*, &c. præcedat, & unus sensus ex toto illo versu fiat, sicut videtur intelligere Augustin. tum hic, tum lib. 2. De peccatorum meritis, cap. 29. & 31. Cyrill. tamen & Chrysostom. cum suis, statuunt in illis ultimis verbis, *Surgite*, &c. novam sententiam. Sed prius videtur nobis esse verisimilius.

CAPUT XV.

Ego sum vitis. Hic jam incipit hortari discipulos, quod valde necessarium erat, ne se unquam ab ipso, quamvis hinc discedente, hoc est, ab ejus fide & amore, avelli paterentur. Ego igitur sum vitis, id est, similis viti (est enim locutio allegorica) secundum humanam naturam quidem, sed quatenus unitam Deo. Nam quamvis vitis & palmitēs unius naturæ esse debeant, hoc est humanæ; Christus tamen influentiam vitis suis palmitibus non præstaret, nisi simul Deus esset, ut notat August. vera ratione effectus scilicet, quia longe nobilius & perfectius influit in palmites suos homines, succum, vigorem, alimentum, vitam, quam vitis naturalis in sarmenta sua. Cujusmodi sensu vocatur ipse

ipse Joan. 1. vers. 9. *Lux vera*, & Joan. 6. *Panis vivus*. Non quod vere sit corporalis illa lux, vel panis, sed quia tam vere, immo longe verius & perfectius illuminat & nutrit, quam lux, aut panis. *Et Pater meus agricola est*, id est, cultor vitis & palmitum. Nulla quippe arbor tanta indiget cultura, atque vitis. Et quamvis ipse Christus, ut Deus, etiam agricola sit, utpote unum cum Patre, convenientius tamen hoc Patri tribuebat, tum ad decorem parabolæ, in qua vitis & agricola distingui solent, tum quia ipsum nomen Patris providentiam quamdam sonat.

2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum*, id est, omnem hominem mihi, seu corpori meo tamquam viti insitum per fidem & fraternitatis amorem (permiscet enim hic Christus parabolam cum re significata) *non ferentem fructum*, in operibus scilicet justitiæ, sed sola fidei & religionis professione, tamquam pampinis contentum, *tollet eum*, id est, compage vitis superabit tamquam inutilem palmitem. Quod fit vel eum deserendo, ut per hæreses, vel schismata ab Ecclesia separetur, in pœnam sterilitatis, vel etiam morte tollendo. *Et omnem qui fert fructum, purgabit eum*, putando & resecando superflua, *ut fructum plus afferat*. Fit hæc purgatio non solum internis, externisque admonitionibus, & incre-

pa-

pationibus, sed in primis per adversitates, tribulationes, & persecutiones, variasque tentationes, per quas tollit ab eis Deus ignorantiam, cupiditatem animalem, timores, amoresque sæculares desideria inania, curas superfluas, idque, *ut fructum plus afferat*, quia appetitus hujusmodi vitiosi, in quos vires cordis effunduntur, distinent animum, & a fructibus pietatis impediunt. Hanc generalem parabolam applicat jam præsentibus:

3. *Jam vos mundi estis*, id est, jam vos non solum mihi tamquam viti inferti estis, sed etiam purgati palmites, *propter sermonem, quem locutus sum vobis*, id est, per doctrinam Evangelicam, vobis a me traditam. Nam illa quoque est unum falcis genus, quo Deus utitur ad purgandos palmites. Jam hinc usque ad vers. 12. instantissime septem argumentis hortatur discipulos, ut in ista vite per dilectionem Dei perseverent.

4. *Manete in me*, perseverando in fide, in charitate, in bonis operibus; nam etiam purgati palmites subinde ad priora relabuntur, & a vite separantur: & *ego in vobis*, id est, ut sic ego vicissim possim perpetuo vitam & vigorem in vos influere. Deus enim non deserit, si non deseratur, ut pie semper sancteque vivatur, inquit August. lib. de natura & gratia cap. 26. Necessitatem autem hujusce permansionis, & continui
in-

influxus sui declarat ista similitudine : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso*, id est, separatim a vite, & ex se solo, *nisi manserit in vite*, id est, sed tantum si manserit, & manendo vixerit, de radice ex ea sucum trahens : *Sic nec vos, nisi in me manseritis*. credendo ac diligendo. Quæ permanens opus est quidem liberi arbitrii, sed sic tamen, ut occultiori quadam gratia Deus in hominis animo operetur, ut in Christo manere velit : ne vel hoc ipsum suis viribus homo tribuat, & non gratiæ Dei. Ut autem apertius explicaret totam hanc parabolam, repetit Christus, *Ego sum vitis, vos palmites*.

5. *Qui manet in me, & ego in eo*, id est, ita, ut & ego vicissim in eo maneam, per continuum gratiæ meæ influxum, *hic fert fructum multum*, quia illa stabilitas justitiæ perseverans nullum tempus irritum, vel vacuum a bonis operibus esse sinit. Qui vero a justitia excidunt, & postea revertuntur, multos dies fructibus vacuos ducunt : similes videlicet Nazaræis, quorum dies, Num 6. vers. 12 censebantur irriti, si casu aliquo tempore suæ sanctificationis fuissent contaminati. *Quia sine me*, id est, sine succo, seu auxilio gratiæ meæ, faciente, ut faciatis (non enim significatur hic auxilium, sine quo non, sed auxilium, quo fit opus, quale est auxilium Christi,

ut docet August. lib. de corrept. & gratia c. 12.) *nihil potestis facere*, id est, nullum fructum vite dignum, sive nullum opus bonum, nec parvum, nec magnum, nec facile, nec difficile potestis non solum non perficere, sed nec facere, prout hæc omnia urget August. contra Pelagianos diversis locis, & in primis lib. 2. ad Bonifac. c. 8. Nam per illud, *Nihil*, initium finemque omnis boni operis comprehendit. Quod Apostolus clarius ait, *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere.*

6. *Si quis in me non manserit*, non solum fide, sed etiam dilectione, & operibus bonis, *mittetur foras sicut palmes*, id est, sicut sarmentum infructuosum a vite, seu Ecclesiæ communione separabitur, hoc est, omni succo gratiæ, fidei, spei spoliabitur, eo modo, quo dictum est versu 2... *Et arefcet*, utpote omni humore gratiæ amisso, quemadmodum sarmentum humi abjectum arefcere solet; & *colligent eum*, mellores Angeli, quos dicit Christus alligaturos zizania in fasciculos ad comburendum, Matth. 13 vers. 30. & 41. Unde & hic verbum, *colligent*, videtur pluralitatem eorum, qui colliguntur, indicare, & pro, *eum*, Græce est *eos*. *Et in ignem mittent*, sicut aridis sarmentis congruit. Nam, ut August. unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in
igne

igne erit. Ne quis autem in igne sine afflictione futuros putaret, ut quidam somniarunt, subjicit, & ardet, hoc est, ita ut mox & perpetuum ardeat. Significatur enim & ignis vehementia statim inflammantis sarmentum aridum, & ejusdem ardoris perpetuitas. Hinc & Math. 25. ignis æternus, in quem discedere jubentur, exponitur per *supplicium æternum*, quod August. legit *Combustionem æternam*; ne quis putaret, hujusmodi in Scripturis ad terrorem dumtaxat commemorari, non ad supplicii veritatem.

7. *Si manseritis in me*, tamquam fructuosi palmites per dilectionem mihi inserti, atque conjuncti, & *verba mea in vobis manserint*, non solum memoria, sed animi affectione & observatione. Nam ut Augustin. tunc dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus, quæ promissit. Hoc addidit Christus, ut significet, deprecationes solas parum ad impretrandum valere, nisi operum accessione farciantur, ut loquitur Cyprian. lib. De opere & eleemosyna. *Quodcumque volueritis, petetis*, intellige, quod congruit manenti in Christo velle. Non enim par est, qui manet in Christo, petat aliquid, quod non congruat Christo, ut August. ait, vel quod non placeat Deo, ut Cyril. Unde 1. Joan. 5. vers. 14. quasi explanationis loco dicitur, *Quodcumque petierimus*

mus secundum voluntatem ejus, audit nos. Fiet vobis, id est, impetrabitis. Vide dicta cap. superiori, & Matth. 7. v 7. & 8.

8. *In hoc clarificatus est Pater meus, id est, in hoc glorificabitur Pater meus, seu gloria ejus in eo sita est, ut fructum plurimum afferatis, bonorum operum, tam in vobis ipsis, quam in aliis. Unde Christus ipse Matth. 5. v. 16. quasi explicans, quod hic dixit, Sic luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent, &c. Et efficiamini, id est, & sitis isto modo, seu ista permanendi in me stabilitate, bonorumque operum fecunditate, mei discipuli, veri & germani. Qua phrasi dixerat, c. 8. v. 31. Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Vere enim discipulus est, qui obtinet effectum & finem discipulatus Christi.*

9. *Sicut dilexit me Pater, amore videlicet maximo summum illud humanæ naturæ conferendo beneficium, ut sit in persona unita Deo: quam mirabilem susceptionem nulla ejus opera bona meruerunt, sed ex ea omnia suo tempore profluxerunt, ut notat August. Et ego hoc est, ita & ego dilexi vos, magno illo beneficio, quo vos elegi de mundo, mihi que tamquam viti palmites inserui, Apostolos feci, &c. Similitudo enim, non æqualitas significatur. Manete igitur in dilectione mea, ista scilicet, qua ego*
vos

vos diligo, hoc est, manete in gratia mea, seu benevolentia mea, ut August. Non enim loquitur de dilectione Christi passiva, sed activa; unde & Interpres noster vertit, *dilectione mea non mei*: qu. d. Curate igitur, ut digni maneatis ista dilectione mea, qua dilexi vos, quæque vobis omnium bonorum causa est. Modum autem docens, quo possent permanere in dilectione, seu gratia sua, adjungit:

10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*, id est, pergam vos diligere. Nam observatio mandatorum, quamvis in nobis esse non possit, nisi nos dilexerit Deus, gratiam observandi tribuendo, jam tamen exhibita, in eadem dilectione & gratia Dei nos permanere facit. *Sicut & ego præcepta Patris mei servavi*, quatenus homo, factus obediens usque ad mortem. Et hac de causa maneo in *eius dilectione*, ea scilicet, qua ipse me diligit, ut idem Aug. notat.

11. *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit*, hoc est, ut tale vestrum gaudium sit, quale meum, ut scilicet iisdem de rebus, quibus ego gaudeo, & vos gaudeatis, gloria Dei, & profectu proximi, &c. ita Cyrill. Sed quia est oppositio inter *gaudium meum*, & *gaudium vestrum*, congruentior videtur expositio Aug. ut *gaudium meum*, quo ego gaudeo,

in vobis sit, id est, permaneat de nobis, sicut esse cœpit. Sic enim dicimur in aliqua re gaudere, quæ nobis placet. Et hic ergo tacite hortatur, ut sibi fide & dilectione conjuncti maneant, quæ est Christo materia gaudii, quam dignatur habere de nobis: & *gaudium vestrum*, quo vos in me, seu de me gaudetis, non solum augeatur, sed *impleatur*, id est, consummetur in æterna mecum beatitudine. Quid est enim gaudium nostrum, quod dicit implendum, inquit August. nisi ejus habere consortium? Jam hinc patet, primum argumentum ad permanendum cum Christo v. 4. sumptum esse a sterilitate: secundum versu 5. a foecunditate: tertium vers. 6. a pœnæ magnitudine: quartum versu 7. a promissa utilitate: quintum vers. 8. a gloria Dei: sextum v. 9. a dilectione Christi, cui ingrati esse non debent: septimum v. 11. a mutuo amantis & redamantium gaudio. Et quia per hæc satis eos de dilectione Dei instituerat, jam pergit ad inculcandam dilectionem proximorum.

12. *Hoc est præceptum meum*, id est, peculiariter meum, quia mihi præcipue cordi est, &, ut paulo ante inculcatum est, præcipue observatum volo. Nam c. 14. vocaverat *mandatum novum*, tamquam non fuisset ante mandatum; hic *meum*, tamquam non sit aliud ejus mandatum, inquit

inquit August. *ut diligatis invicem*, non quolibet modo: nam & homines se mutu-
 ro, ut homines diligunt, sed *Sicut di-*
lexi vos, ratione scilicet tam finis, quam
 modi diligendi. Finis diligendi esse de-
 bet, ut fruatur Deo, modus vero, ut
 non solum temporalia bona, sed etiam
 vita salutis eorum postponatur. Nam ad
 utrumque Christus præcessit exemplo
 suo. Quem dilectionis modum statim ex-
 plicat.

13. *Majorem hac dilectionem*, id est,
 majus dilectionis opus, *nemo habet*, sci-
 licet erga amicos, *ut animam suam ponat*
pro amicis suis, id est, ut vitam impen-
 dat pro iis, quos diligit. Vita enim
 inter omnia, quæ alterius causa con-
 temni possunt, nihil habet homo pretio-
 sius. Dicendo autem, *pro amicis*, tacite
 significat, sicut & versu seq. se animam
 pro discipulis tamquam amicis posuisse:
 cum tamen Apostolus ad Roman. 3. com-
 mendat charitatem Christi, quia pro
 impiis, & inimicis mortuus est. Nempe
 quia utrumque verum est: pro amicis
 quidem, quia jam amici reipsa erant,
 quando pro eis Christus se in mortem
 tradidit: pro inimicis vero, quia per
 mortem Christi etiam ipsi discipuli, cum
 fuissent inimici, facti fuerant amici. Non
 ergo his verbis præfert Christus dilectio-
 nem amicorum dilectioni inimicorum,
 usque ad mortem pro amicis toleratam

præfert omnibus aliis dilectionis operibus, quæ iisdem amicis exhibentur. Nam eodem modo dicere potuisset: Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro inimicis suis. Quamquam non sit improbable, *amicos* hic poni generaliter pro iis, qui diliguntur ab aliquo, sive ex parte sua redament illi, & amici sint, sive non: & ita occasione illius verbi, *amicis*, transitum Christus faceret ad declarandum, quo pacto Apostoli amici sui esse possint. Sed prior sensus videtur esse probabilior, quia textus connexio satis indicat, Christum de proprie dictis amicis loqui, quales esse dicit discipulos versu 14. & 15.

14. *Vos amici mei estis*, id est, eritis, (hoc enim postulat verbum subjunctivi modi, quod sequitur) *Si feceritis, quæ ego præcipio vobis*: hæc enim non fiunt, nisi Christum, qui nos amavit, redamando juxta illud cap. 14. versu 21. *Qui amat mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*. Porro, *eritis* intelligit permanenter, seu permanebitis: jam enim erant amici, ut patet versu sequente.

15. *Jam non dicam servos*, Græce (*ὡς ἑταῖρους λέγω*,) non dico, id est, non vos habeo loco servorum, quia servus nescit, seu nescire solet, quid faciat Dominus ejus, id est, quid, quo consilio facere decreverit. Non enim eis secreta domini consilia communicari solent. *Vos*

autem dixi amicos, quia omnia mysteria ad salutem hominum pertinentia, quaecumque audiui de Patre meo, tamquam mediator & legatus ad vos missus, nota feci vobis. Cum tamen paulo post dicat: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Verum, ut August. notat, propter rei certitudinem utitur præsenti tempore, dicendo, se nota fecisse etiam ea, quæ noverat, jamjam se nota esse facturum. Hoc ergo utitur tamquam signo amicitiae, quia, ut idem ait Serm. 21. De verbis Domini. Illum in amicitiam recipimus, cui omnia nostra consilia refundere audemus. Ut autem intelligerent magnitudinem illius beneficii, quo gratis eis obtigerat illa prærogativa amicitiae, subjungit:

16. Non vos me elegistis, in amicum, vel præceptorem, vel dominum, sed ego elegi vos, ut me amaretis & sequeremini. Sed quomodo? inquires: Nonne Apostoli elegerunt Dominum, & omnibus bonis hujus sæculi prætulerunt? Respondet Augustin. lib. De prædestinat. Sanctorum cap. 17. & lib. De gratia & libero arbitrio cap. 18. ideo hoc dici, quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, sed ut eligerent eum, elegit eos. Nam gratia Dei prævenit voluntatem eorum, ut ei crederent, eum eligerent, diligerent, sequerentur. Et posui vos, id est, constitui vos jam electos, ut ea-

tis, in mundum univerrum, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, id est, fructum afferatis non periturum, sed permanfurum in vitam æternam; nempe tam in vobis ipsis prædicantibus, quam iis, quibus Evangelium vitæ æternæ prædicabitis. Ex hoc autem consequetur, ut quodunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis, quod & v. 7. dixerat. Nam fructus iustitiæ, quo est uberior, eo dat maiorem fiduciam impetrandi.

17. *Hæc mando vobis*, ea scilicet, quæ a. v. 12. huc usque dicta sunt; est enim conclusio præcedentium. Hæc igitur idcirco dixi vobis, ut diligatis invicem, eo scilicet modo, quo ego vos dilexi, animam meam pro vobis ponendo, & gratuitis beneficiis præveniando. Stabilito igitur amore in eos mutuo, pergit eos armare adversus odia & persecutiones mundi:

18. *Si mundus vos odit*, non sit vobis hoc novum aut molestum, sed solatii loco, scitote, quia me priorem vobis odio habuit, id est, prius quam vos, quamvis innocentem Filium Dei, qui mundum perpetuis affeci beneficiis. Recusat enim esse in corpore, qui non vult odium mundi sustinere cum capite, inquit August.

19. *Si de mundo fuissetis*, id est, si estis de numero mundanorum hominum, moribus & vita illis similes, in quibus
vi-

videlicet nihil regnat nisi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: *Mundus quod suum erat, diligeret*, tamquam sibi similes, quia similitudo est causa amoris. Quia vero de mundo non estis, neque propriis cupiditatibus mundi immerfi, neque lactandis alienis cupiditatibus fervientes, sed ego per gratiam meam, elegi vos de mundo, fide, moribus, studio vos sequestrando ab eorum numero, qui diligunt mundum: *propterea odit vos mundus*, tamquam sibi dissimiles, quorum vita & moribus tacite redarguitur. Hoc autem ne vobis molestum videatur, aut nimis iniquum, remedii loco

20. *Mementote sermonis mei, quem dixi vobis*, tum c. 13. tum Matth. 10. *Non est servus major Domino suo*, id est, non solet pluris fieri: ut proinde nec indignari, nec gravari debeatis, si ea servis toleranda sint, quæ prius tolerare dignatus est Dominus. Quapropter: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*, quia, ut Matth. 10. v. 25. dicitur, *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt; cum ei longe major debeatur reverentia: quanto magis domesticos ejus? Si sermonem meum servaverunt*, id est, doctrinam, monita, præcepta mea, & vestrum servabunt. Ubi a contrario sensu relinquit intelligendum: Atqui meum non servaverunt, sed contempserunt, ergo & vestrum. Ut proinde non debeat vobis

bis mirum videri, aut animum vestrum dejicere.

21. *Sed hæc omnia*, quæ dixi de odio & persecutione vestri, de contemptu sermonis vestri, inquit August. *facient vobis propter nomen meum*, id est, non aliqua culpa vestra, sed quia me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur. Quod quia maximæ erat injustitiæ, ideo tamquam maximi solatii, & patientiæ causam eis suggerit: quia tanto beatiore, qui propter nomen hoc meum ista patiuntur, quanto miseriore, qui propter hoc nomen ista faciunt. Ideo autem facient hæc vobis propter nomen meum, *quia nesciunt eum, qui misit me*, id est, eum, cujus personam gero in peragendo isto magno incarnationis & legationis meæ mysterio, Patrem scilicet, & consequenter me esse Filium ejus, ab eo missum. Quibus verbis non excusat eos, sed potius taxat eorum affectatam ignorantiam, & incredulitatem, prout probat versus sequens.

22. *Si non venissem*, ad Judæos, quibus promissus fui: & *non locutus eis fuisset*, id est, non prædicasset eis, eaque prædicatione probasset multis modis, me esse Filium Dei, & missum a Deo, *peccatum non haberent*, non quodlibet, cum etiam ante adventum Christi pleni essent multis magnisque peccatis; sed peccatum intelligit incredulitatis, quo

quo in eum tamquam in Christum coram positum & probatum non crediderunt, ut August. tum hic, tum lib. 3. ad Bonifac. capite 3. & consequenter intelligit peccatum odii & persecutionis Christi usque ad ipsum decidium, ut idem lib. De gratia & libero arbitrio cap. 2. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, quia detractus est eis penitus omnis pretextus ignorantiae, ex quo familiare est hominibus dicere, Si sci- vissem, fecissem, ut idem notat. Nam usque adeo manifestum fuit, eos nolu- esse credere, ut studio non credendi ignorare affectaverint, eum esse Filium Dei.

23. *Qui me odit*, in natura, in doctrina, in consiliis reformandi homines, in operibus, & *Patrem meum odit*, cujus auctoritate missus sum, & loquor, & me uti Christum gero; quia scilicet ejusdem est naturae, doctrinae, consilii, operum. Quae verba interferit duobus versibus i- dem tractantibus, ne leve peccatum e- orum esse putaretur,

24. *Si opera non fecissem in eis*, seu co- ram oculis ipsorum. *Quae nemo alius fecit*, tam scilicet admiranda, tam multa, tam assidua, tam hominibus utilia, tanta po- testate & facilitate: quas condiciones operum hic merito ponderat Augustin. quia Prophetæ multa quoque miranda patrarent, sed nemo unquam Prophe-
tarum

tarum similia fecit; ut sane maximam gratiam & benevolentiam auctori suo conciliare debuissent, ut idem ait lib. De utilitate credendi, capite 16. *peccatum non haberent*, tantæ videlicet per-
 vicaciæ & ingratitude, cui nullum aliorum hominum peccatum æquiparari potest: nam hujusmodi opera Christum etiam facturum esse Prophetæ vaticinati fuerant, ut magis & hinc essent inexcusabiles. *Nunc autem & viderunt*, supple ex sequentibus, *& me & Patrem*: Me quidem in proprio corpore, mirandis operibus probantem, me esse Filium Dei, & beneficiorum magnitudine, vultus majestate, sermonum benignitate ad vicissitudinem amoris provocantem: Patrem vero, quatenus viderunt non posse ista a quoquam fieri, nisi esset Deus cum eo: *Et tamen his non obstantibus, Oderunt & me & Patrem meum*, qui per me virtutem & operationem, & benignitatem suam exercuit. Hoc autem nulla quidem culpa mea contingit,

25. *Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est*, id est, in Scripturis illi populo datis, & ab eo in pretio habitis: ita ut propriæ legis, de qua superbi sunt, censura perstringantur, *quia odio habuerunt me gratis*, id est, absque ulla omnino causa; sed ex invidia, puraque malitia. Citat autem verba Psal. 34. ubi David ex persona Christi loquebatur.

26. *Cum autem venerit, &c.* Hoc addit, ut significet, illud odium, quod mendaciter a Judæis Dei zelo palliatum fuerat, non semper sine redargutione mansurum, sed suo tempore convincendum. *Cum ergo venerit Paracletus, quem ego mit- tam vobis,* quo significat, Spiritum sanctum a se procedere, quia divinæ personæ non mittuntur, nisi a principio, a quo procedunt, *a Patre,* mihi per generationem communicante mittendi potestatem, simulque mittente. Quod posterius quia obscurius significatum fuerat, ne putaretur Pater mittendi potestatem a se in Filium transfuisse, adjungit *Spiritum veritatis,* id est, Spiritum Filii, qui est veritas in Patre subsistens, vel *veritatis,* id est, veracem veritatisque doctorem, *qui a Patre procedit,* tamquam primo originali principio simul mittente, *Ille testimonium perhibebit de me,* de divinitate mea, de innocentia mea, quod sine culpa, imo bene meritis, odia & persecutiones toleraverim. Incepit hoc testimonium perhibere, Primo invisibiliter, cum repente mutavit mentem Centurionis, & per ipsius os testatus est in passione, *Vere Filius Dei erat iste.* Secundo visibiliter, in die Pentecostes, cum tanta efficacia testificatus est, ut millia Judæorum fidem divinitatis & innocentiae Christi receperint. Quæ testificatio Spiritus sancti, quia non tantum
 intus

intus in cordibus Judæorum. sed & per os discipulorum facta fuit, hinc addit:

27. *Et testimonium perhibebitis*, de eadem divinitate & innocentia mea: sicut eos efficacissime & luculentissime fecisse testatur caput 2. & 3. Actorum. Unde Actor. 4. versu 20. dicunt, *Non possumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui. Quia ab initio mecum estis*, a baptismo scilicet Joannis usque in diem assumptionis, sicut explicat S. Petrus Act. 1. v. 21. q. d. Jure vestro, & merito id poteritis testimonium reddere, ut qui ab initio mihi familiariter juncti, & ingressum egressumque meum observantes, habetis totam vitam meam, & innocentiam exploratissimam.

C A P U T XVI.

I. **II**

æc locutus sum vobis, de odio vestri & persecutionibus, & Judæorum incredulitate, *ut non scandalizemini*, id est, ut non offensi tot adversitatibus tamquam inexpectatis, a fide mea, vel a patientia, vel ab officio vobis imposito decidatis. Nam, ut Cyrill. quod inexpectatum & præter opinionem subito irruit, magnos etiam plerumque animos turbat. Tela vero prævisa minus feriunt. Ita-

Itaque duo persecutionum genera graviora proponit; unum pertinens ad summam ignominiam, alterum ad maximam poenam.

2. *Absque Synagoga, Græce uno verbo (aposynagogus,) exortes synagogæ, facient vos, expellendo scilicet vos a synagoga, tamquam seductores, & Judæis execrabiles. Neque hoc tantum; Sed venit hora, seu brevi aderit, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo, ut pote credens, quod deserant Deum Israel, quotquot convertuntur ad me, zelo scilicet incitatus non secundum scientiam. Prædicatur enim hic persecutio Apostolis imminens, non a Gentilibus, qui diis seu dæmonibus obsequium se præstare credebant, cum hoc facerent; sed a Judæis, verum Deum colentibus, ut observat August.*

3. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, sub ratione Patris mei, hoc est, quia non noverunt, Deum verum esse Patrem meum; noverant enim eum sub ratione Dei, Christo eis dicente cap. 8. v. 54. Quem vos dicitis, quia Deus vester est? Neque me, tamquam Filium ejus incarnatum.*

4. *Sed hæc locutus sum vobis, id est, propheticæ hæc omnia prædixi, ut cum venerit hora, tempus scilicet, quo reipsa vobis accident, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis, id est, recordemini,*

me vobis ea prædixisse, ut ita veritas vaticinii mei fidem divinitatis meæ confirmet vobis, armetque ad patientiam.

5. *Hæc autem vobis ab initio non dixi.* Et tamen Matth. 10. vers. 17. & seqq. similia eis prædicta legimus. Unde quidam putant, illa fuisse a Matthæo per anticipationem temporis dicta, quia prædicta tantum tempore passionis: sed hoc perabsurdum est, ut patet ex Matth. 11. v. 1. Itaque August. illud, *hæc* refert ad id, quod prædixerat de Paraclete mittendo. Sed revera contextus omnino videtur postulare, ut illud *Hæc*, huius versus referatur ad eadem, ad quæ refertur illud, *Hæc*. quod habetur vers. 3. itemque 4. de iisdem enim loquitur, & certum videtur, quod priora ad persecutiones referantur. Itaque, *Hæc*, intellige proxime prædicta de ejectione a synagogis, de morte ipsorum Apostolorum determinate, & quidem tantum cum rabie. ut obsequium se putent præstare Deo. Nam prædictiones apud Matth. generales sunt, & de omnibus quidem discipulis Christi; hæ vero speciales. *Quia vobiscum eram*, hoc est, quia præsentia mea corporalis faciebat, ut non esset tunc adhuc necessarium, tum quia impediēbam, ne acciderent vobis, tum quia non erat opus ante tempus vos terrefacere. *Et nunc*, Græce (*nyn de.*) nunc vero, vado ad eum, qui me misit, & pro-

proinde non expedit ultra differre id, quod præscire vobis necessarium est, & nemo ex vobis interrogat me. Verba sunt quasi mirantis eorum taciturnitatem: q. d. Cum audiatis, me hinc discedere, mirum est neminem vestrum amplius instare interrogando, Quo vadis? id est, in quem locum, qua de causa, quo consilio, quo fructu, quid facturus, &c.? sicut ab abeuntibus amici solent.

6. *Sed quia hæc locutus sum; de discessu meo, & malorum acerbitate, tristitia implevit cor vestrum, ita ut attoniti sitis, & de aliis rebus interrogare, vel cogitare non occurrat, vel non lubeat.* Est enim suavis excusatio taciturnitatis eorum, ut Cyrill. notavit. Ut ergo tolleret mœrorem ex animis eorum, subjungit:

7. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam, q. d. Absentia mea corporalis non debet vobis esse mœrore, sed magno potius solatio, cum vobis sit futura utilissima. Ratio est, si enim non abiero, Paracletus, id est, consolator ille toties jam a me promissus vobis, non veniet ad vos, ut vos eximiis copiosisque donis suis perfundat, & in virtute perficiat. Causa triplex hujus dilationis. Prima; quia placuit Deo, ut ad plenitudinem gratiæ spiritualis etiam Apostoli paulatim pertingerent, ut late Tertull. libr. de velandis virginibus cap. 1:*

Secunda, ut distincte, ac figillatim mysterium trium personarum mundo innotesceret, ut indicat hic August. Pater per mundi creationem ac gubernationem, Filiique missionem; Filius, per carnis assumptionem; Spiritus sanctus per visibilem donorum profusionem. Tertia, ut abundantia Spiritus sancti in homines ostenderetur esse fructus mortis & glorificationis Christi, prout indicatur Joan. 7. v. 39. Ideoque & hic subiungit, *si autem abiero, resuscitatus, in cælum, mittam eum ad vos, ut & certissimi sitis de adventu futuro ejus, & ut glorificationis mortisque meæ fructum agnoscatis. Quæ vero etiam in publicum utilitas inde consecutura sit, consequenter explicat.*

8. 9. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, &c.* Locus admodum perplexus, in cujus enodatione duæ fere sunt sententiæ celebriores. Prima Aug. & Bedæ, cui ex parte Cyrillus adhæret. Secunda Chrysostomi cum suis. Augustinus quidem intelligit, quod Spiritus *arguet mundum*, id est, perspicuis argumentis convincet mundum, seu mundanos homines, *de peccato, incredulitatis, quia, ut sequitur, non crediderunt in me, quod de Judæis potissimum intelligitur, juxta v. 22. cap. 15. Et de justitia, id est, per justitiam, scilicet credentium: quia inquit, fidelium comparatio infidelium est* vitu-

vituperatio, quod eam non sint imitati. Quem sensum August. ex eo colligit, quia sermone ad Apostolos credentes converso, rationem subjungit:

IO. *Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.* Justitia enim Apostolorum, & fidelium omnium in eo sita est, ut credant in eum, quem non vident.

II. *De Judicio autem*, id est, de condemnatione: quia mundus cum suo principe damnatur, quem imitatur, quia *Princeps hujus mundi jam iudicatus*, seu damnatus, est. Quæ interpretatio quia aliqua ex parte durior videtur, hinc aliis magis placet sententia Chrysostomi, qui exponit, quod Spiritus sanctus arguet, seu perspicue convincet mundum, tam Judæos quam Gentes, *de peccato*, infidelitatis, quo non credunt in Christum, & *de Justitia* ipsius Christi, id est, convincet Christum esse justum & innocentem, imo omnis justitiæ in hominibus auctorem. Quod ex eo demonstrabitur, quia *ad Patrem vado, & jam non videbitis me*, in ista scilicet carnis infirmitate & contemptu, ut prius. Nam antea habebat aliquid, quod incredulitati suæ prætexere possent. Sed postquam resurrexit, & tamquam Deo gratissimus ascendit ad Patrem gloriosus, nihil fuit excusationis reliquum, quin eum & innocentem & justum, & omni humano generi justitiæ auctorem esse crederent, per cu-

ius fidem, & ipsi homines justificari possent. *De Judicio* autem convincet mundum, ut scilicet se judicio, ac damnationi obnoxium esse intelligat, *quia princeps hujus mundi*, diabolus, cui tamquam principi mundus peccati merito subiectus, *jam judicatus est*, id est, damnatus a Deo, quatenus suo in homines dominio per justitiam Christi spoliandus, & judicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est. Per hæc autem ostendetur, etiam mundum cum suo principe damnandum esse, qui eum adhuc superbum & impium imitari voluerit. Utitur autem præterito tempore pro futuro, quod jamjam instabat.

12. *Adhuc habeo multa vobis dicere*, id est, dicenda, seu explicanda, & ut S. Leo Serm. 2. de Pentecoste, enarranda. Ut proinde non significet, aliam eis veritatem ac doctrinam esse prædicandam, inquit idem, sed eandem enucleatius percipiendam. Et hæc sunt profundiora, quæ in ipsis rebus etiam revelatis continentur. *Sed non potestis portare molo*: id est, intelligere, propter incapacitatem vestram, quæ per illam Spiritus sancti affluentiam tollenda est. Ut enim nonnulla mysteria, quæ creduntur, etiam intelligantur, non est satis fidelem esse, sed profecisse oportet in Spiritu. Quare ut eos redderet non desperando frigidiores, sed desiderando

ca-

capaciores, spem certam facit, eorum cognitionem eis per Spiritum sanctum esse tradendam.

13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, id est, verax, vel *veritatis*, id est, Filii Dei, qui est veritas, & a Veritate, quia Deus de Deo, *docebit vos*, absque verborum involucris, per infusa vobis dona scientiæ & sapientiæ (nam per illa fit ipse homo intrinsecus capacior) *omnem veritatem*, non de futuris eventibus, vel de occultis naturalis philosophiæ difficultatibus, sed omnem veritatem eorum, quæ ad instruendam Ecclesiam, & ad perficiendos homines in fide & bonis moribus erunt necessaria; hoc est, quidquid veritatis in verbis atque institutis meis, & in Scripturis latet. Nam eorum intellectus a Spiritu sancto eis datus est; in illis comprehenditur quidquid ad fidem & bonos mores instruendos, & ad Ecclesiæ gubernationem requiritur. Itaque singulis personis sua assignat munia, ut verbum caro factum disciplinam veritatis traderet ore suo, Spiritus vero sanctus ejusdem intelligentiam daret; partim ut sic homo ab externo auditu incipiendo, ad rerum scientiam ordine quodam proficeret: partim, ne, si Spiritus sanctus sine externo Verbi incarnati ministerio novas veritates revelasset, occasionem majorem inde arriperent hæretici, sicut quidam

postea fecerunt, dicendi hæc vel illa novæ fidei mysteria sibi a Spiritu sancto de novo esse inspirata. Qua de re vide latius Augustinum Tract. 97. & 98. Dans vero rationem, cur *Spiritum veritatis* appellasset, & simul occurrens errori, quo quis putare posset Spiritum, qui docturus erat omnem veritatem, quam Filius nondum explicuisset, esse majorem Filio, vel aliena & contraria doctrinæ fidei docturum, opportune subjicit: *Non enim loquitur a semetipso*, quia non est a semetipso, & proinde nihil loquetur veritati seu Filio, a quo est, dissentaneum. Nam sicuti de semetipso dixerat cap. 14. v. 10. *A me ipso loquor*, hoc est, nihil præter Patris voluntatem, nihil a me inventum, Patrique contrarium; ita etiam de Spiritu veritatis, *sed quæcumque audiet, loquetur*, id est, nihil præterquam quod audiet, seu quod intelliget, seu accipiet ex me. Nam ab illo audiet, a quo procedit. Audire autem illi est scire; scire vero, esse. Quia ergo non est a semetipso, sed a Filio, consequenter a quo est illi essentia, ab illo & scientia & locutio: ab illo igitur & audientia, quæ nihil est aliud quam scientia, prout hæc tractat August. *Et quæ futura sunt*, maxime ea, quæ spectant ad pericula fidelium vitanda, fidemque confirmandam, *annunciabit vobis*, id est, longe ante prædicet. Per quod, interprete Chrysoft. animos eorum ex-

citavit, quia ad nihil tam cupidum est humanum genus, quam ad futura cognoscenda.

14. *Ille me clarificabit*, id est, celebrem gloriosumque reddet toto orbe terrarum, secundum naturam & humanam & divinam, quia revelabit fidelibus, quanta sit virtus, & potentia divinitatis Christi. Hoc autem dixit Spiritum facturam, quod Apostoli per Spiritum facturi erant, *Quia de me accipiet*, & *annuntiabit vobis*, id est, quia id, quod annuntiabit vobis, scilicet omnem etiam de futuris rebus veritatem, *accipiet de meo*, hoc est, de me, seu de plenitudine & infinito thesauro divinitatis & sapientiae meae. Per quod significat Spiritum sanctum, & a se procedere, & sibi consubstantialem esse. Utrumque notat Cyrill. Ne vero crederetur Filius dixisse, quod hoc, *suum*, de quo Spiritus sanctus acciperet, haberet a se, & ita detraxisset aliquid Patris gloriae, subjicit:

15. *Omnia quaecumque habet Pater*, potentiam, sapientiam, veritatem, essentiam, quaecumque scilicet in illa simplici divina natura multipliciter & simpliciter continentur. Per hoc autem, quod non dicit, *Deus*, sed *Pater*, insinuat, illud, *Omnia*, de iis intelligi debere, quae sunt naturae, non personae, quia persona habet naturam; ut sic Sabellianus

error excludatur; sicut notavit Didymus lib. 2. de Spiritu sancto. *Mea sunt*, non gratia, sed natura, non aliquid quasi mihi jam existenti donatum possidendo, sed nascendo. Itaque propterea, id est. hoc sensu, dixi: quia de meo accipiet, nimirum ne ullo modo videar mihi quidquam omnino vindicare, quod non habeam a Patre. In quo lucet mirabiliter, quantopere, & quam accurate deferat Filius Patri, etiam secundum divinam naturam. Sed quid miramur, si deferat Patri, qui subditur etiam matri? ut Amb. lib. 2. in Lucam.

16. *Modicum*, id est, pusillum adhuc temporis spatium est, & jam non videbitis me, id est, post quod non amplius me videbitis conversantem vobiscum, quia scilicet per mortem subtrahar oculis vestris: Et iterum, supple, simile quid continget, videlicet *Modicum* temporis erit, & videbitis me, id est, quo exacto rursus redivivum me videbitis. Itaque primum illud, *Modicum*, complectitur tempus, quod restabat usque ad passionem, paucarum scilicet horarum: secundum vero *Modicum*, complectitur tempus a morte usque ad resurrectionem. Ita sentiunt Cyrill. & August. qui Tract. 101. hoc exponens: Post paululum, inquit, passus est, & non viderunt eum: rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Nam phrasis ista, *modicum* &, significat

gnificat post modicum, sicut patet Aggæi 2. v. 7. *Adhuc unum modicum est, & movebor, &c.* Oseæ 1. v. 4. *Adhuc modicum & visitabo sanguinem.* Quod bene notandum, propter diversos sensus in quos hæc verba trahuntur. Quia *valo ad Patrem*, id est, quia jamjam instat tempus, quo per mortem & resurrectionem intercedentem mihi eundum est ad Patrem. Et sic datur ratio utriusque brevis intervalli, scilicet mox sublata, & statim redditæ visionis: idque sive *ire ad Patrem*, accipiatur pro ascensione, quam mors & resurrectio debebant, ut diximus, antecedere; sive etiam, ut aliqui malunt, pro ipsa immortali resurrectione, sed minus congrue ad istam phrasim Scripturæ. Cum ergo discipuli non intelligerent, quid sibi vellent ista verba, quæ obscuritatem adferebant, eo quod tamquam prophetica nondum essent impleta, dixit Dominus:

20. *Amen Amen dico vobis.* Est vehementissime confirmantis, per illam repetitionem: quod frequentius in Evangelio secundum Joannem invenitur, quia, ut Ambr. in Psalm. 40. ipse maxime de celestibus, & profundis mysteriis est locutus. Quia *plorabitis & flebitis vos*, scilicet post illud primum modicum, quando per mortem auferar a vobis: *Mundus autem, Judæi amici huic mundo interfectores mei, gaudebit.* Lætati enim sunt

sunt occiso Christo, quando discipuli sunt contristati, inquit Aug. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*, post illud secundum modicum, quando me iterum videbitis ex mortuis resuscitatum. Itaque non explicat Christus questionem discipulorum neque quid esset illud *modicum*, neque quando implendum, utpote quod illos ex eventu potius discere volebat; sed explicat, quid ipsis interim esset even-
 turum. Porro vicissitudinem illam gaudii post eorum tantam tristitiam declarat similitudine.

21. *Mulier cum parit*, &c. supple, *sicut*, quod apud Hebræos sæpissime supprimi-
 tur, quemadmodum & sequenti versu deest, *Ita*, vel ejus loco positum est, *Igitur*: q. d. Tristitiam, doloresque capietis in morte mea, sed quales sunt dolores puerperarum, qui lætitiæ causa sunt, omnem non solum tristitiam, sed etiam memoriam ejus absorbentis. Sic igitur

22. *Et vos nunc quidem tristitiam habetis*, id est, mox habebitis in passione, & morte mea, post primum scilicet illud modicum, quando non videbitis me: *Iterum autem videbo vos*, statim a morte & sepultura mea, post secundum illud modicum exactum, & *gaudebit vos vestrum*, id est, ex intimo corde gaudebitis de me immortaliter resuscitato, sicut patet Joan. 20... *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*

vobis, id est, nemo tollere poterit; & proinde perpetuum erit de me vivo, florente, ac triumphante. Significat enim, quod resurgens a mortuis non morietur amplius, & mors illi ultra non dominabitur, sicut August. & Chrysost. notant. Porro idem August. alio sensu ab eo, quem prius dederat, & post illum Beda accipiunt illud primum modicum pro tempore a morte usque ad ascensionem, post quam non essent amplius visuri Christum; sed tristes futuri in miseriis & laboribus hujus mundi; secundum vero modicum accipiunt tempus totum usque ad resurrectionem universalem, postquam eum iterum visuri erunt, & æterno, & incorruptibili gaudio gavisuri in cœlo. Et intelligunt consequenter diem, in quo lumine gloriæ illustrati nihil interrogabunt amplius, ipsa scilicet manifestatione æternæ veritatis scientes omnia. Sed ad primum sensum continuandum convertendo subicit Christus:

23. *Et in illo die*, id est, illo tempore, quo resuscitatus fuero, *non rogabitis quidquam*, id est, non interrogabitis me amplius. Respicit enim ad diem Pentecostes, quo Spiritus sancti lumine illustrati nihil opus habuerunt amplius, os Christi secum loquentis consulere. Ita Chrysost. & fere Græci. *Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem*, post
sub.

subtractam vobis presentiam meam corporalem, *in nomine meo*, id est, per me tamquam redemptorem, mediatorem, & caput. Nam ut redemptor, sanguine suo nos emit, & meritis suis omnia salutis nostrae necessaria nobis procuravit: ut mediator, insuper in dextera Dei Patris interpellat pro nobis; ut caput nostrum, ipsemet in membris suis accipit illa, quæ petimus. Qua ratione dicit Psalmus, *accepisti dona in hominibus*. Quæ tria simul juncta ineffabilem obtinent vim ad impetranda postulata. *Dabit vobis*: de cujusmodi promissionum intelligentia jam sæpe diximus.

24. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, id est, hætenus non petivistis quidquam a Patre in nomine meo, tamquam redemptoris, mediatoris, & capitis vestri; quia, ut recte Cyrill. hic orandi ritus priscis omnibus ignotus fuit, quia nondum peracta redemptio, neque confessus ad dexteram, neque dignitas capitis ei delata fuerat. Unde nec Christus Apostolis illum orandi ritum nisi jamjam moriturus tradidit, ut Patri post glorificationem suam offerretur: quem propterea Ecclesia ex hac Domini institutione in omnibus suis precibus frequentat. Itaque deinceps *petite in nomine scilicet meo*, Et, experti talis efficaciam petitionis, *accipietis, ut*
gaus.

gaudium vestrum sit plenum, tum in hac vita impetrando postulata, quæ ad sanctificationem vestram faciunt, tum in futura, quæ ad glorificationem. Gratiâ enim & gloriam dabit Dominus, ut est Psal. 83.

25. *Hæc in proverbii locutus sum vobis, id est, tamquam per proverbialia & parabolas, sermone videlicet obscuriore, & qui non facile a discipulis capiebatur, ut Cyrill. quia fere de rebus futuris locutus fuerat, de orando in nomine suo, de habitu & reditu suo, de Patre & Paraclete, de illo modico, &c. Sed ne vos contristet sermonis obscuritas. Venit hora, cum jam non, &c. Sed palam de Patre annuntiabo vobis, id est, de Deo & rebus divinis differam vobis apertissime. Respicit enim ad illos dies quadraginta, quibus post passionem cum ipsis conversatus est, & ad missionem Spiritus sancti, qui eos docturus erat omnia. Primum Chrysost. secundum notat Augustinus.*

26. *In illo die, seu tempore peracta scilicet redemptione, & obtenta mediatoris & capitis jam glorificati dignitate. in nomine meo petetis, quia tunc cœpit ille modus orandi invalescere: Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Non quasi significet Christus, se nullo modo in cœlis pro eis rogaturum, cum constet eum hoc facere ex cap. 8. Rom.*

Rom. vers. 34. & ad Heb. 7. vers. 25. & ibid. cap. 9. v. 24. sed significat, se jam nolle facere mentionem illius interpellationis suæ, ne putarent discipuli, nullam omnino habendam esse rationem a Patre precum etiam suarum propriarum, sed aliquid amplius se ad eorum consolationem velle dicere, videlicet, quod etiam se non petente impetrabunt.

27. *Ipse enim Pater amat vos, ut proinde ultro ex isto amore aures ejus attentæ sint ad preces vestras.* Significat ergo, merita tam discipulorum, quam Christi ad eundem fructum orationis obtinendum concurrere; tantum abest, ut, quod hæretici dicunt, meritis nostris merita Christi obscurentur: sicut nec precibus nostris preces Christi & bonitas Dei obscurantur, quando ad eundem effectum concurrunt, sicut concurrebant, cum diceret Deus, 4. Reg. 20. versu 6. *Protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.* Ideo autem Pater amat vos, quia vos me amastis, id est, quia genuini estis discipuli, & amici mei; quamvis eos jam ante Pater amore suo prævenisset, ut amici fierent: *Et credidistis, quia ego a Deo exivi*, id est, quod ex Deo tamquam verbum & Filius natus sum, juxta illud Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodivi.*

28. *Exivi a Patre, æterna generatione nascendo tamquam verus Filius ejus, & veni in mundum, naturam humanam assumendo ex Virgine: iterum relinquo mundum, corporali discessione & vado ad Patrem, per ascensionem in cœlum.*

29. *Dicunt ei discipuli: Ecce nunc palam loqueris, &c. id est, nullo parabolico & obscuro sermone nobis loqueris de amore Patris, de exitu & reditu tuo, præstans scilicet id, quod initio promisisti palam te locuturum. Putabant enim, se jam plene intelligere ea, quæ Christus loquebatur, cum revera multum eis deesset.*

30. *Nunc scimus, ex hoc scilicet perspicuo sermone tuo, quia scis omnia, etiam humanorum cordium arcana, Et, ut illa scias, non opus est tibi, ut quis te interroget, id est, ut tibi quæstionem suam proponat, quam dissolvi velit: quia scilicet priusquam interrogaris, ipsius interrogantis nosti voluntatem. Quod ex eo colligebant, quia cum vellent eum paulo ante interrogare, quid esset, quod eis dixerat, modicum & non videbitis me, &c. ipse præveniendo interrogationem eorum, dissolverat quæstionem, prout hæc notant August. & Chrysost. In hoc, id est, ex hoc argumento, quod nosti omnia, credimus, quia a Deo existis, id est, quod sis genuinus Filius Dei; quia solius Dei est omnia etiam abscondita cordis*
 T. III. Z nosse.

nolle, ut Hilar. lib. 6. de Trin. Cyril. & Theophyl. in hunc locum. Quæ verba discipulorum cum tacitam gloriatiorem continere viderentur, quasi perfecta jam essent fide, reprimit eos aliquantulum Christus, fidei infirmitatem ostendendo.

31. *Modo creditis, tranquillo videlicet rerum statu, absente periculo: sed*

32: *Ecce venit hora, & jam venit. Primum illud, Venit, est præsentis temporis, secundum vero præteriti: quo vis orationis augetur, q. d. Brevi tempus aderit, imo ecce nunc adest. Judas enim cum cohorte jam se parabat. Ut dispergami unusquisque in propria, id est, in suum quisque locum, ubi tutius consultiusque esse putet. Quo significatur non sola fuga discipulorum, sed confusa eorum dispersio, juxta Scripturam, ad quam hic alludit, & quam postea citat, Percutiam pastorem, & dispergentur oves... Et me solum relinquantis, inter hostium manus: sicut factum ostenditur Matth. 26. vers. 56. quasi eis diceret; Tunc apparebit, quam virilis sit vestra fides de Filio Dei, quæ sic formidine dejecta succumbet. Quam fidem statim iterum confirmat, addendo: Et, pro, sed, vel quamquam, non sum solus, neque nunc, neque tunc, quia Pater mecum est, qui mihi sit præsidio in omni tribulatione, ut oportet a me inseparabilis.*

33. *Hæc locutus sum vobis, de fidei vestræ infirmitate & fuga, ut in me pacem habeatis, id est, ut discatis contra omnes adversitates esse stabiles in fide ac dilectione mei, sine scandalo, sine perturbatione, sine fluctuatione. Accipi enim videtur hic Pax, pro illo animi statu, quo in maximis periculis tranquillus & inconcussus permanet. Itaque quamvis discipuli postea his verbis non obstantibus scandalizati sint, fructum tamen suum Christi verba post ascensionem habuerunt, quando etiam fugiendo stabiles manserunt, ut August. hic. Nam in mundo pressuram habebitis, id est, tribulationes, quamdiu in eo vixeritis: Sed confidite, mundum a vobis esse superandum, Quia ego, cui fide & amore coheretis, vici mundum. Non autem soli mihi vici, sed maxime vobis: q. d. Magnum quidem habebitis adversarium, sed majorem auxiliatorem me, qui vici mundum, quia principem ejus diabolum vici. Quod præteriti temporis verbo dicit, quia certissimo & jamjam futurum erat. Itaque idem hic ait Christus, quod postea Joannes Apostolus Epistola prima, cap. 4. vers. 4. *Vicistis mundum, quoniam major est, qui in vobis est, quam qui in mundo.**

CAPUT XVII.

I. **H**æc locutus est Jesus: Et sublevatis oculis in cælum, externo orantis habitu. Nam ita se voluit hic exhibere precatorem, ut meminisset nostrum se esse Doctorem, ut August. Docuit autem nos orando, omnem fructum doctrinæ a Deo pro discipulis expectandum, ac petendum esse, omnemque spem adversus pericula in Deo ponendam. Dixit ergo: *Pater venit hora, ignominiosæ passionis, ac mortis meæ, clarifica Filium tuum, id est, glorifica me, manifestando toti mundo innocentiam, ac dignitatem meam; perinde, ac si diceret: Jam tempus est, quo Filius tuus tua glorificatione maxime opus habet, quando tam abjecta mors est subeunda; ut nisi perspicuis miraculis declaraveris eam innocentem & Filium tuum esse, ab omnibus impostor, ac sceleratus habendus sit. Ut Filius tuus clarificet te, id est, ut gloria mea in te velut fontem & auctorem redundet. Quo significat, gloriæ humanitatis suæ desiderium non in se sistere, sed pergere in debitum finem suum, gloriam Patris. Quibus verbis velut parenthesi circumscriptis adjungit ad præcedentia:*

2. *Sicut dedisti ei potestatem, &c.* Latet hyperbaton in verbis istis, quæ sic collocanda sunt & jungenda præcedentibus: *Clarifica Filium tuum, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, id est, per glorificationem suam omnibus, quos ei morte sua salvandos tradidisti, vitam æternam largiatur, quandoquidem per incarnationem dedisti ei tamquam homini potestatem & imperium omnis carnis, seu totius humani generis.* Significat itaque esse consentaneum rationi, ut cui potestas in omnes homines data sit, ipse quoque eis credentibus vitam æternam tribuat.

3. *Hæc est autem vita æterna, id est, in eo sita ratio assequendi vitam æternam; est enim locutio causalis, non formalis, Ut cognoscant te solum Deum verum.* Græci communi consensu, Cyrill. Chrysosthom. Theophyl. & alii ita exponunt, ut illud, *Solum*, non afficiat subjectum propositionis, scilicet *Te*, quasi sensus esset: Cognoscant, te solum esse Deum verum; sed potius prædicatum, scilicet *Deum*; quemadmodum & dictio, *Verus*, illud efficit, hoc modo, Cognoscant te esse illum solum verum Deum, seu illum, qui solus est verus Deus. Quod aptius Græce significatur, ubi inter, *te & solum* interjectus est articulus (*se ton monon*) Itaque significatur, esse tantum unum verum

rum Deum, ad distinctionem falſorum Deorum, & Patrem eſſe illum ſolum verum Deum. Quo tamen non ſignificatur ſolum Patrem eſſe illum ſolum verum Deum, ſeu illum, qui ſolus eſt verus Deus. Et hoc eſt, quod dici ſolet, illud, *Solum*, non excludere aliam perſonam, ſed aliam naturam. Et, ut cognoscant, *quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Ordo verborum eſt, Et ut cognoscant Jeſum, quem miſiſti, eſſe Chriſtum, illum promiſſum mundi redemptorem, qui ſuo merito vitam æternam largiatur. Significat igitur his verbis, vitæ æternæ comparandæ rationem in duobus conſiſtere: in fide unius veri Dei, & in fide Chriſti mediatoris. Loquitur autem more ſuo tamquam homo, qui Patris tamquam divinitatis fonti, quidquid divinum eſt, adſcribere ſolet, ideoque illi nomen Dei tamquam proprium tribuere. Quod & Paulus imitatus eſt pluribus locis, ut 1. ad Timoth. 1. verſ. 5. 1. ad Corinth. 8. verſ. 6. *Unus vobis Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus*: item ad Ephes. 5. v. 5. Auguſt. tamen videtur hunc locum in ſenſu formali accipere, quod vita æterna in eo ſita ſit, ut Pater & Chriſtus cognoscatur unus ſolus Deus, hic inchoate, poſtea perfectè.

4. *Ego te clarificavi, ſed glorificavi, ſuper terram, vita, doctrina, ac prædicatione gloriæ tuæ, tamquam fontis om-*

nium, & ostensione signorum ex nomine tuo: opus consummavi, quod dedisti seu commisisti, mihi, ut faciam: opus scilicet humanæ redemptionis, quod propter rei jamjam futuræ certitudinem, tamquam præteritum exprimit, quamvis mors adhuc subeunda superesset.

5. *Et nunc clarifica me, &c. q. d. Hactenus ergo te commissæ redemptionis executione glorificavi, nunc, ea absoluta deinceps glorifica me apud te ipsum, in cœlis, clarificate, quam habui apud te, priusquam fieret mundus, id est, gloria non aliena, aut adventitia, inquit Cyrill. sed propria ac naturali, quam habui apud te ab æterno, Petit hic igitur, ut statim ab ignominiosa morte Deus glorificet humanam suam naturam, gloriosa, filioque Dei digna resurrectione, & exaltatione ad dexteram Patris, ut sic a toto mundo verus Deus agnoscat, quemadmodum ab æterno fuerat. Nam ista gloria ad tempus in mundo carnerat, dum formam servi acceperat. Orationem istam Christi impletam fuisse significat Paulus ad Philipp. 2. v. 2. Et hactenus Christus oravit pro se; nunc pro Apostolis usque ad v. 20. ubi descendit ad omnes secuturos fideles, quemadmodum observat, & prolixè tradit Augustinus Tract. 106. in Joannem. Itaque*

6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, non quo Creator dicitur cœli & terræ, sed*

quo Pater Filii sibi æqualis, quem ex mundi perditione misit in mundum. Nam, ut Augustinus. In hoc, quod fecit hunc mundum, cœlo terraque conspicuum, etiam antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus: in hoc autem quod non est injuriis suis cum falsis diis colendus, notus in Judæa Deus: in hoc vero, quod Pater est hujus Christi, per quem tollit peccata mundi, hoc nomen ejus prius occultum omnibus, nunc manifestavit eis, *Quos dedit ei de mundo*, id est, quos ex promiscua peccatorum multitudine selegit, salvandosque Christo tradidit. De Apostolis sermo est: *Tui erant, æterna electione, & mihi eos dedisti*, tanquam homini & redemptori docendos, justificandos, & ad æternam salutem perducendos. Nam tanquam Dei, non minus erant ab æterno Filii, quam Patris, ut hic Aug. & Cyrill. *Et sermonem tuum, quem eis prædicavi, servaverunt*, fide & observatione, hoc est, non inanis in eis excolendis opera mea, & gratia tua fuit.

7. *Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi*, id est, quæcumque dico & facio, *abs te sunt*, in me latenter operante, non a principe dæmoniorum, ut Judæi calumniati sunt, Ita Græci. August. tamen hoc de natura divina intelligit, quasi dixisset, cognoverunt, quia abs te

te sum. Simul enim Pater dedit omnia, quando genuit eum, qui habet omnia. Sed sequentia magis poscunt priorem sensum; nam quasi exponeret, quæ sint illa, quæ Pater ei dederit; addit:

8. *Quia verba quæ dedisti mihi*, id est, doctrinam, quam mihi promulgandam tradidisti, *dedi eis*, clare omnia annuntiando: *Et ipsi acceperunt*, credendo, opereque complendo. Et ideo videlicet cognoverunt, omnia mea abs te esse, quia ut capite 7. dixit v. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit. Et consequenter cognoverunt vere*, quia a te exivi, tamquam Filius a Patre secundum divinam naturam: & præterea, *crediderunt*, quia tu me *misisti*, hominem mundi salvatorem, hoc est, crediderunt, me verum Deum Filium tuum, & verum hominem. Hac ergo quasi commendatione Apostolorum præmissa, ut facilius impetraret, nunc orationem pro eis fundit.

9. *Ego pro eis rogo*, tamquam mediator hominum: *Non pro mundo rogo*. Ubi *Mundum* intelligit, inquit Aug. eos, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo elegantur ex mundo, hoc est, intelligit reprobos. *Sed pro his, quos dedisti mihi*, ex mundo eripiendos, eruditione, protectione, gratia. Ideo autem pro eis rogo, *quia tui sunt*, æterna salu-

salutis electione. Quod perinde est, ac si diceret: *Æquum est, ut peculiarem curam geram, ut orem, ut a te exaudiar pro eis, quos tantopere tibi charos esse ista electione declarasti.*

10. *Et mea omnia tua sunt, hoc est, quemadmodum certe omnia, quæ mihi dedisti, sive naturaliter tamquam Deo per generationem, sive donatione temporali tamquam homini, sunt ac manent tua; & tua, quæcunque secundum divinitatem habes, quam solam habes, mea sunt, quia mihi vel generatione tamquam Deo, vel donatione tamquam homini data. Per hanc ergo parenthesin interpositam exponit, quo sensu dixerit scæpius: Quos dedisti mihi, nempe per incarnationis dispensationem, ne quia Pater Apostolos dedit, putaretur amisisse, quos dedit, inquit Aug. Nam & antequam darentur, erant filii, & postquam dati sunt, permanebant Patris, propter naturæ divinæ, honoris bonorumque omnium unitatem. Et clarificatus sum in eis, subaudi, quia, quod ante parenthesin positum est. Datur enim duplex ratio, cur oret pro eis: prima, quia tui sunt; altera, quia clarificatus, seu glorificatus sum in eis, quatenus scilicet mundo licet repugnante crederant Christo, & mandatis ejus obediverant.*

11. *Et jam non sum in mundo, id est, jam vero brevi non amplius ero per visibilem præsentiam in mundo, quia jam jam moriturus, Et hi in mundo sunt, id est;*

adhuc permanent multis periculis expositi, præsentialque mea, qua custodiebantur, orati, &, seu quia, *ego ad te venio*, per mortem & resurrectionem. Sic enim exponit, inquit August. cur dixerit, & *jam non sum in mundo*. Itaque hoc versu dat rationem, cur jam oret pro Apostolis magis quam ante. Igitur *Pater sancte*, & proinde fons omnis sanctitatis, quam eis peto, *serva eos*, in gratia, quam consecuti sunt, *in nomine tuo*, id est, propter honorem nominis tui, quos *dedisti mihi*, id est, quos mihi homini in mundo agenti servandos dederas. Explicat autem modum, quo servari eos desiderat: *Ut sint unum*, Spiritu, voluntate, charitate, ita scilicet, ut credentium permaneat cor unum & anima una, *sicut & nos*, unum sumus & permanemus inter nos, ut videlicet ista voluntaria eorum unio, quædam naturalis nostræ unitatis imago sit, inquit Cyrill. Nam illud, *sicut*, non est æqualitatis, sed similitudinis significativum.

12. *Cum essem cum eis*, corporaliter conversando (loquitur enim quasi jam discessisset, qui mox discessurus erat) *Ego servabam eos*, in illa animorum unitate, *in nomine tuo*, tamquam cui id a te injunctum erat. *Quos dedisti mihi*, custodi, tuendo eos a periculis non solum animæ, sed & corporis, ut stabiles & salvi in sua vocatione persisterent: qua
custo-

custodia mea protectus, *nemo ex eis per-*
it, morte vel æterna vel corporali.
 Nam & de corporali Christum loqui pa-
 tet ex cap. 18. vers. 9. ubi significat,
 hæc verba impleta esse, quando Apo-
 stoli libere abire permisi sunt. Ab illo vero
 spirituali casu, in quem Christo patien-
 te inciderant, ejusdem gratia liberati
 sunt, ut non esset æternus. *Nisi Filius*
perditionis, id est, perditioni a te desti-
 natus, quia perditione per suam culpam
 dignus. Sic enim *Filius mortis* & *gehen-*
ne dicitur, quia morte gehennaque di-
 gnus est, & ei propterea destinatur. *Ut*
Scriptura impleatur, hoc est, periit autem
 non negligentia mea, sed ut Scriptura
 impleretur, qua prædictum erat, eum
 propter scelera a te perdendum. Itaque
 per ista omnia significat, se perfunctum
 esse omnibus partibus officii sui, nemi-
 nem sua negligentia, sed propria culpa
 periisse, sicut hoc ipsum prædictum fu-
 erat.

13. *Nunc autem ad te venio*, ideoque
 non amplius eos corporali præsentia,
 doctrina & protectione servaturus. Sup-
 plendum autem: Itaque rego, ut eos tu
 serves. Pendet enim sermo a versu præ-
 cedenti, & utroque simul datur ratio
 versus undecimi, cur scilicet pro eis
 nunc roget, nimirum quia æquum sit,
 ut jam deinceps Pater ipse sibi com-
 mendatos tueatur; quasi quodammodo
 ex-

excusaret importunas preces suas. *E*
hæc loquor in mundo, commendando eos
 custodiæ tuæ, dum adhuc in mundo sum,
 ut gaudium meum, quo de me tamquam
 protectore suo gaudent, habeant impletum
 in seipsis, intelligendó, se tibi esse curæ,
 nec minus me præsentē per Spiritus
 sancti custodiam protegi, quam præsen-
 te. Ita fere Chrysoſt. Sed durius vide-
 tur vocari gaudium meum. Itaque recti-
 us videatur gaudium Christi vocari ma-
 teriam gaudii mei, quod scilicet res eo
 deducta esset, ut posset discipulos hac-
 tenus parvulos a visibili pædagogia ab-
 lactare, & quasi emancipare, atque in-
 visibili protectioni Spiritus sancti com-
 mittere. Vel denique, ut Aug. gaudium
 Christi intelligit illud, quod Christus eis
 infunderet, nempe gaudium unitatis ani-
 morum, quod hic in eis inchoatum erat,
 sed in cœlo tandem in illa æterna pace
 & beatitudine implebitur.

14. *Ego dedi eis sermonem tuum*, doc-
 trinam, quam in mundo prædicari ius-
 seras, supple, eumque credendo, & ob-
 ediendo receperunt. *Et mundus eos odio*
habuit, cujus causa est, quia non sunt de
 mundo, affectionibus, studiis, actionibus,
 hoc est, quia mundo vita, & mori-
 bus dissimiles sunt, sicut & ego non sum
 de mundo: quam ob causam & ego ipse
 mundo invidus sum.

15. *Non rogo, ut tollas eos de mundo*, id est, ex hac mortali vita (videtur enim mundus hic accipi aliter, quam in præcedentibus;) hoc enim nec ipsis expedit, utpote quibus est utile odiis dilectionem reddere, odiaque charitatis officiis sanare; nec aliis, quorum iniquitas dilectione, & obsequio debet ad meliora converti: *Sed ut serves eos a malo*, peccato scilicet, quod solum & proprie malum est. Nam a mundo affligi non est malum; sed afflictioni succumbere, ut scilicet vel odiis irritatus vicem reddas, vel officia dilectionis prætermittas, vel sufferentiam amittas, mundumque repetas.

16. *De mundo non sunt*, sicut dictum est vers. 14. Repetit hoc tamquam rationem impetrandi id, quod mox petit: q. d. Quandoquidem igitur isti non sunt de mundo,

17. *Sanctifica eos*, ad opera religionis divinique cultus eos segregando, consecrando atque idoneos faciendo, tamquam ministros novi Testamenti, *in veritate*, id est, non sanctitate legali Judæorum, quæ erat umbra veritatis, non apparentis, qualis est Paganorum, sed veræ per Spiritum sanctificationis internum. Talis enim sanctitas est accuratissime conformis veritati, seu verbo Dei, & hoc est, quod adjicit: *Sermo tuus veritas est*, quia omnis expers mendacii & falsitatis.

18. *Sicut tu me misisti in mundum, ut sanctitatis, veritatisque operatione & predicatione essem lux mundi, similiter & ego misi eos in mundum, ut & ipsi illa sanctificatione veritatis præparati, sint utroque modo lux mundi.*

19. *Et pro eis sanctifico meipsum, id est, consecro & offero me tibi tanquam hostiam vivam, & sanctam per actualem mei immolationem, quam jamjam in cruce paro; sic enim exponit hoc verbum sanctificandi, Chrysost. & Græci: idque pro eis, sanctificandis scilicet, ut sint & ipsi sanctificati, id est, interiori Spiritus sancti unctione consecrati, & præparati Deo, non figurali & umbratica sanctitate, nec etiam apparenti, & in speciem per hypocrisin, sed in justitia & sanctitate veritatis.*

20. *Non pro eis autem rogo tantum, id est, pro Apostolis istis præsentibus, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum, id est, per predicationem eorum per universum mundum. Postulat autem eis id ipsum, quod ante pro Apostolis postulaverat, videlicet*

21. *Ut omnes, postquam crediderint, unum sint, inter se velut membra unius corporis, unione animorum, & charitatis glutine constricta, sicut tu Pater in me, & ego in te, supple, unum sumus, quemadmodum supplet August. Nam idem hic rogat pro omnibus, quod v. 11. pro Apo-*

Apostolis, ut sint unum, sicut & nos, scilicet unum sumus unitate naturæ, & voluntatis, & amoris mutui. Quod ut magis explicaret, adjicit, *Ut & ipsi in nobis unum sint*, q. d. Ut unum, inquam, sint, non qualibet animorum consensione ad iniquitatum & scelerum societatem, sed *in nobis*, id est, in Deo, seu in unitate nobis consentanea, divinæ scilicet charitatis & pietatis. Itaque etiam hic, ut ex Cyrill. diximus, illud *sicut*, imitationem quamdam divinæ unitatis, non æqualitatem significat; nam ad tantam unitatem non potest creatura pertingere. *Ut credat mundus*, id est, ut cæteri homines, adhuc infideles, hac unionis & concordie suavitate tacti, etiam ipsi credant, *quia tu me misisti*, quod erat summa & legationis, & prædicationis Apostolorum. Itaque petit, ut ille sit fructus unitatis Christianorum, propagatio fidei Christianæ. Proinde cum Christus orasset primo pro Apostolis, deinde pro cæteris, qui per ipsos crediderant, ut essent unum; his tandem verbis etiam pro illis orat, qui increduli erant, ut & ipsi crederent.

22. *Et ego claritatem, quam dedisti mihi dedi eis.* Hanc claritatem Augustin. intelligit immortalitatem, quam prædestinando jam dederit: Chrysost. vero celebritatem nominis per opera mirabilia. Convenientius Cyrill. lib. II. in Joan. cap.

cap. 26. & 27, *claritatem* intelligit divinitatem, qua potissimum Christus clarus & gloriosus est, *quam dedisti mihi*, homini eam humanitati in unitatem personæ copulando, *dedi eis*, Apostolis, omnibusque per eos credituris. Tunc autem dedit eis, quando corpus & sanguinem suum divinitati unitum, eis in cibum & potum dedit, ut sic consequenter supremæ istius naturæ divinæ participes fierent. *Ut sint unum*, supple nobiscum: nam unitatem eorum inter se per amorem mutuum jam ante eis apprecatus fuerat. Hic ergo loquitur de unitate longe sublimiori, qua scilicet sint unum etiam cum Deo, *sicut & nos unum sumus*, id est, ut participant & illam unitatem ex nobis, qua nos unum sumus. Quo vero pacto hoc fiat, statim explicat, ut scilicet *ego in eis*, sim per carnem meam & sanguinem, corporaliter & realiter ab eis sumptum, & *tu in me*, per divinitatem tuam, eidem carni & sanguini realiter unitam: ut isto modo *sint consummati in unum*, id est, sint consummati unum, Græce (*teteliomeni is en*,) *perfecti in unum*: sicut alibi dicitur, *Erunt duo in carne una*, seu *in carnem unam*, id est, erunt duo una caro. Significatur ergo, quod illa unitas cum Deo, quam Christus habet, quatenus natura ejus humana est unita divinitati, communicetur & nobis; per hoc scilicet, quod nos realiter

eidem humanitati, cui divinitas copulata est, comedendo bibendoque commiscemur.

23. *Ut cognoscat mundus*, ex illa stabili unione eorum cum Deo & inter se, quia tu me misisti, quem illi tantæ suæ unitatis auctorem colunt: & cognoscat etiam, quia dilexisti eos, utpote quos tantis donis cœlestibus cumulaveris, sicut & me dilexisti, quatenus me omnibus thesauris donorum, ipsaque divinitate mihi unita plenum exhibuisti mundo. Itaque significatur hic maxima quædam similitudo Christianorum, licet inæqualis cum Christo, idque tam in intima illa unitate cum Deo, quam in causa unitatis, videlicet dilectione Dei, utpote quæ talis est erga ipsos, qualis erga Christum, & erga ipsos propter Christum dilectum. Quæ similitudo cum pertineret ad præsentem vitam, pergit eis petere & aliam, pro futura:

24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego*, id est, desidero ac peto, ut in regno tuo, ubi ego brevi post ascensionem meam ero, & illi sint mecum, ejusdem gloriæ statim a morte mecum participes, ut Cyrill. *ut videant claritatem meam*. tam divinitatis meæ, quam humanitatis. Utrumque promisit Isaias, quando dixit cap. 33. v. 17. *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*. Nam in illius fructiva visione consistit beatitudo primario;
in

in hujus, secundo: & ita adimplebimur in omnem plenitudinem Dei: *quam dedisti mihi*, divinam naturam humanæ copulando, humanamque omnium bonorum plenitudine glorificando: *quia dilexisti me*, pura gratia tua, *ante mundi constitutionem*, id est, ab æterno: qua phrasi æternitas in Scripturis significari solet. Significatur hic ergo gratuitam dilectionem esse fontem ineffabilis istius beneficii, quo divinitas humanitati Christi in unitatem personæ conjuncta est: nam, ut August. lib. De prædestinat. Sanctorum c. 15. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus. Et ita consequenter significat, hanc visionem claritatis suæ in gloriam Patris, tamquam fontis omnium redundaturam.

25. *Pater joste*, quo epitheto indicat ignorantiam, seu incredulitatem, *quamundus*, hoc est dilectores mundi, maximeque Judæi, *non cognovit Patrem*, iusto Dei judicio eis permissam vel inflictam: *ego autem te cognovi*, tam ut homo, quam ut Deus, perfectissima cognitione: *Et me revelante*, *hi cognoverunt*, *quia tu me misisti*, hoc est, ut Cyrill. quod tua voluntate tamquam Filius tuus pro salute hominum in mundum venerim. Causam ergo istius notitiæ indicans, addit,

26. *Et notum feci eis nomen tuum* exterius prædicando, & interius gratiam Spiritus sancti infundendo, qua cognoscant nomen tuum, quod scilicet sis Pater Verbi tui, & Spirator Spiritus tui: *Et notum faciam*, uberius post passionem, maximeque in æterna gloria, ut dilectio, qua dilexisti me, hominem destinando ac perducendo ad supremum cognitionis tui ac dilectionis & gloriæ gradum, qui effectus est summæ dilectionis Dei, in ipsis quoque sit, hoc est, ad ipsos quoque derivetur, & erga ipsos in æternum perseveret, & ego in ipsis, hoc est, inquit August. quia ego in ipsis sum, tamquam caput in membris, ita videlicet, ut & ego & ipsi tamquam caput & membra unum simus. Datur enim hic ratio seu causa diligendi cæteros homines, quia sunt membra mediatoris. Alii per dilectionem, qua dilexisti me, intelligunt ipsum Spiritum sanctum, qui est amor Patris, & Filii, ita ut Christus hic petat a Patre, ut ipse Spiritus sanctus quoque sit in fidelibus suis per claram ejus visionem, atque ita compleatur in eis beatificæ visionis objectum, idque propterea, quia sunt membra Christi. Prior sensus Augustini videtur congruentior.

CAPUT XVIII.

I. **H**æc cum dixisset, egressus est, ita scilicet, ut non ante, quam his dictis egressus sit. Poterant tamen & alia quædam interponi, ut quod Matthæus dicit, hymnum fuisse dictum in gratiarum actionem, & si quæ cum illis in via sermocinatus est. *Trans Torrentem Cedron*, Græce (*ton Kedron*,) *Cedrorum*, quasi a Cedris ita diceretur. Sed corrupta est lectio; nullæ enim ibi Cedri, quæ potius montibus gaudent: sed est nomen proprium torrentis, qui inter montem Olivarum ad Orientem situm, & inter Jerosolymam ac Occidentem fluit per mediam vallem Josaphat, quæ & val-
lis Hennon, seu Gehennon dicitur. Et ita Christus hic adimplevit figuram Davidis, qui fugiens Absalonem mœstus transivit Torrentem Cedron; 2. Reg. 15. ubi erat hortus, pertinens ad villam, seu prædium Gethsemani, de qua Matthæus.

2. Sciebat autem & Judas locum. Quod addit, ne putetur Christus latebras quæ-
sivisse, cum se receperit in locum familiarem, ubi eum sciebat Judas quærendum: Quia frequenter convenerat illuc. Quod Lucas dixit, *Ibat secundum consuetu-*

dinem in montem Olivarum; in cujus radice hortus ille situs erat.

3. *Judas ergo cum accepisset cohortem, non Judæorum, sed militum, idque a Præside, tamquam ad capiendum reum servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus capientibus, vel tenentibus auderet obistere, ut notat August. Et, præter milites, cum accepisset etiam, a Pontificibus, seu Principibus Sacerdotum, ut est Græce, & Phariseis, quos aliqui vocant Scribas & Seniores populi, quia plerique secta Pharisei erant, ministros, quibus utebantur, partim in privatis, partim in publicis negotiis, quales sunt satellites. Hos adjunxerunt, ut quibus magis fiderent, quam ethnicis militibus. Venit illuc cum laternis & facibus, ut si faces ex aeris intemperie extinguerentur, iterum ex laternis accendi possent, & armis, gladiis & tustibus ut Matth.*

4. *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, ne quis eum imprudentem putet in manus inimicorum incidisse, processit, Græce (exelthon), egressus est, scilicet horto, vel ad egrediendum se parans processit obviam eis, & dixit eis: Quem quæritis? Cui responderunt: Iesum Nazarenum, quo nomine vulgo vocabatur. Itaque quia non dicunt, Quærimus te, significatur isto responso, eos quamvis præsentem & loquentem necdum agnovisse, ac proinde*
signum

signum Judæ tunc nondum fuisse exhibitum, ut quidam putant. Unde etiam

5. *Stabat Judas cum ipsis, expectans opportunitatem ejus tradendi, finito colloquio, ac dissimulans se de illorum esse societate, ut quasi casu in eos incidisse videretur.*

6. *Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt, id est, retrorsum repulsi in tergum ceciderunt, unius videlicet vocis non increpatione, non comminatione, sed majestate, veluti turbine prostrati. Nam illa verba, Ego sum, divinitatis confessionem continent, qua eis voluit manifestius quodammodo divinitatis suæ virtutem exhibere, ut merito S. Leo dicat Serm. I. de passione: Quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda? Hoc igitur suæ virtutis specimine exhibito, sciens, quid magis suscepto mysterio conveniret, in hac potestate, inquit Leo, non perstitit, sed persecutores in facultatem dispositi sceleris redire permisit.*

7. *Iterum ergo interrogavit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, personæ ipsius, ut videtur, adhuc ignari, vel ignominia casus sui eam nolentes confiteri, rursum non dicunt, Te quærimus, sed, Jesum Nazarenum. Unde patet manifestissima miracula in illos ipsos peccatores*

edita conversioni non sufficere, nisi interna Dei gratia cor emolliat.

8. *Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum, id est, me esse. Quæ verba continent tacitam exprobrationem stuporis eorum, quod præsentem, clareque se profitentem non agnoscerent; & imbecillitatis eorum, quod non comprehenderent. Nam ad ostendendam illam imbecillitatem eorum, suamque majestatem & voluntariam comprehensionem, uno verbo eos prostraverat. Si ergo me queritis, finite hos abire, liberos & illæsos. Quæ verba continent efficax præceptum seu potius efficacem operationem, qua discipulos ab eorum manibus vindicavit. Nam illo factum est, ut nec Petrum ferociter pugnans, nec postea in medio sui deprehensum, nec Joannem sub cruce, nec quemquam aliorum apprehenderint. Quo iterum ostendit, se liberum abire posse, si vellet. Causa hujus dimissionis Apostolorum erat, quod ipsum solum nunc pati, Apostolos testes passionis ejus esse conveniret: effectus vero, ut sic*

9. *Impleretur, id est, ne falsus videretur, sermo, quem dixit cap. præced. v. 12. ubi expositus est.*

10. *Simon ergo Petrus, defensionis sui Domini aviditate, & majore, quam fas erat, commotione, quia fretus, inquit, Chrysost. his, quæ facta erant, scilicet eorum*

eorum prostratione, percussit Pontificis servum, ferocins instantem, inquit Leo, & abscidit auriculam ejus dexteram. Quo notat, illos significari August. lib. de agone Christianorum cap. 29. audire non possunt, quod dexterum est, id est; res bonas.

11. Dixit ergo Jesus Petro, compescens impetum ejus, vitiosum quidem, sed qui servire virtuti posset, moderatus. Nam, ut August. lib. 22. contra Faustum cap. 70. Animæ virtutis capaces, & fertiles præmittunt subinde vitia, quibus indigent, cui virtuti potissimum sint accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ, quæ quid & in Moyse contigisse docet occidente Ægyptium. Uterque enim ostendebat, sibi non deesse animum defendendi innocentes. Compescit autem Petrum inter cætera etiam hac ratione: Calicem, quem dedit mihi Pater, &c. id est, hanc patiendi sortem, quam mihi Pater veluti calicem bibendum miscuit, non suscipiam? q. d. Patiarne cujusquam humanitate aut studio ab hoc tam acceptabili Dei beneficio me prohiberi? Quo animi ardore dicitur in Psal. 115. ex persona Martyrum: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.

12. Cohors ergo & tribunus, Græce (chiliarchos,) id est, Præfectus mille virorum. Ex cujus præsentia colligunt quidam non

male totam cohortem, vel magna ex parte adfuisse, quam constitisse volunt mille, & paulo pluribus capitibus: timebant enim virtutem ejus, fautorum multitudinem, tumultumque aliquem plebis. *Comprehenderunt Jesum, & ligaverunt*, securitatis suæ, & ipsius ignominia causa, tamquam sceleratum.

13. *Et adduxerunt eum ad Annam*, non ex professo, cum ad Caipham eundum esset; sed ex occasione domus Annæ, quæ occurrebat, ut August. in itinere: nempe quasi triumphum ducentes, inquit Chrysost. & præ voluptate de tali captivo gestientes, ut oculos Annæ tali spectaculo pascere. *Erat enim Jocer Caiphæ*, qui proinde Annam tamquam patrem honorabat, propter affinitatem ac dignitatem viri. Itaque simul Caiphæ hac in re gratum facere voluerunt. *Qui erat Pontifex anni illius*, qua de re, sicut & de versu 14. alibi dictum est. In quo versu 14. latet tacita transitio. Significat enim, Jesum ab Anna ad Caipham, tamquam verum tunc Pontificem ductum esse. Nam & vox, *Pontifex*, sæpius in sequentibus absolute posita eum significat, qui absolute Pontifex erat, hoc est, Caipham. Nam Annas non nisi Jocer Caiphæ Pontificis vocatur vers. 13. & Matth. satis clare significat examen sequens in domo Caiphæ esse factum, nempe c. 26. v. 57. & seqq.

15. *Sequebatur autem Jesum Simon, & alius discipulus, qui erat notus Pontifici: & hac notitia fretus nihil sibi evenire posse ausus est introire cum Jesu in atrium Pontificis, hoc est, in aulam, ut Græce; (is tin avlin,) non enim hic intelligitur locus sub dio. Quis discipulus ille fuerit, contenditur; Chrysoft. Joannem Evangelistam fuisse putat; alii alium ex discipulis non Apostolis, quod circumstantiæ illius temporis reddant valde verisimile. Augustinus rem incertam esse dicit, eo quod nomen taceatur: maximeque facit pro iis, qui putant, non esse Joannem, quia Joannes se significans addere solet, quem diligebat Jesus, vel simile quid. Quæ hic de Petri negationibus sequuntur, exposita sunt Matth. 26.*

19. *Pontifex ergo.* Continuat hic sermonem cum veris. 13. & 14. ubi de Pontifice Caïpha loqui cæperat, eumque occasione Petri interruperat. *Interrogavit Jesum de discipulis suis, quos in collegium novæ sectæ sibi cooptasse videbatur.* Nova autem sodalitia Principibus suspecta esse solent, maxime apud Judæos, ubi jam tumultuatum fuerat contra Cæsarem a quibusdam. Sed quia defensio illa facilis erat, ut qui non nisi duodecim pauperes, & inermes secum duceret; rogavit enim in primis *de doctrina ejus*, ut qui novam, vel clanculariam, suspectamque doctrinam ac dogmata inferret.

20. *Respondit Jesus : ego palam locutus sum mundo, id est, publice, quibuslibet, idque Jerosolymis in totius mundi theatro : ego semper docui in Synagoga, in illis locis, ubi templum non erat, Jerosolymis vero etiam in templo, quo omnes Judæi conveniunt. Nam, & synagogæ, & templum, non erant loca occultæ suspectæque doctrinæ insusurrandæ : & in occulto locutus sum nihil, quod scilicet occultatum vellem, cum contra de seorsim enarratis dixerim, quod in aure auditis, publicate super tecta, ut Epiphani. Hæresi 45. Unde Aug. Ergo hoc ipsum, quod ab ipso docebatur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto, quia non ita dicebatur, ut ab eis, quibus dictum fuerat, taceretur, sed ita potius, ut usquequaque prædicaretur.*

21. *Quid me interrogas? cum juxta jura tribunalium, reus pro sua causa loquens non faciat fidem. Nam, ut Ambr. Epist. 20. Testis verus est, qui non sibi, sed aliis fert testimonium. Interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis. Acriter respondet ad repellendam calumniam quæsitam de doctrina clancularia, non tamen arroganter, quia iretus publica veritate. Nam, ut Chrysost. id veritatis maximum est argumentum, cum quis inimicos in eorum, quæ dicit, testimonium adducit. Nec tales longe tibi querendi sunt, quia ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Digito ostendebat quosdam præ-*

sententes, ut Cyrill. qui eum audierant. Nam olim quidam ex ministris eum audientes retulerant, *Nunquam sic locutus est homo.* Cum ergo inter medios inimicos constitutus ac desertus ab omnibus dedisset hoc responsum, non minus æquum quam forte, intrepidum ac liberum,

22. *Unus assistens ministrorum*, apparitorum, qui captum tenebat, *dedit alapam Jesu.* Quod fieri solet manu aperta, idque in faciem; virisque fit magis contumeliæ causa quam doloris. Colaphi fiunt etiam pugno, & in alias capitis, colli, & corporis partes. *Dicens: Sic respondes Pontifici?* id est, tam superbe, tam contumaciter, tantæ dignitatis Præfati, tu reus & tam abjectus?

23. *Respondit Jesus*, quasi qui se factis vindicare non posset, verbis constanter pergens asserere innocentiam suam, maxime ubi arguebatur improbitatis admixtæ in Pontificem: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo*, id est, ostende, quid male a me prolatum sit in Pontificis dignitatem. Quo nos docet, ut Cypr. ait *Epist. 65.* Sacerdotes veros legitime & plene honorari debere, dum circa falsos Sacerdotes ipse talis existit, ut videlicet nequidem eis male locutus videri velit. *Si autem bene, quid me cedis?* innocentem, coram iudicibus constitutum, tu minister, citra sententiam? quibus modis peccabat iste minister. Hoc ergo

ergo factō explicuit Christus doctrinam suam de præbenda altera maxilla percutienti. Demonstrantur enim, inquit Aug. maxima illa præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione faciendæ: fieri enim potest, ut alteram maxillam visibiliter præbeat & iratus. Quanto ergo melius & respondet vera placatus, & ad perferenda graviora tranquillo animo sit paratus? Tunc igitur reipsa etiam implenda sunt, cum spes est, quod fatiganda, & ad poenitentiam commovenda sit improbitas patientia sufferentis, ut Tertull. de patientia c. 8.

24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham.* Conjunctio, *Et pro, autem*, quod Hebræis propter inopiam particularum valde familiare est, & Græcus Aoristus (*apestilen*,) *misit* pro *miserat*, quemadmodum & v. 26. *abscidit* pro *absciderat*. Nam propter interruptam historiam negationum Petri, ad quam redire volebat, quædam necessario erant repetenda, ea scilicet, quæ habentur v. 25. Qua ratione & illam Christi missionem ad Caipham repetit, vel potius clarius explicat id, quod ante tantum insinuaverat. Quam sententiam aperte docet S. Cyrill. & omnino tenenda videtur. Nimis enim perspicuum videtur ex aliis Evangelistis, maximeque Matthæo, omnes negationes Petri in domo Caiphæ contigisse, præ-

præsertim quia & hic aliquoties indicatur: præcedentia accidisse apud Pontificem, qui tunc absolute non erat, nisi Caiphas.

28. *Erat autem mane, primi diei Azymorum, qui incidebat in Lunam decimam quintam: & ideo ipsi non introierunt in prætorium, id est, domum Pilati, Præsidis Romanorum, quæ adhærebat arci Antoniæ, ut non contaminarentur, id est, ne legaliter immundi fierent ingressu domus, utpote in qua non vitarentur ea, quæ faciebant immundum. Nusquam ingredi Gentiles domum lege vetitum fuisse legitur: ut & hoc videatur fuisse traditionis Phariſææ. Unde præpoſteram earum religionem taxans August. o impia, inquit, & stulta cæcitas! habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. Sed ut manducarent pascha, cujus manducationem impediebat legalis immunditia. Per Pascha vero intelligitur non agnus Paschalis, qui jam immolatus fuerat vespere præcedente, sed victimæ cæteræ, quæ per septem dies solemnitatis Paschalis magno numero immolabantur, juxta Legem Num. 18. v. 19. & 24. cujusmodi victimæ etiam Pascha seu Phase vocantur Deuter. 16. v. 2. Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & bobus, itemque 2. Paralip. 35. v. 8. 9. Talium igitur victimarum, imo nullarum omnino poterant*

terant immundi esse participes juxta Legem Levit. 22. v. 3. Ut ergo tantæ religioni ipsorum subveniret Præses, egressus foras dixit eis, prout ordo justitiæ postulabat :

29. *Quam accusationem adfertis adversus hominem hunc?* absurdum videlicet ratus judicium eos præsumere, & supplicium sibi permitti.

30. *Responderunt*, declinando accusationem, in qua sciebant se defecturos : *Si non esset hic malefactor*, quem scilicet nobis constaret esse morte dignum, non tibi tradidissemus eum, morte plectendum; non videlicet Senatus totius populi Israel, eruditione, religione, vitæ integritate clari: quasi dicerent, merito tibi auctoritas nostra sufficere deberet. Nam tacite conqueruntur de ipsius erga se diffidentia, ut eorum auctoritatem secutus Præses desineret quærere, quid ei objiceretur, inquit August. sed ob hoc tantum nocentem crederet, quod sibi ab eis tradi meruisset.

31. *Dixit ergo Pilatus: Accipite eum vos*, quia, ut agebat Festus, Præses item Romanorum, Act. 25. v. 16. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentibus habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina: *Et secundum legem vestram judicate*. Permittit igitur eis occisionem, sed secundum

dum legem, insinuans eis, quod si ex odio, vel invidia, vel contra legis præscriptum occiderent, pœnæ obnoxios fore.

Dixerunt ergo Judæi: Nobis non licet interficere quemquam, gladii potestate nobis adempta per Romanos, utpote quæ supremi juris est, ut S. Thomas & alii: vel certe nobis non licet, &c. in hisce diebus Azymorum, ut aliqui volunt; propter quam causam dicunt Herodem servasse Petrum Act. 12. ut post Pascha produceret eum populo.

32. *Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit significans, qua morte esset moriturus, id est, ideo recusaverunt eum interficere, ut sic prophetia Christi impleretur de morte a Gentilibus inferenda, imo & de morte crucis. Nam Quamvis & Judæis crux in usu esset, ut patet Num. 25. v. 4. tamen Pilatus non permittebat occisionem, nisi secundum Legem, id est, propter aliquod crimen, cui lex ipsorum decerneret mortem; & juxta genus mortis, quod decerneret. Blasphemia autem, quam ei imputabant, juxta Legem lapidatione plectebatur; nam crimen rebellionis contra Cæsarem non pertinebat ad Judæos punire.*

33. *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus & vocavit Jesum, seorsim, ut absque tumultu examinaret objecta ei crimina; & dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Relinquit cætera ei objecta, quæ a Lu-*

ca cap. 23. exprimuntur, & id unum arripit, quod læsam Cæsaris majestatem spectare videbatur. De sensu verborum illorum dictum est Matth. 27. v. 11.

34. *Respondit Jesus*, non statim fatendo de se rem sibi honorificam, sed aliquid interjiciens, quo apposite ad responsionem veniret. *A temetipso hoc dicis*, seu interrogas, tamquam illam de me opinionem habens, *an alii tibi dixerunt de me?* id est, an aliorum suggestionem? q. d. Ex tuane, an ex aliorum sententia id rogas? Videtur enim Jesus non adstitisse, quando primam accusationem instituerunt.

35. *Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum*, ut mihi curæ sit istius nationis Messiam, vel stemmata nosse? Dixerant enim Sacerdotes, eum esse determinate Christum Regem, ut est Lucæ 23. & ideo de tali Rege Judæorum sermo erat. Insinuat igitur Pilatus, hoc ab aliis sibi fuisse suggestum. *Gens tua*, quæ simul copiosa affluerat, *Et Pontifices tradiderunt te mihi*, interficiendum. Silens autem, quam accusationem adversus eum instituisent, conatur causam concitati tumultus ex ipsomet cognoscere, interrogando eum: *Quid fecisti?*

36. *Respondit Jesus*, oblique, & tamen satis aperte ad primam quæstionem, quæ caput erat totius causæ, ita tamen, ut statim Pilatum liberet sollicitudine de læso

læso Cæsare: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, non est de numero regnorum hujus mundi, neque illius conditionis, cujus est regnum Cæsaris, ut proinde nihil de ipso læso timeas. Probat autem a communiter accidente, quia alioqui ministri mei, satellites, milites, exercitus, utique decertarent, pro me, ut non traderer Judæis, hostibus videlicet meis: nunc autem, q. d. quandoquidem videas hoc non fieri juxta consuetudinem hujus mundi, consequenter liquet, quod *Regnum meum non est hinc*, id est, non habet originem suam, neque conditiones suas ex hoc mundo.

37. *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu?* Necessesse est enim esse Regem eum, qui habet regnum. *Respondet Jesus: Tu dicis, quia Rex, seu quod Rex sum ego.* Cæteri Evangelistæ simpliciter dicunt respondisse, *Tu dicis*, quæ est usitata Judæis, sed modesta confessio rei præsertim honorificæ: quod explicuit Marcus, cap. 14. ubi loco ejus, quod Matthæus dixerat, *tu dicis*, refert, *ego sum Rex*, videlicet ab æterno, ut Ambros. lib. 2. De fide c. ult. Nam ideo post enuntiatam suam regiam dignitatem, statim descendit ad nativitatem temporalem. *Ego in hoc natus sum*, seu ad hoc, sicut statim sequitur; nam Græce utrobique est eadem vox (*is tuto* :) *Et ad hoc veni in mundum*, per nativitatem temporalem, seu

incarnationem, (quo tacite indicat, se fuisse etiam, antequam nasceretur in mundo) *ut testimonium perhibeam veritati*, Dei, seu ipsi Deo, verum ejus cultum homines docendo, eorumque vitia, seu deflexus a veritate corrigendo. *Omnis qui est ex veritate*, illa prima, id est, omnis, qui est ex Deo eum eligente, sensumque cognoscendæ veritatis inspirante (nam ut August. gratiam hic commendavit, quæ secundum propositum vocat) *audit vocem meam*, seu prædicationem, id est, ei credit, atque obtemperat, tamquam quæ conformis sit interno sensui, quem a veritate sibi inspiratum, atque insitum accepit. Itaque qui non audiunt eam, illi non sunt ex veritate, nec acceperunt illud divini beneplaciti beneficium.

38. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* fastidientis, non discere cupientis verba sunt. Putasse enim videtur, quod tamquam Philosophus de veritate regnoque disputaret. Itaque nolens isti rei diutius insistere, tamquam quæ non esset suæ professionis, aut fori, simul atque hoc dixisset, *iterum exiit ad Judæos, & dicit: Ego nullam invenio in eo causam*, id est crimen, de quo eum accusatis. Satis enim intellexerat regnum, de quo ipse loquebatur, sine apparatu, ac milite, non esse contrarium Cæsari. Postquam ergo multa intercessissent, Barabbæ postulatio, flagellatio, coronatio, illusio, de quibus

bus late in Matthæum diximus, Præses uti volens illa miserabili flagellati & coronati effigie ad atroces illos animos emolliendos.,

CAPUT XIX.

4. **E**xivit iterum foras, in locum scilicet illum, qui vers. 13. vocatur *Lithostrotos*: erat enim opportunus, ut totum populum inde alloqui posset, ut ibi dicemus. Itaque dixit eis: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis*, publica hac mea, & iterata denuntiatione, quia nullam invenio in eo causam, mortis, inquit nonnulli: sed verius videtur generalius intelligendum esse nullam omnino causam, seu noxam, ne quidem flagellationis, & coronationis istius: ut, cum videatis eum innocentem a me tam male tractatum, tantummodo ut vobis satisfacerem, inde colligatis, me non paritulum ei fuisse, si quam causam cruce dignam invenissem. Itaque Cyrill. notat, Pilatum hic ingenuè fateri peccatum suum, quod injuste flagellasset, & eduxisset foras, ut & Judai agnoscerent ita esse.

5. *Exiit ergo Jesus, plagis lividus, flagris conscissus, vulnerum cruore a capi-*

te per faciem ad pedes usque defluente sanguinolentus, sputis horridus, & ad ignominiam portans spineam coronam, & purpurpureum vestimentum, quod ex Græco (*himatio*) redditur *Pa'llium*, ut Matth. 5. v. 40. dictum, ut proinde totius corporis livores & vulnera apparuerint. Eductus est ergo, ut August. non clarus imperio, sed plenus opprobrio, idque ut hanc ejus miseriam & ludibria libenter biberent, & ulterius sanguinem non sitirent. *Et dicit eis: Ecce homo, id est, Ecce ille, cui vobiscum humana saltem natura communis est: q. d. Ecce in quem statum redactus est ille, quem persequimini, cujus saltem ut hominis, tam miserabili spectaculo commoti miseremini.* Quæ verba mysteriosa expendens August. Si Regi, inquit, invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis, flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus, amaris convitiis illusus, alapis cæsus est: fervet ignominia, frigescat invidia.

6. *Cum ergo vidissent eum Pontifices, metuentes, ne populus beneficiorum memor ad misericordiam fleteretur, primi eruperunt in clamores, ut populo essent duces, & ministri, qui pro dominorum voluntatibus, a quibus stipendium accipiunt, & promotionem sperant, zelare solent, clamabant: Crucifige, crucifige. qua repetitione animi ardorem & aversionis*

sionis magnitudinem significant. *Dicit eis Pilatus*, offensus videlicet, tum quod tam immani supplicio nondum placati essent, tum vero quod se vi cogere vellent, ut tam injustæ necis auctor esset. Itaque dicit eis: *Accipite eum vos*, ipsi, si tam injusti estis, & *crucifigite*, si videtur. Est enim non concedentis, sed horrentis crimen: quia, ut *Crysost.* notat, itemque *Cyrill.* sunt verba indignantis, monentisque, ut ipsimet rem tam illicitam perpetrent, insontem occidendo. *Ego enim non invenio in eo causam*, & proinde non faciam id, quod petitis.

7. *Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus*, q. d. Si tu non invenis in eo causam, juxta leges Romanas, nos invenimus maximam, quam hætenus suppressimus, ut intelligas nos non odio, sed veritate niti. Nam *secundum legem nostram debet mori*, id est, mortis reus est, quia *Filium Dei se fecit*, ac proinde blasphemavit: quemadmodum concordi sententia culpam Christo imputatam ad blasphemiam apud cæteros & Evangelistas retulerant. Blasphemis autem decernitur poena capitis, *Levit. 24. v. 16. & Deut. 13. vers. 5. 9. 10.* Postulant ergo mortem juxta legem, quia Judæi permisi erant a Cæsare suis legibus vivere.

8. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem*, quod se Filium Dei asseruisset, magis timuit. Hætenus enim territus fuerat

innocentia ejus, nunc religione; ne non solum injustus in hominem, sed & impius in Deum esset. Ethnicis enim assuetus fabulis, facile Jesum esse, vel Deum aliquem credidit, quemadmodum Act. 14. vers. 10. Lycaones Paulum & Barnabam, vel certe deorum filium. Quo maxime juvabant notissima ejus miracula, sapientia, & in tantis tormentis & ignominiis perferendis tam inusitata æquanimitas & constantia. Quamquam aliunde etiam dici possit, eum magis timuisse, quod scilicet, vel eum flagellasset, sicut timuit Act. 16. vers. 39. Magistratus Philippensis, audito, quod Paulus & Barnabas flagellati, cives essent Romani. Itaque rem non carentem fundamento accuratius exploraturus seorsim,

9. *Ingressus est prætorium iterum, & dixit ad Jesum: Unde es tu?* id est, quæ origo tua, seu de quibus parentibus, cælestibus, an terrenis? Videtur enim magis de patre, quam de patria quærere. *Jesus autem responsum non dedit ei:* tum quia Pilatus satis noverat innocentiam ejus, quod ad absolvendum sufficiebat; tum quia didicerat etiam, quantum satis erat, id ipsum, quod quærebat, cum audiverat, *Regnum meum non est de hoc mundo:* nam profundioris explicationis, quod esset Filius Dei ab æterno, incapax erat. Pilatus se contemnens

10. *Dicit ei, cum stomacho: Mihi non loqueris? Judici videlicet tuo? Nam quod illud, Mihi, involvat, statim explicat: Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, &c. potestatem, non æquitatem, inquit August. in Psalm. 118. Spirant enim hæc verba tyrannidem, quia significant eum habere potestatem pro libitu utrumlibet faciendi, vel crucifigendi, vel dimittendi; quam potestatem iudices non habent. Itaque Pilatus, quamquam de cætero prudens, hic apparet impius, dum latroni se parem facit; & insipiens, dum nemini putat iudices etiam supremos reddere debere sententiæ suæ rationem.*

11. *Respondit Iesus, comprimere volens Pilati jactantiam, qua præ se ferebat, penes se esse vitæ & necis ejus arbitrium: Non haberes potestatem adversum me ullam, neque crucifigendi, neque flagellandi neque juris, neque facti in me tamquam Filium Dei, nisi tibi datum esset desuper, id est, superne de cælo, peculiari scilicet Dei consilio permittentis. Agitur enim de illa potestate, de qua dictum fuit Judæis: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum: Quæ potestas per illam Dei permissionem non abstergit peccatum in eo, cui datur. Propterea qui me tradidit tibi, populus videlicet Judaicus, ut est cap. 18. vers. 35.... Majus peccatum habet, scilicet quam tu, quia illi invidendo, tu timendo; illi*

intentione occidendi, tu consulendi, & liberandi injuriam contulisti: quorum illud isto longe gravius est. Ita plerique. Quamquam videatur notari peccati excessus ex parte potestatis: nam Judæi, qui Jesum tradiderant Pilato occidendum, longe certius noverant, quam ipse Pilatus, neque se, neque Pilatum, habere ullam adversus eum potestatem. Non excusat igitur hic Jesus Pilatum sed indirecte accusat peccati, licet minoris, quod tamen directe ab eo intelligi volebat.

12. *Et exinde, (ek tutu,) ex hoc, quod exponi potest, ex illo tempore, vel etiam propter hoc, ut Syrus, seu ex hac causa, ut August. quod scilicet Pilatus animadverteret, eum non negasse, quod esset Filius Dei, sed potius asseruisse, & insuper repressisse intrepide arrogantiam suam; nec illa Dei permissione, vel consulendi intentione excusatum esse peccatum suum: Querebat Pilatus dimittere eum, serio scilicet multoque magis quam ante. Quod propositum suum statim prætorio egressus palam declaravit. Nam hæc de causa animadvertentes Judæi Pilatum omnibus hætenus allatis argumentis invictum esse, ex parte Cæsaris eum aggrediuntur, ubi minus munitus erat. Sicut enim hostis clausos obsidens muros, explorat ac tentat omnem aditum; ita diabolus omnium discutit con-*

consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari, ut S. Leo Serm. 7. de Nativitate. Itaque clamabant Judæi: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, id est, declaras te inimicum Cæsari, cujus locum tenes, & cujus jura tueri debes: plus enim significant, quam dicunt, taciteque accusationem perfidiæ apud Cæsarem minantur. Quo sane nihil apud Pilatum terribilius dici poterat, cujus & status, & vita inde pendeat. *Omnis enim, qui se regem facit, non concedente Cæsare, in provinciis Romani imperii, contradicit Cæsari*, id est, hostis est Cæsaris, & perduellionis reus, utpote lædens majestatem & auctoritatem ejus. Neminem enim patiebantur Cæsares usurpare Regiam potestatem in Judæa, imo nec nomen, nisi suo concessu. Quam ob causam Archelaus, filius Herodis Magni, graviter accusatus fuit, quod vel passus esset se Regem haberi a militibus ante Cæsaris permissum; & ad nomen illud obtinendum Herodes Tetrarcha Romam profectus est.

13. *Pilatus autem cum audisset hos sermones, de læso Cæsare, cui eum suspectum facere minabantur, adduxit foras Jesum, prorsus succumbens timori, qui omnibus clamoribus Judæorum infractus fuerat, similis videlicet illis, qui tamdiu pro*

pro iustitia fortiter certant, quamdiu nullum imminet fortunarum, aut honoris, aut status, aut vitæ periculum: *Et sedit pro tribunali*, id est, habitu iudicis consensu tribunali sedet ad ferendam sententiam, in loco, qui dicitur (*Lithostrotos*) Græce, lapidibus stratus, quod pavementum esset stratum lapidibus. *Hebraice autem*, hoc est, Syriace, qua lingua tunc Hebræi utebantur tamquam vernacula, quæ non est pure Hebraica, sed mixta Caldaicæ, discrepans multum dialectis ab utraque, *Gabbatha*. Quod si deducatur a Syriaco, *Gab*, significabit, ut Græcum, viam lapidibus stratam: si autem ab Hebraico, *Gavach* & *Gavoagh*, significabit altum, seu eminentem locum. Erat enim porticus in modum pontis lapidei frequentibus arcubus supra plateam publicam exstructa, ac subdiabulis inambulationibus ornata; per quam a Pilati palatio in Antoniam arcem, & inde in templum transitus erat, ut Andrichomius in suo Theatro Terræ sanctæ, ubi dicit peregrinis adhuc ostendi arcum lapideum, cum hac inscriptione: *Tolle, Tolle, crucifige*. Ex hoc loco populum Præsides Romani alloqui solebant, ut commodissime ab omnibus videri & audiri possent. In hoc ergo etiam tribunal portatile positum fuit, quod Pilatum aliquando in stadio collocasse, pro re nata, notat Josephus lib. 18. Antiquit. c.

3. & Florum ante Regiam lib. 2. De bello Judaico cap. 14.

14. *Erat autem Parasceve*, quæ est dies præcedens sabbatum, seu feria nostra sexta *Parasceve* dicta, quasi præparatio, quod ea die præpararentur pro sabbato sequente ea, quæ ipso sabbato præparari non poterant. *Pasce*, id est, incidens in Pascha, seu Paschales dies, *Hora quasi sexta*, id est, circiter sexta: quod quo pacto congruat Marco, qui dicit, *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum*, ibi latius diximus. *Et dicit Judæis: Ecce Rex vester*. Quæ verba videntur esse iridentis, partim Judæos, si esset iste Rex ipsorum Christus; partim Jesum, si non esset: simulque misericordiam commoventis tali ipsius spectaculo, qui tam male tractatus erat, videlicet, ut ita, sive esset Rex ipsorum, sive non esset, liberaretur.

15. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum*. Spirant verba odium acerbissimum omnisque moræ impatientes animos: quasi dicerent id, quod est Sapientiæ 2. *Gravis est nobis etiam ad videndum, aufer eum ex oculis nostris. . . . Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam!* tantæ præsertim innocentie, & tam bene de vobis meritum? Quæ verba ponderans Cyrill. Tantæ, inquit, apud vos opinionis eum crucifigam? Quid enim ei exequari potest; imo vero quid in eo minus

nus Filio Dei atque Rege? Et expositionem complens August. Adhuc, inquit, timorem, quem de Cæsare ingerant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere quos de ignominia Christi mitigare non potuit: sed timore mox vincitur. *Responderunt Pontifices*, qui ad omnia ista insana responsa populo duces fuerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, Itaque ex odii magnitudine renuntiant hic publice Messiae sibi divinitus promisso, innumerabilibus beneficiis commendato, in quo tota ipsorum religio fundata erat, & consequenter renuntiant Moyfi & Prophetis, dum nativæ suæ libertati ethnici hominis servitutem præferunt. Ut merito prædixerit Daniel cap. 7. v. 26. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & Osæ c. 1. vers. 9. Non populus meus vos, nec ego Deus vester*. Quamobrem jure, quod Cyrill. notat, in Cæsaris, quem elegerant, potestatem traditi sunt, & in innumerabiles belli calamitates præcipitati.

16. *Tunc ergo tradidit eis illum, &c.* Non ausus ultra resistere, quia, ut Aug. apertissime contra Cæsarem venire videretur, si Regem se non habere, nisi Cæsarem, profitentibus, alium Regem vellet ingerere, dimittendo impunitum eum, quem propter hos ausus ei occidendum tradiderant. Porro tradidisse eis
di-

dicatur, cum tamen Romanis militibus traditus sit, quia videlicet tradidit eum voluntati eorum, seu adjudicans fieri petitionem eorum, ut Lucas. De crucifixione, tituli que verbis vide Matthæum. Cum ergo crucifixissent eum, imposuit titulum

20. *Hebraice, Græce, & Latine.* Lucas Græcam linguam primo loco posuit, neglecto scilicet vero ordine, quem talem fuisse, ut hic adscribitur, asserunt qui eum viderunt Romæ. Itaque Latina, tamquam quæ dignior Romano Præsidi videretur, capiti proxima fuit, in medio Græca, postremo Hebraica a capite remotissima: ad præfigurandum, quod Latini, seu Ecclesia Latina futura esset Christo proxima, tamquam Ecclesia principalis, ut loquitur Cyprian. & caput ejus: Græci medii, Hebræi remotissimi, ac tandem ultimis temporibus Ecclesiæ accensendi. Interim ex illius tituli dignitate tres istæ linguæ divinis officiis consecratæ sunt.

21. *Dicebant ergo Pilato, &c. Noli scribere, Rex Judæorum.* Duplex petitæ mutationis causa fuit: una, ignominia sua; sentiebant enim sibi aperte exprobrari, quod Regem suum Messiam crucifixissent, quemadmodum revera hoc eis Pilatus exprobratum videtur voluisse: altera, gloria Christi, cui & morienti invidabant; titulus enim iste speciem potius tro-

trophæi, quam damnationis præ se ferebat. Itaque scribi volunt: *Quia ipse dixit, Rex sum Judæorum*, hoc est, quod sibi illam dignitatem usurpaverit. Talem enim crucifixisse fuisset vice versa Judæis gloriosum, Jesu ignominiosum.

22. *Respondit Pilatus, quod scripsi, scripsi*, hoc est, nolo immutare, maneat scriptum, quod scripsi. Perstitit ergo Pilatus, tum ex naturali judicio, quia non licebat hoc ei; nam ut Apuleius in Floridis Proconsulis tabella, sententia est, quæ semel lecta, neque augeri littera una, neque minui potest: tum divino instinctu, quia Spiritus sanctus voluit indelebilem illam veritatem toti mundo innotescere. Ut enim Cyrill. Stabile & super calumniam est Christi regnum: & ut Hieron. invitis etiam Judæis, Jesus est Rex Judæorum, hoc est, imperator credentium & confitentium.

23. *Milites ergo acceperunt vestimentum ejus, & fecerunt quatuor partes*, non tot integra vestimenta dividendo, sed ea scindendo: unicuique militi partem. Unde apparet, inquit August. quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo Præsidi paruerunt. *Et tunicam, interiorem, supple*, acceperunt: nam vox (*giton*) proprie vestem corpori adhærentem significat. *Erat autem tunica inconsutilis*, unde nec dissui poterat, *Desuper contexta per totum*, id est, a summo ad imum usque

que uno continuo ductu texta. Opus fuisse B. Virginis Euthym. tradit, & apud plerosque receptum est. Cujusmodi tunicis pauperes Galilæos indui solitos, utpote ex vulgari materia, docet Isidorus Pelusiota libro primo, Epistol. 74.

24. *Dixerunt ergo: Non scindamus eam, ne prorsus fiat inutilis; vestis enim texta scissione in fila dissolvitur: Sed sortiamur de illa, cuius sit, ut vel unus saltem commodum inde sentiat. Hoc autem eos reipsa fecisse declarat allato vaticinio: Ut Scriptura impleretur, id est, ita ut impleretur. Non enim significatur causa, quam spectaverint milites, sed eventus: nam ipsi ex avaritia, Deo tamen occulte dirigente, scindi eam noluerunt. Partiti sunt vestimenta mea, cætera, & super vestem meam, id est, super unam vestium mearum, tunicam scilicet, miserunt sortem. Ex quo non sequitur, sortem non esse missam super cætera vestimenta (nam ex Marco constat, hoc esse factum) sed super istam ita sortem esse missam, ut divisa non fuerit. Prædicta sunt ista minuta, ne quis scandalum ex tanta Christi nuditate & ignominia pateretur. Agebantur autem occultiori instinctu Dei ad mysteria præsignanda. Nam Tunica significabat, auctore August. in Psalm. 21. & Epistol. 171. charitatem, quæ vere deluper est contexta per to-*

tum, quia ex charitate Dei charitas proximi gignitur, nec ipsa dividi potest, ut charitas Dei sit sine charitate proximi; nec schismata aut divisiones in Ecclesia facit, aut fieri finit. Unde Cypr. per illam eandem tunicam intelligit significari Ecclesiam, quæ velut vestis adhærens Christo, sic una est, ut dividi nequeat; sed qui eam deferit, non tam eam scindit in partes, quam ab ea se ipsum abrumpit, eam integram relinquens. Nec magno mysterio caret, quod dicitur, *Sortiamur de illa*, [cujus sit; charitas enim, & esse de Ecclesia, sorte obtinunt: quia sicut fortis eventus non est in nostra potestate; sed eum casus adfert; sic gratia Domini charitatem adferens, non quasi ex mercedis merito, sed ex Dei voluntate defertur, ut Amb. Exhortatione ad Virgines.

25. *Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus.* Ex quibus verbis colligitur primo amoris ardor, quo incitata per medias insolentium hominum turbas usque ad ipsam crucem secuta sit filium, neque sexum morata nec opprobria insultantium tamquam matri crucifixi, neque periculum: quæ parata erat, inquit Ambros. lib. 10. in Lucam, & sua morte publico muneri redemptionis mundi aliquid, si Deo placuisset, addere. Secundo, animi constantia, ut quæ non deliquo ceciderit, quemadmodum pictores

res nonnulli fingunt, sed viriliter steterit. Stabat enim, inquit idem Ambros. fugientibus viris, intrepida. Stabat non degener mater spectaculo, piis spectans oculis vulnera filii, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Tertio, doloris magnitudo ex compassione tormentorum filii nata, propter quam plerique Patres, Cyrill. & alii, hic impletum volunt Simeonis vaticinium, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, id est, doloris magnitudo. *Et soror matris ejus*, ita propter affinitatem dicta, quia soror Joseph, mariti B. Virginis; quæ soror vocabatur *Maria Cleophae*. Ubi subaudiri potest vel *filia* vel *mater*, vel, quod verisimilius est, *uxor*. Hæc vocatur a Matth. & Marco *Maria Jacobi & Joseph*, scilicet mater. *Et Maria Magdalene*; quæ quidem mulieres dicuntur apud Matthæum a longe stetisse, hic autem juxta crucem: sed utrumque successive fieri potuit, ut primo prope steterint, deinde recesserint.

26. Cum vidisset ergo Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, propter virginitatem & sapientiæ profundum, ut Hieron. contra Jovinianum, & in capit. ult. Zachariæ. Adde, ut alii, propter morum suavitatem, verecundiam, ætatis teneritudinem. Nam dilectio ista major videtur significare majora familiaritatis & benevolentiae indicia, quæ

exhiberi illis subinde solent, qui majori dilectionis æstimatione diliguntur. *Dicit matri suæ*, hoc ipso se genuinum ejus declarans, quod ipsius curam non filium deferat, ut Paulinus Nolanus notat Epistol. 37. *Mulier*, non matrem vocat, tum ne altius viscera dilectionis & doloris concuteret, tum quia alium ei jam filium adoptabat, *Ecce filius tuus*, erit iste tibi deinceps meo loco, qui scilicet tuis obsequiis obstrictus erit eo jure, quo filius maternus. Videtur autem nutu oculorum vel capitis Joannem designasse, sicut statim simili nutu matrem, quando

27. *Deinde dicit discipulo*: *Ecce mater tua*, cujus scilicet deinceps curam geres tamquam matris tuæ, eadem videlicet dilectione, sollicitudine, ac reverentia. Joanni ergo præ cæteris matrem commendat, tamquam puram puro, virginem virgini, sapientissimam sapienti. Cum quo enim virgo habitare debebat, nisi cum eo, quem filii heredem, integritatis sciret esse custodem? inquit Ambros. lib. De instituit. Virginum. Qui notat Epistol. 82. Christum hic condidisse domesticum testamentum, exemplo suo nos instruendo, ut a filiis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*,
Græ-

Græce (*is ta idia*,) in propria (est quarti casus pluralis numeri) hoc est, in domum suam, in qua habitabat, & consequenter in curam suam, tamquam matris suæ. Unde aliqui exponunt. *in sua*, id est, in rerum suarum numerum, tamquam adoptans eam sibi in matrem suam. Unde non miror, inquit Ambrosius, eodem loco, Joannem præ cæteris locutum divina mysteria, cui præsto erat aula cœlestium Sacramentorum.

28. *Postea* Jesus sciens, quia omnia consummata sunt: omnia, quia maxima pars. Unde Augustinus. Omnia, quæ fieri oportebat, antequam Dominus acciperet acetum, ac traderet spiritum, ut consummaretur Scriptura, illa scilicet, qua Psaltes in persona Christi verbis præteriti temporis prædixerat futurum, *Et in siti mea potaverunt me aceto...* Dixit, cui verbo jungendum est illud adverbium, *postea*, quod præcessit. *Sitio*, vera scilicet ac naturali siti, quæ sanguinem exhaustum, doloresque & cruciatus sequi solet, ut Cyrillus. quia humor consumitur. Indicatam eam voluit, non ut solamen potus obtineret, quod sibi negatum iri præsciebat, sed partim ut humanæ naturæ, suppliciique veritatem patefaceret, cujus naturales effectus patiebatur, partim, ut etiam istud, quod Pater ex prævisa Judæorum malitia ei patiendum decre-

verat, pateretur, cuius occasionem eis iusta de causa offerre voluit.

29. *Vas ergo erat positum aceto plenum.* Pro *Vas* Hilarius legit *Concham*, quod certum est genus vasis. Loquitur autem Evangelista tamquam de re usitata: poni enim solebat *Acetum*, non ad potandum, sed partim ad addendas vires, si quis in illis tormentis animo deficeret (quem usum etiamnum habet:) partim ad sistendum sanguinem, ex vulneribus defluentem, qua vi pollere acetum tradit Dioscorides, & alii passim. Eundem usum habet *Spongia*, quæ aderat, non solum ut vehiculum esset aceti, sed in primis, quia & ipsæ sanguinem sistunt, de quo Plinius lib. 31. cap. 11. Recentes spongiæ discutiunt, molliunt, mitigant; veteres conglutinant vulnera. Item, sanguinis profluvium sistunt, ex aceto, aut frigida. Illi autem Romani milites abutentes illis instrumentis ad illudendum morienti, *Spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes.* Locus est perdifficilis, cui enodando sex aut septem expositiones adhibentur. De spongia plena aceto, juxta prædicta non est difficultas; sed quomodo hyssopo circumposuerunt? Guilielmus Effius suspicatus est pro (*hyssopa*) Græce legendum esse *hyssō*, pro quo Latini ex Græco *Gossūm* dicunt, & significat pilum seu jaculum, & sic idem esse *hyssō circumponentes*, quod Marcus

eus dixit, *circumponentes calamo*, & Matthæus, *imposuit arundini*: sed nulla exemplaria, nulli veteres suffragantur. Alii igitur putant *Hyssopum*, licet sit herba perquam humilis, fuisse in Palæstina tam magni caulis, ut instar arundinis servire potuisset ad admovendum spongiam ei circumpositam ori sitibundo. Conjectura ista videtur nimis audax, & sine fundamento ullius, qui de herbis istud præscripserit. Quare alii censent hyssopum simul cum spongia fuisse calamo circumpositam, & simul admotam ori, prout satis aperte sentiunt Chrysost. Theophyl. & ante illos Hilar. sive ipsa herba per hyssopum intelligatur, quæ una cum spongia calamo circumligata fuerit, ut Aug. sive succus ex illa herba aceto mixtus, ut putavit Nonnus: quæ tamen postrema sententia verbis Scripturæ difficulter aptari potest. In tanta loci obscuritate non improbabile esse puto illud, *Hyssopo*, Græce (*hyssopo*) positum esse pro (*oisypo*) quod significat lanam succidam, hoc est, sudore & fordibus ovium plenam. Quæ succida eundem plane usum habet, quem spongiæ, ut Plinius loco citato, in vulnerum curatione, & succidæ lanæ vicem implent. Et l. 29. c. 2. Succidæ plurima præstant remedia ex oleo vinoque aut aceto, prout quæque mulceri morderique opus sit. Porro *Hyssopum* pro *Oisypo* poni, vitio scriptorum, frequentissimum

simum est apud omnes pene Medicos, Latinos & Græcos, Celsum lib. 5. cap. 19. apud Galenum sapius, apud Trallianum cap. de Podagra, Paulum Æginetam, & alios.

30. *Cum ergo accepisset Jesus acetum, non sua causa, ut qui inde non esset reco-
cillandus, sed propter nos, ut pro no-
bis ista tormenti acerbitate satisfaceret.
Unde Ambros. in Psalm. 118. Meam a-
maritudinem bibit Christus, ut mihi gra-
tiæ suæ refunderet suavitatem. Dixit :
Consummatum est, Græce (τετελεσται,) per-
fectum est, quidquid scilicet in Scripturis
prædictum est, ita ut nihil remanserit,
quod antequam moreretur, fieri adhuc
oporteret, inquit Augustinus. Nam mors,
de qua non loquitur, adhuc supererat :
qu. d. Quidquid mihi in hac mortalita-
te consilium Dei decrevit aut faciendum
aut tolerandum, completum est, non
est, quod diutius vivam, superest nunc
ut moriar. Itaque tamquam ad hoc ex-
pectaret, ait August. lib. 3. De consen-
su capite 18. ut perfectum in illo esset,
quod de illo prophetatum erat, qui uti-
que, cum vellet, moreretur, *inclinato
capite, in pectus, qua parte liber erat,
Græce active (κλινάσθιν κεφαλῇ,) inclinans
caput, scilicet ipsemet vi activa, ante-
quam moreretur, quod in cæteris mo-
rientibus & pendentibus post mortem
contingit pondere naturali, tradidit Spi-
ritum**

ritum, in manus Patris, cui spiritum suum commendaverat; nam ad illa verba Christi alludi videtur. Utraque clausula, & inclinationis & traditionis, significatur potestas mortis, non necessitas; eumque esse vitæ ac mortis dominum, qui sua voluntate moreretur, simul atque impletis omnibus non amplius necesse erat vivere, prout hæc animadvertunt Chrysostom. ac Theoph. in primisque August. Quis, inquit, ita dormit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit? Ad quod significandum jam olim prophetaverat Jacob Patriarcha de Jesu in persona Judæ: *Catulus leonis Juda ad prædam fili mi ascendisti, crucem: requiescens, a laboribus & doloribus mortalitatis, accubuisti ut leo, quia ut fortis tua voluntate, non infirmus necessitate mortuus es. Quod maxime demonstratum fuit illo clamore magno, de quo alii Evangelistæ; nam ille contigit post verba, consummatum est, & immediate ante inclinationem capitis.*

31. *Judæi ergo (quoniam parasceve erat, id est, dies proxime præcedens sabbatum tamquam præparatorius) ut non remanerent in cruce corpora sabbato seguente, si videlicet diu vitam protraherent, ut plerumque fiebat. Non enim, ut August. crucifigi, hoc erat occidi, sed diu vivebatur in cruce: non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protende-*

batur, ne dolor citius finiretur erat (*enim magnus, id est, percelebris, dies illè Sabbati*) propter concursum secundæ feriæ Paschalis & Sabbati; nam Pascha durabat septem dies. Ne ergo tantus dies deformitate cadaverum pendentium, vel inquietudine sepelientium dehonestaretur, præsertim quia Deuteron. 21. vers. 22. generaliter præceptum erat, ne permaneret cadaver in ligno, sed eadem die sepeliretur, *Rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura*, quo citius morerentur, tum doloris magnitudine, tum sanguinis exundantia, ut Cyril. tum denique, quia ut tradit Plinius lib. 11. capit. 45. in utriusque genu commissura, dextera lævaque a priori parte gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa seu jugulo, fugit spiritus. Crurifragium istud distinctum a cruce supplicium erat, non pars vel appendix ejus: unde extra ordinem apud Judæos adhibebatur accelerandæ mortis causa, propter dictam rationem.

32. *Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura*, id est, ejus, qui primo crucifixus erat, quem Euthymius & alii a dextris fuisse volunt: post quem venerunt ad secundo crucifixum, ac denique ad Jesum, qui ultimo affixus fuerat, ut scilicet eodem ordine extinguerentur, quo crucem adierant, & sic in mora patiendi essent pares.

33. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, prævento videlicet carnificis officio, inquit Tertul. in Apologet. Non fregerunt ejus crura, quia causa crurifragii deerat: quod significatum fuit per illam causalem orationem, ut viderunt, id est, quia viderunt eum mortuum.*

34. *Sed unus militum, subdubitans fortassis, num mortuus esset, inquit Cyril. & ita hoc ictu perficere volens, si non esset, lancea latus ejus aperuit, Græce, (enixe,) pupugit, id est pungendo perforavit & aperuit. Quod pictores notant dexterum; sed quo fundamento, certe nescio. Non ablimile vero est, fuisse sinistrum, militemque cor petiisse, ut ictu lethali moreretur, si quid vitæ superesset: Et continuo exiit sanguis & aqua, utrumque magno miraculo. Nam sanguis, ut Ambros. post mortem in nostris corporibus congelascit. Unde & Euthym. A mortuo homine, etiamsi millies quis eum pupugerit, non exhibit sanguis, multo vero minus aqua vera: nam procul dubio veram fuisse declarat Innocentius III. in decretalibus de Celebrat. Missarum. Quod enim hæretici quidam dicunt in pericardio aquam contineri, falsum esse docent Medici peritissimi, qui asserunt humorem esse colore flavum, sapore amarum, adeoque biliosum.*

35. *Et qui vidit*, id scilicet, quod proxime narratum est, *testimonium perhibuit*, seu perhibet, & *verum est testimonium ejus*, tamquam testis oculati, & sancti Spiritus impulsu istud litteris commendantis, qua periphrasi in tertia persona, modestiæ causa seipsum describit. *Et ille scit*, quia vera dicit, id est, bene sibi conscius est, se vera dicere, ideoque hoc testatur, ut & vos credatis, id quod narravit. Qua tanta inculcatione indicat, se rem revera valde insolitam, & miraculosam narasse, quæque magnum mysterium contineret. Quod explicans Hieron in cap. 48. Isaïæ, putat, *Aqua* & *Sanguine* Baptismum & Martyrium significari: Tertul. Carm. contra Marcionem lib. 2. cap. 4. *Aqua* Baptismum, *Sanguine* Ecclesiam: sed rectius Cyrill. Chrysost. & in primis August. notant *Aqua* exprimi Baptismum, *Sanguine* Eucharistiam. Per aquam, inquit Chrysost. regeneramur, sanguine & carne nutrimur. Et quia illud Sacramentum est maxime necessarium, hoc vero præcellentissimum, hinc sub duobus illis omnia reliqua intelliguntur. Ut recte August. dixerit, ex Christi latere Sacramenta Ecclesiæ promanasse: itemque Ecclesiam Christi conjugem, ex ejus mortui latere originem traxisse, sicut Evam ex latere Adæ dormientis.

36. *Facta sunt enim hæc*, non temere, non casu, non militum consilio, sed pro-

fundiore Dei directione, ut *Scriptura im-
pleretur*, quæ de agno Paschali figurali-
ter prædixit: *Os non comminuetis*, Græce
(*syntribesete, comminuetur,*) *ex eo*, agno,
quem manducabitis. Quo significabatur,
ita Christum a Judæis male tractandum,
ut tamen nullum osium ejus confringe-
retur, ut causa mystico sensu subtrahe-
retur iis, qui Ecclesiam cupiunt in partes di-
scindere, ut ait Athanas. Tract. de cor-
porali adventu Verbi.

37. *Et iterum alia Scriptura dicit*, quæ
etiam ex parte aliqua per istam lateris
apertionem implenda erat: *Viderunt, in
quem transfixerunt*. Ubi prædicitur & trans-
figendus, & videndus: primum hic, al-
terum in die judicii implendum erit,
prout satis indicatur Apocalypsis i. v.
7. Unde & August. hinc docet promitti,
Christum in ea, qua crucifixus est, car-
ne venturum. Quamquam satis apte
quoque intelligi possit prædictum, quod
Judæi videbunt oculis fidei Christum
transfixum in die Pentecostes, & po-
stea quando super eos effusus est spiri-
tus precum & pœnitentiæ, quo planxe-
runt eum planctu, quasi super unigeni-
tum, prout habetur Zachariæ 12. unde
locus iste sumptus est.

38. *Post hæc rogavit Pilatum Joseph, &c.*
discipulus occultus, hæctenus videlicet,
quem tamen Lucas testatur fuisse virum
bonum, & justum: ut intelligamus, eum
sic

fic occultasse discipulatum, ut non pec-
caverit. Hic ergo tot mirabilibus in mor-
te factis, & ipsa passionis jam peractæ
virtute roboratus, e latebris prorupit,
nec detrectavit odiis exponere animam
suam, in obsequium Domini. Reliqua de
ipso vide apud Matthæum.

39. *Venit autem & Nicodemus*, corpo-
re jam deposito, prout indicatur v. præ-
cedenti, quo dicitur Joseph tulisse cor-
pus Jesu. *Qui venerat ad Jesum nocte pri-
mum*: quo insinuatur, & postea sapius
venisse, ut discipulus fieret, quod no-
tat August. Hic ergo sumpta simili au-
dacia venit, *ferens mixturam myrrhæ & a-
loes*, id est, myrrham & aloen mixta,
ea scilicet aromata, quæ maxime cor-
pora servare solent, inquit Chrysost.
Nam *myrrhæ* lacryma, quæ *Stacte* voca-
ri solet, & *aloæ* summa sua amaritudine
maxime resistunt putredini. Videtur hoc
tamen juxta Judæorum consuetudinem
magis pompæ causa factitatum, quam ut
diu corpus servaretur. Nam ad hoc ex-
enteratio, aliaque magna cura necessaria
est: *quasi libras centum*, ut quasi unguen-
tis corpus involutum fuisse videatur. Qua
copia demonstravit ipse sui affectus ma-
gnitudinem, sed Christus servavit sine
aromatum subsidio corpus incorruptum,
gloriosæ resurrectionis acceleratione. Se-
pelierunt autem Christum in horto pro-
pinquo, propter *Parasceven* Judæorum, jam-
jam

jam scilicet desinentem in Sabbatum ,
quo operari non licebat corpus remo-
tius transferendo. Cætera alibi dicta sunt.

CAPUT XX.

1. **U**na autem Sabbati, id est, prima die septimanæ, quæ est Dominica, *Maria Magdalene*, una cum cæteris mulieribus. Illa tamen hic sola exprimitur, quia ut Cyril. ipsa ferventior, cæterisque dux fuit, & princeps ad opus pietatis. Nam alias simul adfuisse insinuat ipsa v. 2. dum dicit, *Nescimus, &c. Venit mane, cum adhuc tenebræ essent*, non illæ densiores, sed quales in crepusculo matutino, cælo jam albescente, quod Marcus dixit, *valde mane*, Lucas *valde diluculo*. Et vidit lapidem sublatum a monumento. Modus expositus est apud Matthæum.

2. *Cucurrit ergo*, quia scilicet vidit lapidem sublatum, monumentum vacuum, & Angelos dicentes eum vivere, sicut narrant illi, qui in Emaus proficiscebantur. Ex quo liquet, Magdalenam & mulieres narravisse quidem Apostolis resurrectionem; non tamen ex propria sententia, sed tamquam ex ore Angelorum. Et cum verba ista vana essent Apostolis sicut deliramentum, ut ait Lucas

cas ibid. c. 24. vers. 11. mulieres eis consentientes suam sententiam aperte protulerunt, dicendo: *Tulerunt Dominum de monumento*. Hoc autem Magdalena præcipue ad Simonem detulit, quia de illo dictum eis fuerat ab Angelis apud Matth. *Dicite discipulis eius & Petro*; ad Joannem vero, quia cum ipso juxta crucem steterat; putabat enim hæc illis duobus magis curæ futura ad corpus amissum requirendum. Cum ergo præ ardore rei cognoscendæ currerent simul.

4. *Ille alius discipulus præcucurrit citius*, Petro tamquam ætate junior, corpore agilior, ac robustior.

5. *Et cum se inclinasset*. Apud Lucam vertitur idem verbum *procumbens*; ostiolum enim erat perquam humile, ita ut sepulchrum ab homine erecto inspicere non posset. Quod facile intelligitur, considerata monumenti forma, quam descripsimus Matth. 28. .. *Vidit posita linteamina*, quibus corpus totum involutum fuerat, luce per ostiolum istud se nonnihil diffundente. Non tamen introivit, sive præ timore, ut Euthymius, sive præ reverentia.

6. *Venit ergo Petrus*, & audacior atque curiosior, ut rem tantam penitus exploraret, introivit monumentum, speluncam scilicet, *Et vidit linteamina posita*, Græce (*kimena*,) *jacenta*, tamquam exuvias, certissimaque testimonia corporis absentis.

7. *Et sudarium. &c. separatim involutum, seu complicatum, in unum locum, quasi ex professo aliquis omnia sic ordinasset; in argumentum videlicet, ut Chrysost. notat, quod non perturbate & festinanter a furibus ablatum esset, relictis sindonibus pretiosis, sed quod cum auctoritate, omnique securitate Dominus revera surrexisset, nullisque terrenis amplius exuviis indigeret.*

8. *Tunc ergo introivit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit, oculis scilicet suis. Sed quid vidit, quid credidit? Respondet Aug. cui Theophyl. consentit: Vidit inane monumentum, & credidit id, quod dixerat Magdalena, eum de monumento sublatum esse, argumentis veræ resurrectionis adversus eam detortis. Hoc autem eos credidisse, recte probat August. ex eo, quod sequitur,*

9. *Nondum enim sciebant Scripturam, quia, seu quod, oportebat eum a mortuis resurgere. Nam ista ignorantia non causat fidem resurrectionis, sed potius infidelitatem. Et ideo quando resurrectionem ab ipso Domino audiebant, quamvis apertissime loqueretur, ex ignorantia tamen Scripturarum, & consuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, & aliquid aliud significare eum credebant.*

10. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos, ad domicilium, ubi habitabant;*

& unde ad monumentum cucurrerant , ut August. inter se scilicet mirantes , quod factum fuerat , ut est apud Lucam. Cum ergo rediissent Apostoli domum , & cæteræ mulieres essent a sepulchro remotiores ,

11. *Maria stabat ad monumentum*: infirmioreni enim sexum fortior fugebat affectus. Stabat autem foris , extra monumentum , in modum quærentis , & identidem cogitantis , quo tandem ablatum esse posset corpus Domini sui , plorans , non quod interfectus esset ; sed quod corpus inveniri posse desperaret , ut cujus non solum vita jam subtracta esset , sed nec memoria remaneret , ut Aug. Itaque fatagens , inclinavit se , & prospexit in monumentum , iterum scrutans locum , in spem contra spem , nec Apostolis , nec oculis suis credendum putans , sicut evenire solet iis , qui anxie rem amatam perditamque quærent.

12. *Et vidit duos Angellos* , in præmium illius constantis desiderii , quos Apostoli non viderant , ut Chrysost. notat : in albis , vestibus , plenos scilicet splendoris ac lætitie , sedentes , unum ad caput , &c. in ipso nempe sepulchrali lapide , quasi mensa , in qua corpus Domini jacuerat , tamquam excubitores , ut sub tanta custodiæ dignitate non crederet Magdalena Dominum ab hominibus potuisse fur-

to tolli, ut Hieron. Epist. ad Hedibiam, quæst. 5.

13. *Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras?* quasi dicerent, Noli plorare, que gaudere potius debeas, ut Aug. & Cyrill. Sunt enim verba mixta objurgationi & consolationi: *Dicit eis*, quasi nescientes interrogassent: *Tulerunt Dominum meum*, id est, corpus Domini mei parte, pro toto posita, ut vulgo fieri solet: & quod majoris causa doloris est, nescio, ubi posuerunt eum, ubi mira apparet affectus vehementia, quod nihil territa talibus viris, tali loco, tali veste, intrepide eos alloquatur:

14. *Hæc cum dixisset*, huc atque illuc faciem convertens, nihil aliud nisi Dominum suum quærens, *conversa est retrorsum*, velut a tergo etiam circumspectaret: non quod vestigium quærendi extaret, vel strepitum Domini accedentis audirens, vel certe, ut Chrysost. eo quod Angeli vultu, motu, gestu, surrectu se Dominum videre significarent. *Et vidit Jesum stantem*, a tergo, sed non sciebat, quia *Jesus est*, non quod alia esset ejus quam vera forma & vultus, sed quod oculi Mariæ tenerentur, ne eum agnoscerent, quatenus vera forma Jesu imperfecte in oculos ejus ferebatur; eo fere modo, quo fieri solet, quando a longe, vel per tenebras moderatas hominem etiam notum spectamus. Idem judicium de vo-

ce. In qua apparitione accommodavit se Christus statui ejus, ita ut quidem appareret primum Mariæ Magdalena, ut est Marci 16. v. 9. quia vehementissime amabat; sub specie tamen incognita, quia eum vivere non credebat. Cum ergo Jesus suaviter ei se insinuare vellet, rogavit:

15. *Quem quæris?* q. d. Nonne me vides præsentem? *Ille existimans, quia hortulanus esset.* Non quod sarculum, aut lignum haberet, ut vulgo pingitur, sed ex vulgari vestitu, & ex loco, in quo erat, arbitrata est hortulanum esse, qui, ut Tertullian. curam ibi gereret, ne lactuæ suæ frequentia commeantium læderentur. *Dicit ei: Domine,* pro more gentis honorans hominem, inquit Aug. a quo beneficium postulabat, *si tu sustulisti eum,* de quo jam dixi, *Tulerunt Dominum meum:* vel enim putabat, eum audivisse sermonem præcedentem, ut qui a tergo stetisset; vel amoris vehementia existimabat omnem hominem hoc cogitare, quod ipsa cogitabat: *Dicito mihi,* *ubi posuisti eum,* ut cui forte non placuit mortuum in horto tuo sepultum fuisse. *Dicito itaque mihi,* & ego eum tollam, sine tuo sumptu, labore, vel horti noxa, alio loco eum conditura.

16. *Dicit ei Jesus,* voce consueta, ut familiaris familiarem compellans proprio nomine: *Maria,* q. d. Non agnoscis

gnosceis me, a quo agnosceris? Itaque solita voce aures, & gratia cor feriente, quasi de somno excitata, & ad ipsum *conversa*, a quo iterum corpore aversa fuisse videtur alio, postquam non statim optatum responsum retulisset; respondit ei solita quoque nuncupatione: *Rabboni*, id est, magister mi. Est vox erumpens ex vehementia irruentis subito lætitiæ: quasi diceret: Itane præsens addes, ad quem tantopere anhelos? Nam talem vim subito rapiendi animam habent verba Christi, quæ intus etiam in cordibus loquitur.

17. *Dicit ei Jesus*, cum ampecti vellet vestigia, seu pedes ejus, quem agnoscebat, ut ex his verbis recte colligit D. Gregor. Homil. 25. *Noli me tangere, nondum enim ascendi*, &c. Ratio illa difficilis est prohibiti contactus, præsertim cum paulo post mulieres eum tenuerint, & Apostolis palpandum latus ipse obtulerit. Augustinus significari putat, vetari contactum ejus, eo quod nondum in corde Magdalene ascendisset, ut eum Patri æqualem esse crederet; sed hoc mysticum videtur. Recentiores aliqui sensum rationis illius esse volunt: Nondum enim discedo a vobis, sed per totos dies quadraginta, antequam ascendam, amplexibus meis satiari poteris. Ratio facilis, sed vetustis ignota, & plausibilior, vereor, quam verior. Rec-

tius, ut arbitror Chrysoft. cum suis discipulis, qui hunc sensum exsculpunt: Noli me tangere solita illa tua corporalis amplexus familiaritate: jam enim excellentioris sum conditionis, quam olim: nondum enim ascendi quidem ad Patrem meum in cœlos, sed jamjam immortalis & gloriosus ascensurus sum, quod te fratribus meis renuntiare volo. Pendet enim ratio a sequentibus. Tacite itaque & sine jactantiæ specie docet, quod non amplius tactu corporis, vel mortali terrenoque more excipiendus & colendus sit, sed more spiritali, ac cœlesti, animo videlicet in cœlestem ejus dignitatem translato. Quamvis vero non ab simile sit, quod quidam addunt, & quod rem magis explicat, Mariam fidentius in ipsos non pedum, sed corporis amplexus irruisse, agentem tamquam mortalem cum mortali, qualis frater ejus Lazarus resurrexerat. Hoc itaque compescuisse Dominum, eo modo, quo diximus, ideoque doctiorem paulo post cum cæteris mulieribus pedes ejus tenuisse. *Vade autem ad fratres meos, discipulos; quos non confunditur Fratres vocare, ut ita solaretur pusillanimitatem eorum, qui eum deseruerant: Et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, id est, renuntia eis, me non solum resurrexisse, sed simul me brevi ascensurum in gloriam Patris mei. Nempe ut sic mens*

Apostolorum non minus, quam Magdalene paulo ante, ad immortalem cælisque dignam resurrectionem, atque excellentiam cogitandam transferretur *ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Non dicit, *ad Patrem nostrum*, eo quod alia ratione esset Pater Christi, alia ipsorum: Christi quidem natura, ipsorum adoptione, ut August. & plerique veterum notant, ideoque ex præsentia Filii naturalis apud Patrem, vivacissimam spem conciperent. *Deum meum*, ipsius divinitatis ejus conjunctione, & *Deum vestrum*, solius gratiæ impetratione. Nam cum Deus aliquorum esse dicitur, respectus habetur ad singularem ejus erga ipsos providentiam.

18. *Venit Maria Magdalene*, secundo scilicet. Nam primo itinere nuntiaverat corpus Domini sublatum, nunc vero eum sibi visum, locutumque: quæ duo itinera cæteri Evangelistæ in unum contrahunt.

19. *Cum ergo sero esset*, Græce (*uses ophias*,) *vespera*, ne putes media, vel profunda nocte ista contigisse; nam contigerunt statim ab adventu redeuntium ex Emaus. Eadem est enim hæc apparitio cum ea, quæ narratur Lucæ 24. vers. 36. & seqq. itemque Marci 16. v. 14. unde constat recumbentibus Apostolis hæc accidisse. Vide multa dictis locis. *Die illo*, quo Magdalena præceden-

tia nuntiaverat, videlicet una Sabbatorum, id est, illa eadem die prima hebdomadæ, seu ipsa die resurrectionis, & fores essent clausæ, &c. ordo verborum est: *Et fores, ubi erant discipuli congregati, essent clausæ, propter metum Judæorum, omni videlicet aditu accuratissime ad securitatem obstructo.* Nam hoc notatur ad designandum miraculum, quo Jesus intrauit, non conniventibus, sed clausis ex metu magno ostiis. Indicatur enim Christus ea non patefecisse (Græce est enim *thyron cheklisemenon*) januis clausis, sicut & infra v. 26.) sed penetrasse; quemadmodum agnoscunt hic contra Novatores nostros Hilar. lib. 3 de Trinit. Epiphan. Hæresi 64. Cyrill. Ambros. lib. 10. in Luc. & in primis August. Moli, inquit, corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. Quia, ut ait Epistol. 148. valet Deus de ista visibili, atque tractabili natura corporum, quibusdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates. Exemplo itaque tacite docuit Apostolos, simili modo clauso sepulchro se surrexisse. Cætera vide locis citatis: versum vero sequentem Lucæ 24. v. 40. & 41.

21. *Dixit eis iterum: Pax vobis, quæ salutatio explicata est Math. 10. v. 12. Repetit eam secundo, ut turbatos ad pri-*

primum aspectum animos confirmaret. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos*, id est, quemadmodum Pater meus divina sua auctoritate me hominem, amplissima facultate instructum, misit in mundum, ad salutem hominum procurandam; ita & ego eadem auctoritate mitto vos ad eundem finem. Significatur ergo similitudo in missione, & in potestate missorum, non æqualitas: ita ut hisce verbis eos ordinet, quemadmodum Cyrill. ait orbis doctores & divinorum mysteriorum ministros, hoc est, non solum eos mittit ad evangelizandam pacem, quod jam ante fecerat, sed etiam ad eam ministerio suo applicandam, seu ad peccata remittenda. Nam Pater misit Christum non solum evangelizare pauperibus, sed etiam dimittere confractos in remissionem, ut est, Lucæ 4. v. 18. & 19. Confracti autem sunt homines ex ruina peccati. Datur igitur hic Apostolis potestas jurisdictionis in orbem universum, tamquam prærequisita remissioni peccatorum, sequentibus vero dat ipsam potestatem remittendi peccata.

22. *Hoc cum dixisset, insufflavit*, id est, sufflavit in eos. Externum enim symbolum adhibuit ad significandum id, quod reipsa operabatur, quando mox adjecit: *Accipite*, mediante flatu isto, *Spiritum sanctum*. Cum autem Spiritus sanctus sit

d d 5 quasi

quasi flatus quidam Patris ac Filii, significatum hic voluit insufflando, Spiritum sanctum non solum Patris esse spiritum sed & suum, ut his verbis ait Augustin. & notavit etiam Cyrill. ac Hilar. lib. 4. de Trinitate. Atque ita eundem Spiritum a se quoque dari: quorum utrumque Isaias indicaverat, cap. 57. vers. 16. Ut vero ostenderet, Spiritum hic eis dari non illimitate secundum quælibet ejus dona, sed ad certos tantum effectus, addit;

23. *Quorum remiseritis peccata.* Non dicit, quorum remissa declaraveritis, vel per fidem remittenda annuntiaveritis, prout Hæretici volunt, sed quorum remiseritis. Nam remissio non est nudum ministerium annuntiandi Evangelii, vel declarandi, sed instar actus judicialis, quo a ministro tamquam a judice sententia pronuntiatur, ut ait Trident. Sess. 14. cap. 6. . . *Remittuntur eis*, scilicet iudicio Dei in cœlis: quod aliter dicitur apud Matth. *Erunt soluta & in cælo*. Itaque his verbis insinuat, ad illam remissionem etiam Deum concurrere, cui est proprium suprema potestate remittere, Apostolorum vero vicariatim, seu vicaria potestate tantum. Unde recte Amb. lib. 1. de pœnitent. cap. 2. Ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo, inquit, nulli majorem in-

injuriā faciunt, quam qui volunt ejus mandata rescindere, &c. Nam cum ipse dixerit, *Quorum remiseritis*, &c. quis est, qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit, &c. *Et quorum retinueritis*, id est, quibus remissionem negaveritis, seu quibus non remittenda censueritis. Plus enim significatur, quam nuda negatio: quod apud Matth. verbo, *ligandi*, exprimitur. *Quorum ergo retinueritis*, vel ad tempus, propter poenitentiae immaturitatem, ut paulatim perficiatur, sive omnino propter impoenitentiam; *retenta sunt*, judicio Dei in coelis. Utroque membro significat, non inanem esse potestatem, sed effectum habere conjunctum. Cum ergo & remissio & retentio Apostolorum censurae & judicio committantur, palam est, eos judices constitui, atque ita recte praecipere omnibus fidelibus, remissionem consequi satagentibus, ut peccata Sacerdotibus confiteantur: quatenus audita peccatorum varietate & qualitate sciant, cui remittenda, cui retinenda, quis aut quomodo ligandus, aut solvendus. Hoc autem est judicium discretionis, quo discernitur, quis ad beneficium absolutionis admittendus, quis repellendus. Sed hoc sternit viam ad aliud judicium justitiae, quo peccata quadem expiatoria castigatione & vindicta plectuntur: quod quia praecipuum est in hoc tribunali, hinc

hinc fit, ut poenitentes peccata sua non per modum narrationis ad sacerdotis informationem tantum exponere debeant, sed magis ad sui accusationem, denique ad poenae taxationem.

24. *Thomas autem unus ex duodecim, electis olim ad Apostolatam, qui dicitur Didimus, nomine græco idem significante, quod Hebraicum Thomas, scilicet gemellum, Non erat cum eis, quando venit Jesus, aliqua occasione inde digressus, antequam appareret Christus, ut vult Aug. 3. de consensu, c. 23. Spiritum sanctum tamen videtur cum cæteris ad remittenda peccata accepisse, sicut olim Eldad & Meldad eum absentes acceperunt, quia erant inter designatos a Moyle. Num. 11. v. 26. & seqq. Cum ergo Thomas non crederet, Dominum resurrexisse, dixit aliis :*

25. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, Græce (ton typon ton elon,) typum clavorum, id est, formam, seu figuram, quam clavi manum perforando fecerunt : Et mittam digitum meum (digitus enim foramini, quod clavus fecerit, fere æqualis) in locum clavorum, id est, ubi fuerant clavi, Græce est eadem vox, quam fixuram verterat. Et mittam manum meam in latus ejus; manus enim expansa refert figuram cuspidis latioris hastæ : nam hinc colligitur, tantæ latitudinis fuisse vulnus, quod in latere*

tere accepit, & Apostolus ostendit. Thomas quippe ex eis intellexisse videtur, quod eis ostendisset manus & latus, ut est vers. 20. scilicet vulnerum cicatricibus, seu foraminibus insignia. Non enim erant proprie dictæ cicatrices, quæ cum reliqua carne coaluerant, sed veræ aperturæ vulnerum, sine tamen læsione, dolore, deformitate, ideoque præcipuam vulnerum rationem amiserant. Voluit autem istas vulnerum cicatrices certæ dispensationis gratia in redivivo corpore servare, ut eis, quemadmodum Aug. ait Epist. 43. quos ædificabat in fide non ficta, non aliud pro alio, sed hoc, quod crucifixum viderant, resurrexisse monstraret. Eaque de causa Thomas rem accuratius explorandam censuit, utrum essent vera foramina, quæ in solido veroque corpore fieri solent, ne qua forte subesset illusio oculorum. Voluit & cælo eadem Christus inferre, ut summus sacerdos noster Deo Patri suo prætia nostræ libertatis ostenderet, ut notat Ambr. lib. 10. in Luc. *Non credam, Græce reperitur negatio (uo me) q. d. Nequaquam credam tam leviter, ut vos, nisi visu tactuque rem exploravero. Et adhuc tunc non promittit se crediturum, sed non ante: quod præfracti sane & cervicofi animi videtur, fidei argumenta pro suo arbitrato exigentis, non obstantibus tot oculatis testibus.*

26. *Et post dies octo, id est, octavo post die; iterum ergo prima sabbati, seu die Dominica, quam Apostoli jam tum videntur honori Dominicæ resurrectionis & congregationibus suis deputasse: & hanc ob causam jure octavo die congregationes in Ecclesiis fieri notat Cyrillus. Iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis, quia quamvis, non crederet, non tamen se a credentibus tamquam illis separabat. Venit Jesus januis clausis, quod frustra diceretur, si vel alius aliunde introitus patuisset, vel januæ venienti Domino fuissent reſeratz. Itaque conditioni ferociter sibi positæ Dominus humaniter & clementer se accommodans, post omnium salutationem*

27. *Dicit Thomæ: Inſer digitum tuum huc & aſſer manum tuam, &c. Quibus verbis ſuadetur id, quod de forma & latitudine vulnerum iſtorum in manibus & latere diximus, & apertiffime convin- cit non cicatrices, ſed vera foramina Dominum a reſurrectione ſervaffe, non carne repleta, ut feruntur ſtigmata S. Franciſci fuiſſe, ſed aperta. Quia vero Thomæ incredulitas non ex defectu argumentorum, quæ credibilitatem faciunt, ſed voluntatis naſcebatur, hinc eum paterne hortatur, *Noli eſſe incredulus, pertinaciter rei tam conteſtatz reluctando, ſed fidelis, Græce eſt pulchra alluſio,**

(*me ginu apistos, alla pistos,*) qualis Latine, si diceretur, Noli esse infidelis, sed fidelis.

28. *Respondit Thomas*, fractus rei evidentia, & pudesactus Domini humanitate; videtur enim Domino eum urgente non solum vidisse manus & latus, sed etiam tetigisse & pertractasse, prout sentit Aug. & Cyrillus. *Dominus meus, & Deus meus*, supple, *tu es*. Est enim trunca oratio præ affectus vehementia, qua agnoscit & veneratur eum, tamquam qui sit vere Dominus suus. Græce (*ho kyrios mu,*) ille Dominus, idem videlicet ipse, quem in corpore mortali versantem secutus fuerat, & patientem viderat. *Et Deus meus*, id est, qui me creavit. Itaque simul humanitatem ejus veram, ac divinitatem profitetur in unam coeuntes personam: utrumque pleno reverentiæ & pietatis affectu, ut Ambros. quod insinuat vocula *meus*: nam, ut Aug. in Psalm, 49. Deus suus ei dicitur proprie, quem familiarius habet Deus, tamquam in mancipio suo, tamquam in speculo suo.

29. *Dicit ei Jesus: Quia vidisti me. Thoma, credidisti*, id est, quia sensibus visus, auditus, ac tactus curiosissime me explorasti; visus enim quodammodo sensus generalis est, ut Aug. *Credidisti*, scilicet, me resurrexisse a mortuis, de quo potissimum agebatur, & consequenter me esse Dominum tuum, & Deum tuum, seu

seu verum hominem, ac Deum: quæ duo hic Thomas credidit. Sed quomodo credidit primum eorum, si viderit, cum fides sit argumentum non apparentium? Respondetur, etiam indubitata visa credi posse, si concurrat divina auctoritas. Deinde non vidit resurrectionem fieri, sed factam esse certis indicibus collegit. Denique etiam visa resurrectione, & contrectato Christi resuscitati corpore, existimare poterat, se phantasma, vel visum videre. Nam Petrus Angelum coram se cernens, & ab eo contrectatus, nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: & Domino super mare ambulante, dicebant discipuli, quia phantasma est. Rerum enim similitudines subinde tam similes sunt ipsis rebus, ut difficulter possint a rebus ipsis discerni, maxime si animus adsit pervicax: quam pervicaciam credulitas compescit ac domat divina auctoritate nitens. Veram ergo fidem Thomæ probavit quidem Christus, sed modum improbavit, quo eam concepit. Quamvis enim & Apostoli ceteri visum habuissent concipiendæ fidei ducem, non tamen conjunctam illam palpationem curiosissimam redivivæ carnis, quam Thomas, non Apostoli, tamquam conditionem necessariam postulaverat. *Beati, qui non viderunt, non nude, sed cum adjuncto, & crediderunt*, id est, qui tametsi nullo sensu

lensu me exploraverint, tamen crediderunt resurrectionem, ac divinitatem meam. Quibus verbis commendat non Apostolos ceteros, quod quidam putant; nam & illorum incredulitas & cordis duritia increpata fuit. Marci 16. vers. 14. quod iis, qui viderant eum resurrexisse, non credidissent: sed eorum, qui ad prædicationem Apostolorum credituri erant, ut Gregor. Homil. 26. Nempe quia Deus illum sibi honorem habere cupit, ut simplici suæ assertioni (hoc est, veritati revelanti) acquiescamus: in quo natura & meritum fidei situm est. Hoc longe perfectius facit, eximieque, ut Cyrill. ait, eum, in quem credit, honorat, qui prævium sensuum suorum usum, vel demonstrationes naturales, vel signa sensibilia non exigit. Tales itaque beati dicuntur, quia beatiores aliis: fides enim illorum magis spontanea, magis non apparentium, & magis fides.

30. *Multa quidem & alia signa, præter ea, quæ toto hoc volumine conscripta sunt, fecit Jesus in conspectu discipulorum, tum ante, tum post passionem, quæ non sunt scripta in libro hoc: qu. d. Ne quis putet, se hic accuratam omnium eorum historiam habere, quæ Jesus gessit; sciatur ille, multa a me esse prætermissa.*

31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis: sed ista pauca scripto tradidi, tamquam quæ sufficiant, ut credatis, quod iste ho-*

mo, qui vocatur *Iesus, est Christus Filius Dei*, id est, sit verus ille Messias, qui expectatur, Redemptor mundi, ac verus Filius Dei. In quo articulo basis ac summa fidei Christianæ continetur; quique validissime signis, non solum a resurrectione patris, sed toto libro narratis, adstruitur, & ut credentes, fide scilicet illa charitatem generante sanctificati vitam habeatis, id est, vitam æternam assequamini, reportantes videlicet finem fidei vestræ, salutem animarum, in nomine ejus, id est, per eum & propter eum, sive sanguine, merito, & gratia ejus juxta quod ipse dixit supra cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Hoc ergo epilogo quasi claudens Evangelium suum, significat, se publicæ utilitatis, non ambitionis causa scripsisse, utpote qui plura præclara prætermiserit, ut Chrysost. observat.

C A P U T XXI.

Cum ergo Joannes ita conclusisset Evangelium suum, quantum ad primum scopum suum, asserendi videlicet Jesum esse Christum Filium Dei: hic quasi alio assumpto exordio, adjungit aliqua

aliqua, quæ spectant visibilem ejus interris vicarium. Nam ut Jeshu est fidei & Ecclesie fundamentum principale cui nituntur, ita vicarius ejus ministeriale & secundarium. Maxime autem fidelium intererat de utroque recte instructos esse. Itaque

1. *Postea*, id est, post manifestationes duas superiori cap. descripta; nam ideo versu 14. huc respiciens, addit: *hoc jam tertio manifestatus est: Manifestavit se iterum*, id est, manifeste se redivivum præbuit videndum, *ad mare Tiberiadis*, quia jam Apostoli in Galilæam concesserant, prout moniti fuerant ab Angelo.

3. *Dicit eis Petrus: Vado piscari*, non lucri, sed vel otii vitandi causa, vel potius victus comparandi. Nec eis vitio vertendum, quod ad piscatum redeant, quia ut Tertullian. lib. de idololatria, repetunt illud, quod sine peccato exercetur. Non enim prohibebantur, inquit hic August. arte sua, licita scilicet atque concessa, victum necessarium quærere, Apostolatus sui integritate servata: quando, unde viverent, aliud non haberent. *Et ascenderunt in navem*: quæ fuit non Apostolorum præsentium, utpote qui omnia dereliquerant, sed vel aliorum discipulorum, qui aderant, vel a notis commodato accepta, & illa nocte, qua piscatio felicias succedere solet, quam die, eo quod propter majores noctis ce-

nebras ac tranquillitatem, pisces minus videant ac turbentur & aufugiant. *Nihil prendiderunt*, ut magnitudini miraculi daretur locus.

4. *Mane autem facto stetit Jesus in litore*, tum ne stando in aquis spectrum esse putaretur, tum ad significandum, se hujus vitæ tempestates evasisse. *Non tamen cognoverunt discipuli*, propter dubiam adhuc lucem vel distantiam, itemque quia non ex forma sua, sed ex miraculo suavius innotescere voluit.

5. *Dixit ergo eis Jesus*, ut fermocinandi familiaritate eorum intentionem ad se converteret, & congrue ad miraculum delaberetur: *Pueri*, quod aliqui nomen ætatis esse volunt, ut idem sit, quod *juvenes*, alii innocentia: fortassis est nomen conditionis, ut idem sit, quod *samuli*: videtur enim homines serviliter laborantes tamquam vir majoris notæ alloqui: *Numquid pulmentarium habetis*; venale scilicet. Nam, quod Chrysof. notat, loquitur ut proxeneta, qui empturus esset aliquid ab eis, quod meridie in foro distraheret. Porro pro *pulmentario* Græce est, (*prosfagion*,) id est, obsonium, seu ut verbum sonat, id quod comedi solet cum pane: quo nihil aliud intelligit, nisi pisces. Quid enim obsonii a piscatoribus noctu piscando occupatis quæras, nisi pisces? Quod

etiam patet ex responso Jesu. Cum enim respondissent ipsi, *Non*, subjicit:

6. *Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis*, scilicet pulmentarium, quo caretis. Est autem *Dextera navigii* dexterum navis latus homini in puppe stanti: quod latus exprimit, tum ne fortuito locutus videretur, tum ut ista piscatio figuram gereret piscationis illius, quæ erit in fine sæculi, respectu bonorum tantum. *Miserunt ergo*, & jam non valebant illud trahere, id est, in navim sursum attollere, præ multitudinem piscium.

7. *Dixit ergo, discipulus*, &c. id est, Joannes conspecta tanta piscium multitudine, & perpenſa veritate istius prædictionis, idque ex solo jactu ad dexteram: *Dominus est*, cujus apparitiones nuperrimæ, itemque similium miraculorum memoria ei inhærebat: forte & hinc motus speciem ejus attentius consideravit, & agnovit. Quo audito Petrus, *tunica succinxit se*, Græce pro tunica est (*ependites*,) genus vestis, quod superne, seu super alias vestes injiciunt & induunt, ut pallium, tunica exterior, vel simile quid. Hoc ergo injecit sibi Petrus honestatis causa, quia nudus erat, non toto corpore, quod a verecundia Apostolica prorsus alienum, sed reliquo corpore, præter ventrem, quemadmodum ab operariis fieri solet: vel nudus compara-

tione vestium, quas in communi conversatione ferebat. Hanc enim tunicam volunt fuisse vestem lineam, ut Syrus & Nonnus, seu cannabinam, ad genua pertingentem, qua superne homines illius conditionis induebantur super subuculam, seu indutium. *Et misit se in mare*, impatiens desiderii, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reverentiæ, inquit Ambros. in Luc. periculoso compendio, religiosum maturavit obsequium, serum æstimans, si cum ceteris navigio perveniret. Itaque Chrysost. hic notat Petrum & Joannem proprios referre mores: Ille, inquit, ferventior, hic altior erat, ille vehementior, hic perspicacior: Ideo Joannes prior agnovit Jesum, Petrus prior ad eum pervenit.

8. *Alii discipuli non projecerunt se in mare, sed navigio venerunt, velus terram.* Cujus quasi excusationis duplex ratio hic datur. Prima, *Non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis*, hoc est, trecentis pedibus: q. d. Quia tam prope erant, ut mora illa perexigua videretur. Altera, *trahentes, versus terram, rete piscium*, navigio funibus alligatum, quia scilicet ponderosius erat, quam ut in ipsam navim attolli posset. Itaque significat, non eis negligendum fuisse rete, piscibus plenum, ne miraculi gloria oblitteraretur.

9. *Ut ergo descenderunt, viderunt prunas positas, opera videlicet Angelorum, qui & in desertum acceperunt & ministrabant Christo, Matth. 4. & piscem, & panem, id est, pisces & panes (singulari posito pro plurali) quot scilicet opus esse videretur, ad reficiendos prendendo defatigatos, quod eis Dominus pro sua humanitate præparabat.*

10. *Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus. Quod eis dixit, ne totum phantasma, aut illusio videretur, dum ipsimet pisces captos vident, contrectant, assant, comedunt.*

11. *Ascendit Petrus, & traxit rete, hoc est, cum nonnihil intrasset in mare, ascendendo versus terram, traxit rete plenum magnis piscibus, ideoque traxisse dicitur, quia præfectus totius piscationis, cæteris adjuvantibus. Et cum tanti essent, id est, tot & tam magni (Græcum enim *tosuton onton*, & ad multitudinem, & ad magnitudinem referripotest) non est scissum rete, Deo scilicet rete tam fragile contra impetum piscium, ac trahentium roborante. Alludit autem ad aliam piscationem, qua ante resurrectionem rete scissum fuerat, ut narratur Lucæ 5. Nam duabus istis piscationibus tamquam valde mysteriosis, Aug. significari tradit duos Ecclesiæ status; unum in hoc sæculo, alterum in fine sæculi. Nam ideo illa contigit ante resurrectionem Christi, quasi tempore vo-*

e e 4 catio-

cationis humani generis; hæc post eam: ibi retia non mittuntur ad dexteram, sed indifferenter in quodcumque latus, quia colliguntur nunc in Ecclesiam boni & mali; hic ad dexteram, quia soli boni: ibi scissio retium. schismata Ecclesiarum significans; hic integritas eorum summæ illius futuræ concordie imperturbabilem unitatem: ibi pisces trahuntur in naviculas duas, id est, in Ecclesiam Gentium & Judæorum, ita ut multitudine pene mergantur, quia multitudo est causa dissolutionis disciplinæ, qua Ecclesiæ deprimuntur; hic trahuntur in littus, id est, in stationem stabilem æternitatis: ibi capiuntur parvi & magni; hic soli magni, quia soli electi, qui quamvis impares futuri sint meritis, omnes tamen propter beatitudinis complementum magni erunt. Plura vide præclare apud August. Tract. 122. in Joann. Ubi & multa de illo numero piscium, *centum quinquaginta trium*, quo significari putat universitatem beatorum, qui legem per gratiam impleverunt. Alii putant tot pisces captos, quia, ut Oppianus tradit, tot sunt genera piscium diversorum; quemadmodum & alii trahunt, tot esse genera animalium terrestrium, exceptis reptilibus: ut significetur, quod Dominus per novissimam piscationem redimet electos ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

Nec

Nec illud caret mysterio, quod post hanc piscationem sequatur prandium, quia refectio æternitatis collectis piscibus, consequetur. Vide cætera apud August. etiam in Psalm. 49. & lib. 83. Quæstionum, qu. 57. Cum ergo Jesus eos ad prandium invitasset,

12. *Nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es?* Non quod timerent importunitate eum offendere, sed scientes, quia Dominus est, hoc est, propter nimiam evidentiam veritatis, inquit Augustin. quæ nec dubitare quemquam sinebat: interrogatio enim supponit ignorantiam, vel dubitationem. Dubitando ergo verebantur ei injuriam facere: tam erat evidens ex forma, voce, præcedenti miraculo, & ex modo agendi, esse Jesum.

13. *Et venit Jesus*, postquam cæteri accubissent, adjunxit se postremum, & tamquam hospes convivas suos excepturus: *Et accipit panem & piscem*, singulis distribuens quantum fatis. Simul Jesum comedisse circumstantiæ videntur postulare, maxime spectatis locis Actuum Apostolicorum, cap. 1. vers. 4 & cap. 30. v. 41.


14. *Hoc jam tertio manifestatus est*, id est, hac jam tertia vice apparuit, discipulis suis, scilicet in unum congregatis. Primum quidem c. 20. v. 19. una sabbatorum, qua resurrexerat, idque ab-

sente Thoma : Secundo vero post dies octo ibidem v. 36. Denique hic. Scorsim vero singulis multis apparuerat , Mariæ Magdalænæ , mulieribus , Petro , duobus discipulis euntibus in Emaus , &c.

15. *Cum ergo prandissent , dicit Simoni Petro Jesus , nempe illi tamquam particulari personæ , quam propterea Evangelista , & nomine gentilitio & alio per Christum imposito , conjunctim vocat Simonem Petrum.* Christus vero adhuc distinctius addit nomen patris , dicendo , *Simon Joannis , supple fili , quod prorsus idem est cum eo , quod Matth. c. 16. dixit , Simon Barjona. pro Johanna , id est , fili Joannis.* Unde & hoc loco Syriace est *Barjona.* Tot cautionibus Christus nos munire voluit , ne , ut Hæretici fingunt , omnibus discipulis commune esse putaremus id , quod hic Petro tribuit. Dicit ei itaque adhuc eum a reliquis separando : *Diligis me plus his , affidentibus ?* Voluit enim eum amoris vicarium constituere , inquit Ambros. in Luc. nempe in pascendo docendoque grege suo : a quo tot offendicula pastoribus ingeruntur , dum alii infirmi , alii tardi , alii segnes , alii lenes , alii protervi , alii duri , ac procaces adversus pastorem sunt , ut nemo constanter ista sit superaturus , nisi in quo amor Christi multum superaverit , *Dicit ei : Etiam Domine.* Putaretur interrogationi Do-

Dominica omni ex parte annuile, nisi adderet, *Tu scis, quia*, seu quod *amo te*. Quod Ambros. putat esse iurjurandum: sed verius est, Petrum ita loqui, quod sibi diffideret, totumque iudicium Christo committeret. Supprimit autem, *plus his*, quia hoc respondit, quod de se ipso sciebat, qui cor alterius nosse non poterat, inquit August. Tract. 124. Noluit ergo iterum esse mendax de se presumendo, ut ante passionem. Suffecit ei, testimonium perhibere cordi suo; non debuit esse iudex cordis alieni, ut idem ait Sermon. 24. De Sanctis. *Pasce* igitur; infert enim hoc Christus ex responsione Petri: q. d. Si diligis me, *pasce*, ut notat August. Quid est autem aliud *Si diligis me, pasce oves meas*, inquit idem, quam si diceretur.: Si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas sicut meas pascere, non sicut tuas: gloriam meam in eis quare, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, seipsos amantes. Porro nomine actus designat potestatem, *Pasce*, id est, pastorem age, sicuti dicimus, *Rege provinciam istam*, id est, sis rector aut gubernator ejus. *Pascere* autem non est solum cibum præbere seu docere, sed præesse, præire, tueri, compescere, castigare, hoc est,

regere, quod Græca voce (*pimanin*) aperte significatur, & ita vertitur Matth. 2. *Qui regat populum meum Israel*, & Psalm. 2. & Apocal. 19. *Ipse reget eos in virga ferrea*. Unde August. Christus oves pasceñas, hoc est, docendas, regendasque, committit. *Agnos meos*, sic & secundo loco textus Latinus repetit *Agnos meos*, pro quo Græci videntur legisse *Oviculas*, ut colligitur ex Ambros. in Luc. quamvis nunc legatur, *Oves*, amisso uno jota (*probata pro pobatia*.) Itaque per *Agnos*, bis repetitos, significantur duo populi, Judaicus & Gentilis: per *Oves* vero Episcopi & Pastores, tamquam matres agnorum. Vel commodius *Agni* primo loco significant simplices fideles; *Oviculae* secundo loco Presbyteros, velut minores pastores; *Oves* vero Episcopos. Quod autem non dicit, *Pasce has aut illas oves*, sed absolute & indiscrete *meas*, universas intelligit: omnes videlicet, quæ quoquo modo dicuntur, *meæ*, ut notat Bernard. 2. de considerat. c. 8. Cui non planum, inquit, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Itaque illud, *Pasce agnos, & oves meas*, idem est, ac si diceret, *Sis pastor universi gregis, seu ovilis mei*, hoc est, totius Ecclesiæ meæ, tam filiorum, quam patrum; tam fidelium, quam omnium pastorum, seu Episcoporum



piscoporum. Quod officium cum sit ordinarium, ac tamdiu necessarium, quam erit ovile; profecto iisdem istis verbis eandem potestatem omnibus Petri legitimis successoribus tribuit. Trinum vero illud examen amoris alludit quidem ad trinam ejus negationem, ut notat Aug. & Cyrill. sed tamen significavit incenso, stabili, ac perfecto Christi amore ad pascendum opus esse; terna enim inculcatio perfectionis indicium est. Unde etiam ter committit ei gregem suum, ut indicet commissæ rei magnitudinem, ac definitum committentis consilium.

17. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, &c.* verens videlicet, ne forte etiam hic falleretur, sicut ante passionem, quando multa de se promiserat. Quam rationem tristitiæ videtur notare August. Sermon, 49. de verbis Domini: Contristatus est, inquit, quasi ille, qui videbat conscientiam negationis, videret fidem confitentis, timendo scilicet, quod illa deesset conscientiæ suæ. Nam de omniscientia Christi nullo modo dubitabat, dicendo, *Domine tu nosti omnia*, tamquam Deus meus, etiam secreta cordium: proinde *Tu scis, quia amo te*, prout mea mihi dictat conscientia. Cum ergo Petrus valde sibi diffideret, consolatur eum Christus declarando, se non

diffidentem interrogasse, sed veram esse responsionem ejus, ut notat Cyrill.

18. *Amen, Amen dico tibi: cum esses junior, ætate, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas, expeditus videlicet ac liber: cum autem senueris, quo Græci observant significari eum tunc fuisse mediæ ætatis, prout etiam ex annis, quibus supervixit, colligitur, *Extendes manus tuas, in crucem, hoc est, crucifigeris. inquit August. Alius te cinget, id est, cingulis cruci adstringet. Tunc enim Petrus ab alio cingitur, cum cruci adstringitur, inquit Tertull. in fine Scorpiaci. Quo indicare videtur, magis funibus in cruce suspensum, quam clavis affixum fuisse. Et ducet, quo tu non vis, ad mortem scilicet, propter naturalem mortis abhorrescentiam, quam tamen constantia voluntatis vicit. Unde August. Ad mortis molestiam nolens ductus est, sed ab ea volens eductus est: nolens ad eam venit: sed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeo naturalem, ut eum B. Petro nec senectus auferre potuerit. Propter nos autem consolandos etiam hunc in se affectum Christus ostendit, quando dixit, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: sed affectus ille virtutis magnitudine superari debet. Unde idem: Sed molestia quantumcumque sit mortis, debet eam vincere***

vis

vis amoris. Nam si nulla esset mortis molestia, non tam magna esset martyrum gloria. Qua de re præclare Tertull. in fine Apologet. Plane, inquit volumus pati, (martyrium) verum eo more, quo bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cum & trepidare & periclitari sit necesse: tamen & præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia & gloriam consequitur, & prædam.

19. *Hoc autem dixit, significans, qua morte, hæc est, quo mortis, seu interfectionis genere, clarificaturus esset Deum, hoc est, glorificaturus, extensione scilicet manuum & cinctione, hoc est, cruce. Nam ille est hominis crucifixi habitus: quod quia fiebat propter solam fidem & pietatem in Christum Deum, hinc mors ista in magnam Dei claritatem, seu gloriam cessit. Et cum hoc dixisset, finiendo in istis verbis, ducet, quo non vis, ne Petrus per suum non velle detractaret passionem, surrexit Christus, & progressus, quasi ad abitum se parans, Dicit ei: Sequere me, tamquam discipulus doctorem, nunc quidem gressu corporali, sed tamquam symbolo, quo intelligas, tibi sequendum esse exemplum meum. Nam ut Cyrill. ænigmatice ostendit vestigia Christi, id est, passionem crucis Petro sequendam esse, ut quamvis duceretur, quo non vellet, appetitu carnis, simul*

simul tamen voluntarie procederet ad supplicium, sicut Christus sui persecutoribus obviam processit. Unde & Petrus ex Romano elapsus carcere, cum ex Christo sibi obvio audivisset, *Venio Romam iterum crucifigi*, quo crucem sibi subeundam esse Petrus monebatur, sponte sua ad carcerem reversus est, ut Ambros. Orat. contra Auxentium.

20. *Conversus Petrus*, id est, retro respiciens, an & ceteri sequerentur, *vidit illum discipulum sequentem*, quem diligebat Jesus, præ ceteris tenerius & familiaris, ut August. Tract. 119. Itaque curiosus sciendi, quid etiam Joanni tam dilecto esset obventurum, & arbitratus, Joannem hoc velle quidem, sed non audere sciscitari, ut Chrysost. notat;

21. *Dixit Jesu: Domine, hic autem quid? supple, facturus aut passurus est?* Satis enim intellexerat, quid Christus sibi innuisset: q. d. Num & istum similiter ducet alius, quo non vult, an vero ut filius delicatus tenereque dilectus suaviori via ad te migrabit?

22. *Dixit ei Jesus: Sic eum volo manere*, Textus Syriacus & Græcus & plerique Commentatores Græci, itemque quinque aut sex exemplaria Latina legunt, *Si eum volo manere*, & tunc sensus clarus est. Nostra vulgata editio eundem sensum habet, ut sit sermo conditionalis non affirmativus, hoc modo:
Elto,

Esto, vel ita sit, vel statuamus, quod eum sic velim manere sine morte, donec veniam, ad judicandum, quid ad te, pertinet hoc curiosius inquirere? Retundi enim curiositatem ejus notat Chrysost. Ita solemus tractare eos, qui impertinenter rogant, ut vel taceamus, vel eos ambiguos relinquamus. Quo pacto nonnulli exponunt & istud Matth. 20. *Volo & huic novissimo dare, sicut & tibi*, ut non significet, se dispares merito æquare velle præmio, quod Deus non solet facere, etsi possit, sed tantum adductione alicujus casus ostendere libertatem suam: q. d. Quid si velim huic novissimo dare, sicut & tibi, quid habes, quod conqueraris? An non licebit mihi, quod volo, facere? *Tu me sequere*, hoc est, tuum est mortem, exemplumque meum cogitare & sequi, non aliena scrutari.

23. *Exiit ergo sermo iste, seu rumor iste percreebuit, inter fratres, quia discipulus ille non moritur, id est, nunquam moreretur.* Cum enim Petri mortem a Domino prædictam esse sentiret, Joannis vero suspensam, videbatur Christus insinuasse, eum immortaliter victurum, utpote usque ad secundum adventum Domini superstitem, & consequenter semper. Quod multo pronius erat judicare, si Christus verbis affirmativis usus fuerit; *Sic eum volo manere. &c.* Hanc

autem opinionem refellit Evangelista
*Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed Si
 eum volo &c. Quid ad te? hoc est, ver-*
 bis istis relinquit rem suspensam, utpo-
 te non absolvens orationem in istis verbis
donec veniam; sed coercens Petri curio-
sitatem per hoc, quod insuper adjecit,
Quid ad te?

24. *Hic, de quo iste sermo percre-*
buerat, est discipulus, qui testimonium per-
hibet de his, & scripsit hæc, id est, est
 ille discipulus, qui testatur paulo ante,
 imo toto libro narrata esse vera, suum-
 que testimonium scripto consignavit,
 tacite indicans sine expressione proprii
 nominis illum, de quo exierat ille ser-
 mo, esse scriptorem hujus Evangelii.
 Vult enim coronidem imponere, fidem-
 que conciliare toti libro. *Et scimus, non*
ego tantum, sed & alii, qui cum Do-
mino versati sunt, quia verum est testimoni-
um ejus, quod scripsit: sic enim scriptor
 est, ut simul testis sit non fama auditæ,
 sed oculis perspectæ veritatis.

25. *Sunt autem & alia, præter narra-*
ta, multa, quæ fecit Iesus, supple, sicut
 supplevit superius c. 20. v. 30. quæ non
 sunt scripta in libro hoc, sed ab aliis
 Evangelistis memoriæ tradita, vel om-
 nino prætermissa: *Si scribantur per singula,*
feu sigillatim, nec ipsum arbitror mundum
capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.
 Locutio est hyperbolica, ut Euthym. &
 Cy-

Cyrill. & ante illos tradit Aug. quo significatur, ingentem futurum librorum numerum, & consequenter factorum Jesu. Nihil enim tota vita mortali dixit, aut fecit, quod non esset divinum & scripture dignissimum. In talibus autem hyperbolis non est mendacium, quia tametsi locutio fidem rerum excedat, non tamen hoc volumus significatum, quod verba sonant: sed tantummodo rem, quam ita augemus, aut minuímus, esse vehementer magnam aut parvam. Sic supra c. 10. v. 19. Pharisei dicunt, *Ecce mundus totus post eum abiit.* Unde Aug. hoc loco rem explicans, ait: Salva rerum fide plerumque verba excedere videntur fidem: quod fit, quando aliquid augetur vel extenuatur, nec tamen a tramite veritatis aberratur: quoniam sic verba rem, quæ indicatur, excedunt, ut voluntas loquentis, nec fallentis appareat: qui novit, quousque credatur, a quo ultra, quam credendum est, vel minuitur loquendo, vel augetur.

FINIS.

SERIES VITÆ

JESU CHRISTI

JUXTA ORDINEM

TEMPORUM.

Hactenus explicuimus singulorum Evangelistarum contextum, nulla habita ratione temporis, vel ordinis, quo singulæ res gestæ sint: nunc operæ pretium me facere existimavi, & utile gratumque Lectoribus studiosis, si quam brevissime fieri potest, seriem rerum gestarum juxta ordinem ætatis Christi ob oculos ponam, ut una historiæ facies appareat, quæ alioquin non mediocriter confusa & intricata est. Ætatem autem distinguemus in puerilem, quæ se extendat usque ad baptismum: & in virilem, & hanc rursus in præludium prædicationis usque ad primum Pascha; & in quatuor annos prædicationis & conversationis usque ad ascensionem in cœlum.

Ætas Puerilis.

Itaque Deus, cum Verbum, quod erat in principio, & ab æterno, Deus apud Deum, etiam carnem fieri decrevisset, ut narratur c. 1. Joan. v. 1. & seqq. regnante Herode misit Angelum Gabrielem, qui nuntiaret Zachariæ parituram Elisabeth filium Joannem, præcursores Christi: & sexto mense post ad Mariam Virginem: quæ gravida visitat Elisabetham. Paritur Joannes & circumciditur: usus linguæ redditur Zachariæ, qui benedicit Deum, prout hæc narrantur Lucæ 1. a v. 5. usque ad 79.

2. Hinc Joseph docetur ab Angelo, uxorem esse gravidam de Spiritu sancto Matth. 1. vers. 19. & seqq. Nascitur paulo post Christus in Bethleem, Lucæ. 2. vers. 1. Et genealogia ejus pertexitur per Salomonem, Matth. 1. v. 1. & alia per Nathan, Lucæ 3. v. 23.

3. Natus annuntiatur pastoribus, & circumciditur octavo die, Lucæ 2. v. 1. usque ad 22. Sex diebus interjectis, adoratur a magis, Matth. 2. v. 1. & post impletos adhuc viginti sex dies purificationis Mariæ, sistitur in Jerusalem in templo, Lucæ 2. v. 22. usque ad 39.

4. Hinc Joseph ab Angelo admonitus fugit cum eo in Ægyptum, & post infantes occisos, & aliquot annorum moram,

ram, redit in Nazareth Galilææ, Matth. 2. v. 13. usque ad finem.

5. Quotannis cum parentibus ascendit Jerosolymam, & annos natus duodecim mansit inter Doctores in templo. Reversus obedit parentibus, crescens ut ætate, ita & sapientia usque ad annum ætatis fere trigessimum, Lucæ 2. v. 41. usque ad finem capitis.

*Ætas Virilis ante primum Pascha post
Baptismum.*

Instante tempore prædicationis Christi, an. XV. Tiberii Cæsaris, Joannes præcursor prædicatione, & baptismo poenitentiae excitat omnium animos ad expectandum Christi adventum, ipsumque Christum baptizat, voce Patris eum Filium suum declarante. Matth. 3. vers. 1. usque ad finem, Lucæ 1. v. 1. & seqq. Joan. 1. v. 6. 7. 8. Baptizatus itaque ducitur a Spiritu sancto in desertum ubi jejunit quædraginta dies, luctaturque cum diabolo, Matth. 4. vers. 1. & seqq. Marci 1. v. 12. & Lucæ 4. vers. 1. Interea Joan. Pharisæis ad se missis profitetur, se non esse Christum, Lucæ 3. v. 15. & fusius Joan. 1. v. 19. & seqq.

2. Postridie Jesus ex deserto reversus digito ostenditur a Joanne, esse Agnus Dei. Repetit hoc testimonium po-

stridie.

fridie. Jesum sequitur Andreas, qui adducit Simonem. Sequenti die occurrit Philippo, qui Nathanaelem attrahit, Joan. 1. vers. 19. usque ad finem capitis.

3. Hinc tendit in Canam Galilææ, ubi aqua in vinum mutata descendit Capharnaum cum suis. Inde Jerosolymam instante Paschate, ubi eementes vendentesque templo pellit, Joan. 2. v. 1. usque ad 23.

Annus primus Prædicationis a primo Paschate sequente Baptismum, usque ad secundum.

Hoc ipso primo Paschate prædicanti Jerosolymis multi credunt propter signa, quæ faciebat. Quo tempore Nicodemus noctu instituitur. Joan. 2. vers. 23. & cap. 3. usque ad vers. 22. Hinc in Judæam discedit, baptizans per discipulos suos: cumque hominum affluxum moleste ferrent discipuli Joannis, docet eos Joannes, Christum crescere debere, se autem minui, Joan. 3. v. 22. usque ad finem capitis.

2. Non multo post, Herodes reprehensus a Joanne, conjicit eum in carcerem: quod tres Evangelistæ incidenter narrant, Matthæus c. 14. v. 3. Marc. c. 6. v. 17. & Lucas c. 3. v. 19. sed nullus suo loco. Quo audito Jesus cessit

cessit a Judæa in Galilæam, Matth. 4. vers. 12. Marci 1. vers. 14. & Joannis 4. vers. 1. Transiens autem per Samariam, mulierem Samaritanam & populum per biduum docet. Inde digressus post biduum a Galilæis honorifice excipitur, & in Cana filium Reguli febricitantem sanat, ibid. Joan. 4. a v. 4. usque ad finem capitis.

3. Ex Cana declinans patriam suam Nazareth, habitaturus venit Capharnaum. Hinc peragrat Galilæam prædicando, vocans ad mare piscantes Petrum & Andream, itemque Jacobum & Joannem, edito captorum piscium miraculo, Matth. 4. vers. 13. usque in finem, Marci 1. vers. 15. & Lucæ. 5. v. 1. & seqq. Cum istis ingreditur Synagogam Capharnaum, ac dæmonium ejicit, Petri quoque socrum febricitantem liberat, crescenteque fama vesperi ad januam plurimos sanat, Marci 1. vers. 21. Lucæ. 4. v. 31. & aliquid Matth. 8. vers. 14. Mane descendit Capharnaum in desertum: hinc in Galilæam, prædicando atque sanando, Marci 1. vers. 35. & Lucæ 4. v. 42.

4. Pressus turbis jubet fretum trajici, rejicitque quemdam a discipulatu suo, Matth. 8. vers. 18. Inter trajiciendum obdormit, ortamque tempestatem verbo sedat, ibidem v. 24. & Marci 4. v. 36. & Lucæ 8. v. 23. Freto trajecto
duos

duos dæmoniacos apud Gerasenos a dæmonibus liberat, quibus porcos invadere, & in stagnum præcipitare permittit, ut Matth. & Lucas ibidem consequenter, Marcus vero c. 5. vers. 1. & seqq.

5. Redit mane ad Capharnaum, ubi paralyticum per tectum demissum sanat, unde digressus vocat Matthæum a telonio, & in convivio discipulos Joannis & Phariseos docet, Matth. 9. vers. 1. & seqq. Marci 2. v. 1. L. 5. 18. Deinde a Jairo ad filiam curandam vocatus, in via sanat tactu fimbriæ Hæmorrhoidiam, & domi filiam a morte suscitatur, Matth. 9. vers. 18. Marci 5. vers. 22, & Lucæ 8. vers. 41. Et inde divertens, duos sanat cæcos, ex alio mutum ejecit dæmonium, quod Matth. cap. 9. vers. 27. consequenter narrat.

Annus secundus Prædicationis a secundo Paschate usque ad tertium post Baptismum.

Post hoc ascendit Jesus Jerosolymam, ad diem festum Paschatis, ubi ad Probaticam piscinam sanat eum, qui triginta octo annos infirmus fuerat, factumque in Sabbato late tuetur, Joan. 5. v. 1. usque ad finem capitis.

2. Hinc cum discipulis per sata transit, cumque sabbato spicas illi vellerent,

& ipse paulo post manum aridam sanasset, utrumque reprehendentes Pharisæos refellit, Matth. 12. v. 2. Marci 2. vers. 25. usque ad finem & initio cap. 3 itemque Lucæ 6. v. 1.

3. Cum propterea eum vellent perdere, secedit ad mare, turbam e mari docens, morbosque curans, Matth. 12. vers. 15. Marci 3. vers. 7.

4. Paulo post turbis relictis ascendit in montem, in oratione pernoctat, eligit ex discipulis duodecim Apostolos, ad quos ac turbam longum unum sermonem habet, Christianæ perfectionis compendium, qui dicitur *Sermo Domini in monte*, Matth. toto cap. 5. 6. & 7. Marci 3. v. 13. Lucæ 6. v. 12. usque in finem capitis.

5. Descendens e monte in agrum Capharnaum, mundat leprosum Matth. 8. v. 1. Marci 1. v. 40. Lucæ 5. v. 12. Urbem ingressus paralyti liberat servum Centurionis, Matth. 8. v. 5. Lucæ 7. v. 1. Unde digressus ad oppidum Naim, suscitatur filium unicum mulieris viduæ, Lucæ ibid. vers. 11.

6. Iterum Joannes e carcere mittit discipulos suos ad Jesum, qui Joannem ex multis capitibus laudans, taxat impenitentiam Judæorum, maxime Corozain, Bethsaidæ, Capharnai. Matth. 11. vers. 2. usque in finem capitis, Lucæ 7. vers. 18. usque ad 36. Hinc prandens
apud

apud Simonem Phariseum peccata dimittit Magdalene, Lucæ 7. vers. 36.

7. Capharnai sanat demoniacum cæcum & mutum : qua occasione calumniantes opera Spiritus sancti Phariseos, & signum de cælo quærentes late refellit, Matth. 12. v. 22. usque ad 46. Lucæ. 11. v. 14. usque ad 33. & Marci 3. v. 22. usque ad 31.

8. Interea cognati advolant, ut eum tamquam furiosum tenerent, Marci 3. v. 21. Cumque nuntiaretur eorum adventus, ut eum convenirent, docet omnes facientes voluntatem Dei esse matrem & fratres suos, Matth. 13. v. 46. Marci 3. v. 31. Lucæ. 8. v. 19.

9. Hinc ad mare egressus multis parabolis, seminis, zizaniorum, sinapi, fermenti, thesauri, margaritæ, sagenæ, docet turbas, Matth. 13. v. 1. usque ad 53. Marci 4. vers. 1. usque ad 35. Lucæ. 8. v. 4. & c. 13. vers. 18. Inde in Nazareth proficiscitur, ubi scandalizantur in ejus concione, imo eji-ciunt eum e civitate, Matth. 13. v. 53. Marci 6. v. 1. usque ad 7. Lucæ 4. v. 16. usque ad 31. Pergit deinceps circumire vicos Galilææ, suppeditantibus vitæ necessaria mulieribus, quas sanaverat, Lucæ. 8. v. 1.

10. Apostolos præceptis instruit, mittitque binos ad prædicandum : qui prædicant, sanant, unguunt infirmos oleo, Matth.

Matth. toto c. 10. Marci 6. v. 7. usque ad 14. Lucæ 9. v. 1. usque ad 7. Interea & ipse Jesus Galilæos docendo peragrat, Matth. 11. v. 1. & Herodes ad famam Jesu putat, Joannem, a se occisum, esse resuscitatum, Matth. 14. v. 1. Marci 6. v. 14. Lucæ 9. v. 7.

11. Reversis a prædicatione Apostolis, secedit cum eis Jesus in desertum trans mare Galilææ, ubi pascit quinque milia virorum, quinque panibus, ac duobus piscibus. Sub vesperam jussis Apostolis transfretare ipse fugit in montem, unde quarta vigilia veniens sedat tempestatem, Matth. 14. v. 13. Marci 6. v. 30. usque ad 53. Lucæ 9. v. 10. Joan. 6. v. 1. usque ad 22.

12, Exiens navim in terram Genesareth, sanat omnes male habentes etiam fimbriæ tactu, Matth. 14. v. 34. Marci 6. v. 53. altera vero die in synagoga Capharnai occasione patrati miraculi de panibus, longo sermone docet, se esse panem vitæ, carnem & sanguinem suum esse manducandum & bibendum, Joan. 6. vers. 22. usque ad finem capitis.

Annus tertius Prædicationis a tertio Paschate sequente Baptismum, usque ad quartum.

Hoc Paschate, quod Joannis 6. v. 4. indicatur, Christus vel non ascendit Je-

Jerosolymam, eo quod eum Judæi quæ-
rerent interficere, vel certe continuo
reversus est in Galilæam, Joannis 7. v.
11. ubi Scribæ cum eo disputant de lo-
tione manuum, atque observatione tra-
ditionum. Unde digressus in fines Ty-
ri & Sidonis filiam Cananææ liberat a
dæmonio: & ad mare rediens multos in-
firmos sanat, atque inter cæteros sur-
dum simul ac mutum, Matth. 15. a v.
1. usque ad 32. Marci toto c. 7.

2. Mox septem panibus, paucisque
piscibus quatuor millia virorum cibant.
Post quod miraculum venit in partes
Magedan & Dalmanuthæ, ubi Pharisei
signum de cœlo petunt, quibus repulsis
transfretans monet, cavendum a fermento
Phariseorum ac Sadducæorum, Matth.
15. a v. 23. usque ad v. 31. cap. 16. &
Marci 8. a v. 1 usque ad 22. ubi Mar-
cus consequenter addit, apud Bethsai-
dam cæco extra vicum educito lumen
esse restitutum.

3. Hinc apud Cæsaream Philippi Petri
fidem exquirat & laudat, ædificandæque
Ecclesiæ Petram futurum pollicetur: sed
mox passionem, ac mortem Jerosoly-
mis prædicit sibi subeundam, unicuique
vero subeundam esse crucem suam. Oc-
tavo post die transfiguratur in monte:
unde descendens ejicit dæmonium e lu-
natico, quod discipuli non potuerant.
Inde digressus in Galilæam prædicit ite-
rum

rum passionem suam, ac resurrectionem, quæ omnia consequenter narrantur, Matth. 16. a v. 13. usque ad v. 23. c. 17. & Marci 8. a v. 27. usque ad v. 32. c. 9. & Lucæ 9. a v. 18. usque ad 46.

4. Ingressus Capharnaum pro se & Petro didrachmum solvit, Matth. 17. v. 23. Unde orta contentione de primatu inter discipulos, eorum ambitionem comprimit, advocato puero, multaque prædicit de scandalo pusillorum cavendo, peccatisque condonandis, exemplo Regis adducto, ineuntis rationem cum servis, Matth. 18. toto cap. Marci 9. v. 32. usque ad finem, Lucæ 9. v. 46. usque ad 51. & quædam cap. 17. v. 1. usque ad 5.

5. Scenopegia instante noluit cum cognatis in Judæam ascendere, sed paulo post occulte ascendit a Galilæa in Judæam, Matth. 19. v. 1. Marci 10. vers. 1. & latius Joan. 7. v. 2. In itinere cum Samaritani negassent ei hospitium, reprimat in discipulis vindictæ cupiditatem, imo Samaritanum obvium cum novem aliis a lepra sanat, eumque laudat, Lucæ 9. v. 51. & c. 17. v. 11.

6. Festo Scenopegiaæ mediante intrat Jerusalem, tanta docens efficacia, ut ministri ad eum capiendum missi ipsi caperentur. Unde cum in montem Oliveti vespere recessisset, reversus mane mulierem in adulterio deprehensam e

Judæorum manibus in terra scribens liberat: qua occasione docet, quis ipse sit, & qui Judæi; an eorum pater Abraham, an diabolus: unde jam jamque lapidaturis manibus eorum elabitur. Mox vero præteriens cæcum a nativitate, luto oculis illito die sabbati eum sanat, multaque de pastore bono, de mercenario, de ovibus suis differit, prout hæc omnia narrantur consequenter per Joan. toto c. 7. 8. 9. ac 10.

7. Egredius Jerololymis peragrat Judæam designans alios septuaginta duos discipulos, quos binos præmittit in omnem locum, quo venturus erat, instruens eos fere similibus, quibus aliquando ante Apostolos instruxerat: reversos docet modestiam, Patrique suo gratias agit, Lucæ 10. v. 1. usque ad 25. & aliquid, Matth. 11. v. 25. usque ad finem.

8. Hinc Scribam arrogantiorẽ docet, quis ejus proximus sit exemplo Samaritani. Paulo post in Bethania hospitio exceptus, Mariæ otium Marthæ negotiis præfert. Deinde discipulos orare docet, *Pater noster* &c. maximeque perseverantiam orationi esse adhibendam, Lucæ 10. a v. 25. ad v. 14. cap. 11.

9. Invitatus ad prandium a Phariseo carpit eorum præposterum munditiæ studium, hypocrisin, aliaque vitia sæpius *Væ* ingeminans Lucæ 11. vers. 27. usque ad finem. Deinde hereditatis divisionem

a se rejicit, ab avaritia, & a sollicitudine rerum temporalium revocans multis argumentis, Lucæ 12. a v. 13. usque 35. Quæ vero usque ad finem capitis ibidem sequuntur, eodem tempore subjuncta videntur, quamvis & aliis locis, & occasionibus pleraque dicta sint.

10. Deinde cum ei nuntiatum esset de Galilæis a Pilato occisis, provocat omnes ad pœnitentiam, ne instar ficus infructuosæ excidantur: mulierem octodecim annis inclinatam erigit, murmurantesque comprimit: cæteros vero auditores instruit parabolis grani sinapis, ac fermenti. Inde per castella Judææ tendens in Jerusalem, cum rogaretur, an pauci essent salvandi, docet, per angustam portam nitendum esse, cujus ostio semel clauso frustra pulsarent. In ipsa die monitus, ut ab Herode sibi caveret, respondit, mortem sibi in Jerusalem esse subeundam: quam sæpe voluerit instar gallinæ congregare, Lucæ 13. toto capite.

11. Ad prandium vocatus a principe Phariseorum, curat hydropicum, quod similitudinibus, sibi licere, ostendit, docens convivas, non aucupandum esse primum locum, nec invitandos esse divites, sed pauperes, ac debiles. Subjicit parabolam cœnæ magnæ, ad quam vocati excusant se variis prætexitibus. Denique exemplo ædificantis turrim explicat,

cat, quantum requiratur in eo, qui velit esse discipulus suus, Lucæ 14. toto capite.

12. Murmurentibus deinde Pharisæis, quod reciperet peccatores, tribus parabolis ovis, drachmæ & filii perditionis eos refellit: quorum deinde taxata avaritia provocat eos ad eleemosynam, adductis exemplis villici diffamati, ac divitis epulonis, Lucæ toto c. 15, ac 16.

13. Deinde hyeme in Eucaniis disputat in porticu Salomonis cum Judæis se circumstantibus: cumque vellent eum lapidare & apprehendere, abiit trans Jordanem, Joan. 10. a v. 22, usque ad 40.

14. Confluentibus hic ad eum Judæis, docet ac sanat turbas: disputatque cum Pharisæis de conjugii firmitate, divortio, cælibatu, Joan. 10. v. 41. & 42. Matth. 19. a v. 1. usque ad 13. Marci 10. a v. 1. usque ad 13. Ibidem vetat a se arceri parvulos, quibus manum imponens benedixit. In via vero dives adolescens a sequendo Christo deterretur proposita paupertate: qua occasione tradit, quanta divitibus sit difficultas intrandi in regnum Dei, quanta felicitas futura eorum, qui propter Christum omnia dereliquerint, Matth. 19. a v. 13. usque ad finem, Marci 10. a vers. 13. usque ad 32. Lucæ 18. a v. 15. usque 31. Eodem vero tempore adducta parabola operantium in

vineam discipulos docet, sæpe primos fieri novissimos & contra, ut Matthæus attexit initio capitis 20.

15. In finibus adhuc Judææ constitutus accipit nuntium de infirmitate Lazari, quem cum sciret esse mortuum, tendit in Bethaniam, ubi eum quatri-duanum suscitavit. Quo miraculo multis credentibus, mors ejus decernitur a Pontificibus & Judæis. Itaque Jesus abiit in fines Judææ juxta desertum in civitatem Ephrem, Joan. 11. a vers. 1. usque ad 55.

16. Instante Paschate tendit Jerosolymam præmonens discipulos de cruce & morte ibidem subeunda, & secutura resurrectione. Quo audito regnum instare putantes duo filii Zebedæi, per matrem petunt, ut concessum a dextris, ac sinistris sibi concederet. Stomachantes illam ambitionem, Apostolos humilitatem docet: tempus notat Joan. cap. 11. vers. 55. historiam vero Lucas cap. 18. v. 31. Matthæus capitis vigesimi, versu 17. usque 29. & Marcus cap. 10. vers. 32. usque ad 46.

17. Pergens Jesus ingreditur Jericho: ubi excipitur hospitio a Zachæo, & salutem domui factam annuntians adjungit parabolam de servis negotiantibus, Lucæ 19. vers. 1. usque ad 28. & mox egressus duobus cæcis restituit visum, Matth. 20. vers. 29. Marci 10. vers. 46.
Lucæ

Lucæ. 18. vers. 35. Hinc venit Bethaniam ante sex dies Paschæ, Joan. 12. v. 1. Postridie fit eis cœna in domo Simonis leprosi, Lazaro simul accumbente, Martha ministrante, Maria unguentum effundente, quam ob causam discipulorum murmur compescitur, Matth. 26. vers. 6. Marci 14. v. 3. Joan. 12. v. 2.

18. In crastinum, hoc est, die Dominica e Bethania profectus asello per montem Oliveti, turbis acclamantibus, *Hosanna in excelsis*, tendit Jerosolymam, Matth. 21. vers. 1. Marci 11. vers. 1. Lucæ 19. vers. 29. Joan. 12. vers. 12. Civitati proximus deflet, ac prædicit excidium ejus, Lucæ 19. vers. 41.

19. Ingressus urbem, templo vendentes ejicit, cæcos claudosque sanat, & indignantibus Phariseis os obturat, Matth. 21. v. 12. Marci 11. v. 15. Lucæ. 19. vers. 45. Interim Judæis frendentibus gentiles desiderant videre Jesum: qua occasione glorificatur a patre voce cælitus delapsa, & ipse nonnulla ad Judæos differit, Joan. 12. vers. 20. usque ad finem cap.

20. Vespere urbe egreditur in Bethaniam, mane vero die sequente, id est, feria secunda rediens maledicit ficui. Die in docendo transacta redit iterum vesperi in Bethaniam, Matth. 21. vers. 17. Marci 11. vers. 11.

21. Postridie, hoc est, feria tertia cum rediret Jerosolymam, discipuli mirantur sicum aruisse. Itaque docet eos vim fidei & orationis, Matth. 21. vers. 20. & seqq. Marci 11. v. 20. In templum veniens, ac de potestate, qua ista faceret, interrogatus, perstringit Judæos: quod eum scientes nollent agnoscere, propositisque parabolis translationem regni Dei a Judæis ad Gentes prædicit, Matth. 21. v. 23. usque ad finem & initio capitis 22. usque ad vers. 15, Marci 11. vers. 27. usque ad finem & init. cap. 12. Lucæ 20. v. 1. usque ad 20.

22. Hinc irati cum manibus eum capere non auderent, conantur capere in sermone, obtundendo eum vafriis quæstionibus, de censu Cæsari solvendo, de conjugio post resurrectionem, de mandato maximo in lege: quibus solutis proponit eis & ipse quæstionem de Christo, an esset Filius David, Matth. 22. vers. 15. usque ad finem, Marci 12. a vers. 13. usque ad 38. Lucæ 20. a vers. 21. usque ad 45.

23. Tunc, cum jussisset Phariseos tamquam super cathedram Moysis sedentes audiri, gravissime invehitur in eorum vitia, vindictam comminatus divinam, & oëties *Væ* ingeminans, late toto cap. 23. Matth. breviter vero Marci 12. vers. 38. & Lucæ 20. v. 45. Post quem sermonem sedens contra gazophylacium præfert eleemosynam viduæ

pauperis, duo scilicet minuta, muneribus divitum, Marci 12. v. 41. Lucæ. 21 v. 1.

24. Templo egressus sub vespere discipulis structuram ejus mirantibus, prædicit excidium ejus; unde in montem usque progressus Oliveti, cum sedisset ex adverso, dat signa consummationis tam Jerusalem, quam totius sæculi: addens tamen, esse incertum diem adventus sui, adeoque omnibus vigilandum esse, quod declarat parabolis decem virginum, servorumque negotiantium, Matth. 24. toto cap. & 25. usque ad v. 31. Marci toto cap. 13. Lucæ cap. 21. a vers. 25. usque ad finem: quibus deinde formam judicii generalis subjungit, Matth. 25. versu 31. usque ad finem.

25. Feria quarta mane prædicit post biduum Pascha futurum, & se agendum in crucem, Matth. 26. v. 1. Marci 14. v. 1. & 2. Lucæ 22. v. 1. & 2. Eadem vero die paciscitur Judas cum principibus Sacerdotum, & cum Judæis magistri sui prodicionem, Matth. 26. v. 3. itemque 14. Marci 14. v. 20. Lucæ 22. v. 2.

26. Feria denique quinta discipulos duos mittit ad parandum sibi Pascha, dans eis indicium inveniendæ domus hominem amphoram aquæ bajulantem, Matth. 26. vers. 17. Marci 14. v. 12.

Lucæ 22- v. 7. usque ad 14. Atque hic sequitur quartum Pascha prædicationis, in quo & mortuus est: ita ut elapsi fuerint a baptismo ejus usque ad mortem, tres anni completi, & fere tres menses.

QUARTUM PASCHA. SERIES PASSIONIS CHRISTI,

Mors, Resurrectio usque ad Ascensionem ejus.

Feria quinta sub vesperam, qua incipiebat dies primus Azymorum seu festum Paschatis, comedit cum discipulis in Cœna agnum Paschalem, Matth. 26. v. 20. Marci 13. v. 16. Lucæ 22. v. 14. qua cœna absoluta lavit eorum pedes, Joan. 13. v. 1. usque ad 21. Et mox instituit, ac tradit eis Sacramentum Corporis & Sanguinis sui Matth. 26. v. 26. Marci 14. v. 22. L. 22. v. 17.

2. Deinde prædicit, ab uno eorum hac ipsa nocte se prodendum esse, quod Matth. cap. 26. v. 21. Marc. 14. v. 18. anticipando velut ante cœnam narrant: Lucas vero cap. 22. v. 21. & Joan. cap. 13. v. 21. ordine recto post cœnam. Itaque Judas buccella intincta designatus præceps egreditur, Joan. cap. 13. v. 26. Hac prædictionis occasione discipuli contendunt inter se, quis eorum videretur esse major, & consequenter a prodicione alienior: quorum studium præ-

præposterum commendata eis humilitate reprimat Luc. 22. v. 24. usque ad 31. additoque mandato novo mutue dilectionis, Joan. 13. v. 34.

3. Hinc pro Petri fide se orasse dicens jactanti constantiam suam prænuntiat trianam negationem, Luc. 22. v. 31. usque ad 38. Joan. 13. v. 36. usque ad finem. Post hujusmodi triste vaticinium humanissime consolatur & erigit eorum animos prolixo sermone, Joan. toto cap. 14. 15. & 16. quem complevit oratione ad Patrem sua pro Apostolis, & pro omnibus credituris, ibid. toto c. 17.

4. Dehinc egressus domo versus montem Olivarum, omnes scandalum eadem nocte passuros prædicit, Petroque arrogantius iterum glorianti, eum cæteris gravius peccaturum. Matth. 26. v. 31. usque ad 36. Marci 14. v. 27. transitoque torrente Cedron, venit in hortum villæ Gethsemani, Matth. 26. v. 36. Marci 14. v. 32. Luc. 22. v. 39. Joan. 18. vers. 1.

5. Hic assumptis tribus Apostolis summam animi tristitiam patefacit, ter orat, sanguinem sudat, de cælo confortatur, dormientes excitat, prædicit, adesse proditorem, obviam ei procedit, Matth. 26. v. 36. usque ad 50. Marci 14. v. 22. usque ad 45. Lucæ 22. v. 39. usque ad 47. Cum totam turbam proditori adiunctam uno verbo prostravisset, Joan. 18. v. 5. excipit osculum Judæ, vetat Apostolos capi: capi-

tur ipse, Petrusque Malchi auriculam amputans, atque ipsi Judæi reprehenduntur, Matth. 26. v. 49. usque ad 56. Marci 14. v. 45. Lucæ 22. v. 47. usque ad 54. Joan. 18. v. 10. Quibus visis fugiunt discipuli, atque adolescens aliquis tumultu excitatus, abjecta sindone, profugit nudus, Matth. 26. v. 56. Marci 14. v. 50.

6. Captus Jesus Annæ primum sistitur, hinc ad Caipham ducitur, quo & Petrus eum secutus per alium discipulum intromittitur. Hic primum examinatus Jesus de doctrina & discipulis, libereque respondens alapam accipit a ministro, Joan. 18. v. 13. usque ad 25. Deinde falsis testibus impetitus, & Pontificis admiratione confessus, se esse Christum, reus mortis decernitur, Matth. 26. v. 29. usque ad 66. Marci 14. v. 55. usque ad 65.

7. Dum hæc fiunt, Petrus ad ignem agnitus ab ancillis ministrisque ter splendide negat, se nosse Christum, donec gallo cantante ad se reversus flevit amare, Matth. 26. v. 69. usque ad finem, Marci 14. v. 66. usque ad finem, Luc. 22. v. 55. usque ad 63. Joan. 18. v. 17. Jesus vero jam condemnatus variis ludibriis exagitur, Matth. 26. v. 67. & 68. Marci 14. v. 65. Luc. 22. v. 63.

8. Mane iterum sistitur concilio, & persistens in confessione, quod esset Christus, iterato condemnatur, Luc. 22. v. 66. usque ad finem, atque ita interficiendus & vinctus a toto concilio ducitur ad Pilatum, Matth.

Matth. 27. v. 1. Marci 15. v. 1. Lucæ 23. v. 1. Joan. 18. v. 28.

9. Videns ergo, eum damnatum esse, Judas, & pœnitentia ductus, laqueo se suspendit, abjectis prius in templum argenteis, quibus ager figuli emitur in sepulturam peregrinorum, Matth. 27. v. 3.

10. Cum vero Judæi Jesum accusare detrectarent, ut qui judices ejus fuissent, Pilatus autem nollet eum occidere, nisi causa cognita, Joan. 18. v. 29. usque ad 33. tandem accusant eum de variis, & potissimum quod se Christum Regem esse diceret. Luc. 23. v. 2. De quo latius & seorsim a Pilato interrogatus fatetur se Regem esse, non tamen quales sunt Reges hujus mundi, Matth. 27. v. 11. Marci 15. v. 2. Lucæ. 23. v. 3. & maxime Joan. 18. v. 33. usque ad 38.

11. Egressus Pilatus renuntiat, se nullam invenire in eo mortis causam, Lucæ. 22. v. 4. & Joan. 18. v. 38. Cum vero adhuc obtunderent aures Præsidis accusando, semel factus Jesus nihil amplius respondit, non sine magna Præsidis admiratione, Matth. 27. v. 12. usque ad 15. Marci 14. v. 3. Tandem nova calumnia clamant esse turbatorem populi a Galilæa usque Judæam. Quo audito, quod esset Galilæus, ut Pilatus a causa molesta se expediret, mittit eum ad Herodem Tetrarcham Galilææ qui spretum albisque indutum remisit ad Pilatum. Luc. 23. a v. 5. usque ad 13.

12. Rursus igitur Pilatus eum innocentem esse etiam Herodis iudicio denuntians, profitetur, se eum dimissurum adhibita non nulla castigatione, Luc. 23. v. 13. ante quam tamen alium liberandi modum tentat, componendo eum cum Barabba homine facinoroso, vix dubitans innocentem præ latrone ex eorum votis esse liberandum: sed multum licet renitente Præside ac disputante, Barabbas præligitur, Jesus ad crucem postulatur, Matth. 27. v. 15. Marci 15. v. 6. Luc. 23. v. 17. Joan. 18. v. 39.

13. Spe itaque frustratus Pilatus Jesum jubet flagellari: quo facto a tota militum cohorte exuitur, spinis coronatur, illuditur, populo a Pilato ostenditur, ut misero illo spectaculo flecterentur, Matth. 27. v. 26. Marci 15. v. 15. Joan. 19. vers. 1. Sed indomita ferocia pergunt eum, succensente Pilato, ad crucem poscere. Ut vero clamores suos etiam ratione fulcirent, dicunt eum esse mortis reum, eo quod se Filium Dei fecisset. Quo examinato cum Pilatus eum ex timore vellet dimittere, invidiam læsæ majestatis Cæsaris ei concitant: qua fractus Pilatus tandem injustitiæ dedit manus, sedens pro tribunali, ut eum damneret, Joan. 19. v. 7. usque ad 14.

14. Sedens igitur jam in procinctu ad ferendam sententiam monetur ab uxore, ut a negotio iusti istius abstineret, Matth. 26. v. 19. Itaque Pilatus, iterum disceptans pro ejus liberatione, ut est Joan.

19. v. 14. & 15. tandem nihil proficiens lavat manus coram omni populo : quo sanguinis ejus reatum sibi filiisque suis imprecante , adjudicat fieri petitionem eorum , tradens eum crucifigendum , Matth. 27. v. 24. & 25. Lucæ 23. v. 24.

15. Damnatus ducitur a militibus cruce onustus extra civitatem : quo cum venissent , crucem , ut expeditius incederet , Simoni Cyrenæo imponunt , Matth. 27. v. 31. Marci 5. vers. 20. & 21. Lucæ 23. v. 26. Cum vero turba populi ac mulierum lamentantium sequeretur , ad eas conversus prædicit ultionem ipsis , ac earum filiis imminentem , Luc. 23. v. 27. usq. ad 33.

16. Ad montem Calvariæ ubi venit , propinatur ei vinum myrrathum felle mixtum ; gustatum vero quale esset noluit bibere , Matth. 27. v. 33. & 34. Marci 15. v. 22. & 23. Hinc crucifigitur , oratque pro crucifixoribus , Lucæ 23. v. 33. & 34. Cruci additur titulus causæ , Matth. 27. v. 37. Marci 15. v. 26. Lucæ 23. v. 38. Joan. 19. v. 19. quem scriptum Pilatus non vult mutare , Joan. 19. v. 20. & seqq. Ut vero major esset ignominia , crucifiguntur cum eo hinc & inde duo latrones , Matth. 27. vers. 38. Marci 15. v. 27. Lucæ 23. v. 33. Joan. 19. vers. 18.

17. Milites partiuntur inde coram ipso vestimenta ejus , Matth. 27. v. 35. Marci 15. v. 24. Lucæ 23. v. 34. Joan. 19. v. 23. & 24. Populus vero spectans , & Pontifices ,

ces, & milites ei insultabant morienti, variaque exprobrabant, Matth. 27. v. 39. usque ad 44. Marci 15. v. 29. usque ad 33. Lucæ 23. v. 35. Cum vero & alter latronum hoc faceret, alter eum reprehendit, Jesum agnoscit Dominum suum, ab eo paradisi promissionem impetrat, Lucæ 23. vers. 39. usque ad 44. Hinc matrem adstantem cruci commendat discipulo presenti, quem diligebat, Joan. 19. v. 25. & seqq.

18. Interim dum hæc fierent, ab hora sexta, qua crucifigebatur, factæ sunt tenebræ usque ad horam nonam, Matth. 27. v. 45. Marci 15. v. 33. Luc. 23. v. 44. circa quam horam exclamavit, *Eli, Eli, M.* 27. vers. 46. Marci 15. vers. 34. Cumque eodem tempore dixisset, *Sitio*. Joan. 19. vers. 28. milites hoc in risum vertentes, acetumque offerentes, interpretantur eum *Eliam* invocare, Matth. 27. v. 47. Marci 15. v. 35. Lucæ 23. v. 36. Accepto aceto dixit, *Consummatum est*, Joan. 19. v. 30. Iterum vero clamans voce magna, *In manus tuas commendo spiritum meum*, inclinansque caput expiravit, Matth. 27. v. 50. Marci 15. v. 37. Lucæ 23. v. 47. Joan. 19. v. 30.

19. Interim velum templi scissum est, terra mota, petra dirupta, sepulchra aperta sunt: ex quibus Centurio agnoscit Filium Dei: cæteri tundentes pectora revertuntur, Matth. 27. v. 51. usque
ad

ad 55. Marci 15. v. 38. & 39. Lucæ 23. v. 45. & iterum 47. & 48. Judæi vero propter instans sabbatum impetrant, ut crucifixorum crura frangerentur: quod fit latronibus, non Jesu, quia jam mortuo: sed lancea aperitur latus ejus Joan. 19. v. 31. usque 38.

20. Itaque jam vespere Joseph ab Arimathæa obtenta venia deponendi corporis, illud condit aromatibus, sindone involvit, adjutus a Nicodemo sepelit in horto, in monumento suo novo, observantibus locum mulieribus, Matth. 27. v. 55. Marci 15. v. 42. usque ad finem, Lucæ 23. v. 50. usque ad finem, Joan. 19. v. 38. usque ad finem. Postridie, hoc est, ipso die sabbati, cum consensu Pilati, Pharisei sigillo muniunt os sepulchri, & custodes apponunt, ne furto sublatus resurrexisse diceretur, Matth. 27. v. 56. usque ad finem.

Resurrectio.

Vesperi finito sabbato mulieres parant aromata, & postridie prima sabbati, hoc est, die Dominica summo mane, albescente jam cælo veniunt ad monumentum, ut corpus ungerent, Matth. 28. v. 1. Marci 16. v. 1. Lucæ 24. v. 1.

Joan. 20. v. 1. Appropinquantibus Angelus descendens cum terræ motu tollit lapidem a sepulchro, & sedit super eum, quo custodes exteriti fiunt velut mortui, Matth. 28. v. 2. Marci 16. v. 3.

22. Mulieres jubet animo securo esse, nuntiansque, Jesum surrexisse, hortatur ingredi (quod & fecerunt) ut videant locum corpore vacuum, & hoc discipulis annuntient, Matth. 28. v. 5. Marci 15. v. 5. Lucæ 24. v. 3. Illæ consternatæ egrediuntur monumento, & mox inveniunt duos Angelos, qui eis idem dicunt, easque increpant paulo durius, Lucæ, 24. v. 4. usque ad 9. Nuntiant illæ Apostolis, corpus esse sublatum, & Angelorum visionem sibi apparuisse, qui dicunt, Jesum vivere. Quare Petrus & Joannes currunt, ut rem explorent, & non invento corpore vere illud sublatum esse credunt, Lucæ 24. vers. 9. usque ad 13. Joan. 20. v. 2. usque ad 10.

23. Maria cum Apostolis reversa perstat plorans in quærendo corpore, videt duos Angelos, & mox ipsum Dominum, putans esse hortulanum, Marci 16. v. 9. Joann. 20. v. 11. usque ad 18. Quod cum Apostolis narratura in urbem cum cæteris mulieribus festinaret, obvium habuerunt omnes Jesum, Matth. 28. v. 9.

24. Interea custodes in urbem veniunt, acceptaque pecunia spargunt cor-

corpus a discipulis furto sublatum, Matthæus 28. vers. 11. usque ad 16. Cum vero necdum crederent Apostoli mulieribus, apparet Dominus Petro, Lucæ 24. v. 34. nec non duobus discipulis euntibus in Emaus, Marci 16. v. 12. & fusius Lucæ 24. v. 13. usque ad 36. qui cum reversi in Jerusalem Apostolis congregatis apparitionem illam narrarent eadem illa die, prima sabbati, seu dominica vesperi, stetit Jesus in medio eorum absente Thoma, ostenditque eis manus, latus; denique comedit cum eis, ac bibit, Marci 16. v. 14. usque ad 19. Lucæ. 24. vers. 39. usque ad 50. Joan. 20. v. 19. usque ad 24.

25. Cum autem Thomas Apostolis non crederet, octavo post die eisdem apparet, ac Thomæ manus, ac latus palpandum offert, Joan. 20. v. 24. usque ad 30. Deinde discipuli in Galilæam ex mandato Domini profecti vident eum piscantes ad mare Tiberiadis: prandent cum eo; & Petrus totius ovilis, hoc est, Ecclesiæ, curam accipit, Joan. 21. v. 1. usque ad 24. Denique vident eum in monte sibi per eum constituto in Galilæa, Matth. 28. v. 16. ubi docet eos, omnes potestatem sibi esse traditam. Baptismi formam tradit, signaque credentes secutura, ibid. v. 16. & Marci 16. v. 15. usque ad 19.

Ad extremum conversatus cum eis per dies quadraginta locutusque de regno Dei, die tandem quadagesimo educit eos in Bethaniam, montemque Oliveti, & repressa eorum curiositate de tempore, quo restitueretur regnum Israeli, elevatis manibus benedicens eis ascendit in cœlum, Marci 16. v. 19. Luc. 24. v. 50. Actor. 1. v. 6. & seqq. Ubi jam sedet ad dexteram Patris cooperans prædicatoribus Evangelii sui, sermonemque confirmans sequentibus signis, Marci 16. v. 19. & ultimo.

FINIS.



INDEX.

A.

A b præpositio pro, *Præ*, L. 18. v. 14.
Abilina ab Abila civitate dicta, L.
3. v. 1.

Ab Abraham cur inchoetur genealogia
Christi. Mat. 1. v. 2. Abraham pater cre-
dentium, L. 16. v. 22. Abraham quo-
modo diem Christi vidit, J. 8. v. 56.

Abnegare seipsum diversimodè sumitur,
Mat. 16. v. 24.

Abominationem desolationis quidam
putant Antichristum, Mat. 24. v. 15. A-
liæ opiniones, ibid.

Absolutio sacramentalis non est pura
declaratio peccati remissi, J. 20. v. 23.
Est actus judicialis præsupponens confes-
sionem accusatoriam, ibid.

Acetum cur paraverant, & cur quæri-
tur audito *Eli Eli, &c.* Mat. 27. v. 48.

Adam quomodo Dei Filius, L. 3. v. 38.

Adar mensis, cui mensi nostro respon-
deat? J. 10. v. 22.

Adomim latrociniiis celebre, L. 10. v. 29.

Adoptivus filius non odit naturalem, J.
8. v. 42.

Adorare pro sacrificare, J. 4. v. 20. & 23.

Adventus Christi toti mundo erit con-
spicius, Mat. 24. v. 27. Adventus Chri-
sti duplex. Mat. 17. v. 12. Adventus Chri-
sti duplex a Judæis confusus, J. 1. v. 21.

INDEX.

Adventus Christi ad iudicium particulare
in morte uniuscujusque J. 14. v. 3.

Adultera ad Christum adducitur, J. 8.
v. 2. & seqq.

Adulterium non est causa sufficiens ad
uxorem dimittendam, & aliam ducen-
dam, Mat. 19. v. 9.

Ægypto quid profuerit confugium
Christi, Mat. 2. v. 13. Quamdiu ibi man-
ferit, incertum, Mat. 2. v. 15.

Æs vocatur omnis pecunia, Mar. 12.
v. 41.

Affectum dantis potius respicit Deus,
quam rei datæ magnitudinem, Mat. 10. v.

42. Affectus terreni excecant Mat. 13.
v. 15. Affectus vitæ melioris per solici-
tudinem sæculi extinguitur, Mat. 13. v.

22. Affectibus propriis valedicendum,
Mat. 16. v. 24. Affectus humanos cur

Christus assumpserit, Mat. 26. v. 36.

Affirmandi modus modestus, Mat. 26.
v. 25.

Agnus vespere solitus comedi, Matth.
26. v. 20. Immolari vero circiter hora

tertia pomeridiana: a ibid. Agnus paschalis
præfigurabat Christum, J. 1. v. 29. Per

Agnos bis repetitos designantur duo po-
puli, Judaicus & Gentilis: per *Oves* Epis-

copi & Pastores, J. 21. v. 15.

Alabastrum non a mensura, sed a ma-
teria dictum, L. 7. v. 37.

Alapa & *Colaphus* quid differant, J. 18.
v. 22.

INDEX.

Albedo vestium Christi in transfiguratione erat fulgor transparentis luminis, Mat. 17. v. 2.

Aliis faciendum, quod nobis fieri volumus, Mat. 7. v. 12.

Allegorica explicatio sanatorum cecorum, Mat. 20. v. 31. Ficus Mat. 21. v. 19. Culicis & cameli, Mat. 23. v. 24.

Aloë sua amaritudine resistit putrefactioni, J. 19. v. 39.

Altare Thymiatis in sanctuario, non in Sancto sanctorum fuit, L. 1. v. 9.

Amare animam suam in hoc mundo, quid? J. 12. v. 25.

Ambitionis cupiditas taxatur & amputatur, L. 14. v. 7 seqq.

Ambitiosa contentio discipulorum, Mat. 18. v. 1. Quæ ejus causa? ibid. Ejus repressio v. 3. Mat. 20. v. 24.

Amen, Amen, pro certo certius, J. 1. v. 51. & J. 8. v. 34.

Amicitia sincera non quarit proprium commodum, sed amici, J. 14. v. 28.

Amicus vocatur amico animo invitatus, Mat. 22. v. 12.

Amor Christi erga suos electos, J. 13. v. 1. Amor sui impedit amorem Christi, Mat. 10. v. 39.

Anabaptistæ refelluntur, Mar. 16. v. 16.

Andreas frater Petri, Mat. 10. v. 2.

Andree Apostoli auctoritas apud Jesum, J. 12. v. 22.

INDEX.

Angariare quid? Mat. 5. v. 41.

Angelum cust. habent homines, Mat. 18. v. 10. Angeli custodis officium, Mat. 18. v. 11. Angeli Christo ministrant, Mat. 4. v. 11. Item J. 21. v. 9. Angelorum ministerium circa animas justorum, L. 16. v. 22. Angeli ministerio lapidis revolutus a sepulchro, Mat. 28. v. 2. Angeli cur meliores? Mat. 13. v. 30. Angelis in quo erunt homines similes in celo, Mat. 22. v. 30. Angelus cur in templo, juxta altare, & a dextris apparuit Zachariæ? Lucæ 1. v. 11. Inter bonorum & malor. Angelorum apparitiones discrimen, Lucæ 1. v. 13.

Anima sumitur pro vita temporali, Mat. 6. v. 25. Aliæ ejus acceptiones, Mat. 10. v. 39. Anima diligens justitiam & dominans passionibus est spiritualis regina Lucæ 17. v. 21. Animæ humanæ immortalitas, Lucæ 13. v. 46. Ex hac colligitur resurrectio, Mat. 22. v. 32.

Animus hominis Deo semper inhærere debet, J. 8. v. 29.

Annas Pontifex quinque filios habuit Pontifices, Lucæ 3. v. 2. Annas socer Caiphæ Pontificis, J. 18. v. 13. An simul cum Caipha pontificatum gesserit, Lucæ 3. v. 2. Annæ prophetissæ castitas virginalis, conjugalis, & vidualis, Lucæ 2. v. 36. & 37.

Annorum Christi computus vulgaris quo brevior, Lucæ 3. v. 23. Annus Julia-

INDEX.

Hanc correctionis quo natus est Christus, ibid.

Annulus ornatus hominis liberi & locupletis, Lucæ 15. v. 22.

Antequam quid importet, Mat. 1. v. 18

Antichristi adventus prædicatur, J. 3. v. 43.

Apex de lege non cadit quin impleatur, Lucæ 16. v. 17.

Apostolus quid significet, Mat. 10. v. 1.

Apostoli cur duodecim, Mat. 10. v. 2. Eorum nomina, ibid. & vers. seqq. Sustinent personam Christi, Mat. 10. v. 40.

Constantia probatur, Mat. 14. v. 24. Quæ ratione Christus iis omnia nota fecerit, J. 15. v. 15.

An elegerint Christum? J. 15. v. 16. Non erant de mundo, & quæ ratione? J. 17. v. 14. & 16.

Sunt lux mundi duobus modis. J. 17. v. 18. Turbantur ex verbis Christi, Mat. 15. v. 14.

Ordinantur orbis doctores, & mysteriorum Dei ministri, J. 20. v. 21.

Ordinantur sacerdotes, L. 22. v. 19. Comparantur ovibus, serpentibus, columbis, Mat. 10. v. 16.

Datur illis potestas jurisdictionis quoad forum poli, J. 20. v. 21. Prohibentur arma ferre, Mat. 10. v. 10.

Eorum munus & officium, Luc. 24. v. 48. Apostolorum præcipui, ceterisque capaces, Mat. 17. v. 1.

Fides eorum imperfectior quam esse debuisset, Mat. 17. v. 18.

Magis Christo familiares, Mat. 26. v. 37.

Apostolorum piscatio, J. 21. v. 11.

INDEX.

Apostolus quisque suum thronum habebit,
Mat. 19. v. 28.

Apparitionum ordo Mat. 28. v. 5.

Apud, præpositio distinctionem saltem
personalem importat. J. 1. v. 1.

Aquæ in vinum per Christum conversæ
allegoria, J. 2. v. 11. Aqua e latere
Christi profluens, vera fuit, J. 19. v. 34.
Aquæ & sanguinis fluxus e cadavere mi-
raculosus est, ibid. Aquæ & sanguinis e
latere Christi fluentis allegoria, J. 19. v.
35.

Arbor bona & mala quæ dicatur? Mat.
7. v. 17.

Archelaus quando regnavit in Judæa?
Mat. 2. v. 22.

Archisynagogus pro synagogæ præ-
fecto, Lucæ 13. v. 14.

Architriclinus convivii præfectus, quod
ejus officium? J. 2. v. 8.

Argumenta septem inducentia ad per-
manendum in Christo, J. 15. v. 11. Ar-
gum. Christi a majori, Mat. 12. v. 4. a
minori, Mat. 12. v. 12. item v. 36. & cap.
18. v. 14. a concessis, Mat. 12. v. 27. a
simili, Mat. 12. v. 29. ex illo principio,
Propter quod unum quodque est tale. Mat. 23.
v. 18. Argum. Christi ineluctabile ex na-
turis rerum petiit, Mat. 12. v. 33. Ar-
gum. Christi pro resurrectione ex Scriptu-
ra desumptum examinatur, Mat. 22. v. 32.

Arrogantia non ita cavenda ut veritas
relinquatur, J. 8. v. 55.

Ar-

INDEX.

Arti magicae imputantur Pharisei expulsi-
onem demoniorum, Mat. 9. v. 34.

Articulus voci. *Deus*, additus indicat
eam sumi pro persona, J. 1. v. 1.

As quid? Mat. 10. v. 29.

Asinam cur queri curaverit Christus?
Mat. 21. v. 3. Simul etiam habuit asinum,
ibid. v. 5.

Ascensio Christi cum aliquot circum-
stantiis describitur, L. 24. v. 51.

Assumptio pro ascensione, L. 9. v. 15.

Assumptus ad coelum cur dicatur Chri-
stus? Mar. 16. v. 19 quo fine? ibid.

Attentia est vitiosa prudentia L. 16. v. 8.

Atrium gentium in templo Hierosoly-
mitano J. 12. v. 20.

Avaritiae cunctatio amputatur, L. 6. v.
38. & L. 12. v. 15.

Avarus quis dicendus? L. 12. v. 15.

Auctoritatem & fidem conciliaturum se
Apostolis Christus promissit, Mar. 16. v.

17. Auctoritatem publicam iudicis Chri-
stus non contemnit, Mat. 26. v. 63. & c.
27. v. 14.

Audire pro obedire, J. 5. v. 24. & c. 10.
v. 27. Audire & discere, quomodo diffe-
rant? Joan 6. v. 45.

Ave qualis salutatio, & quid significet,
L. 1. v. 28.

Aures audiendi ipsum sunt donum obe-
diendi, L. 14. v. 35.

Azymorum dies septem, L. 2. v. 43. Azymis

INDEX.

mis Christus usus est instituendo SS. Sacramentum, Mat. 26. v. 17.

B

Baptismus pro martyrio usurpatur, J. 12 v. 27. Baptismus Joannis, Mat. 3. v. 11. is in magna opinione apud Judæos, J. 1. v. 25. ejus inefficacia ad spiritualia dona conferenda, J. 1. v. 26. & 13. De baptismo Joannis quæstio, Mat. 21. v. 25. De baptismo Joannis & Christi contentio, J. 3. v. 25. Baptismi materia & forma, Mat. 28. v. 19 Baptismi aqua in regeneratione substituit vicem matris, Spiritus sanctus, patris, J. 3. v. 5. Baptismus parvulorum, Mar. 16 v. 16. Baptismus pro passione usurpatur, L. 12. v. 50.

Bartolomæi etymologia, Mat. 10. v. 3.

Batus mensura decimam partem Cori continens, L. 16. v. 5. 6. 7.

Beatitudo consistit primario in fructiva visione Dei, J. 17. v. 24. Cur vita dicatur, Mat. 25. v. 46. Beatitudines Evangelicæ, Mat. 5. v. 3. Beatitudo æterna cur cœna appelletur, L. 14. v. 17.

Beelzebub unde dicatur, Mat. 10. v. 25.

Bellum duplex prædicitur, Mat. 14. v. 6. Quæ bella præcesserint excidium Jerosolymitanum, Mat. 24 v. 7. Belli seu dissensionum non causa, sed occasio fuit Christus, Mat. 10. v. 34. Belli filix pestis & fames, Mat. 24. v. 7.

INDEX.

Benedictio panis ipsa est consecratio, Mat. 26. v. 26.

Benefactores etiam invitos laudare debemus, Mar. 7. v. 36.

Beneplacitum Dei est lex omnis æquitaris, Mat. 11. v. 26.

Benignitas summa Dei sibi factum reputantis, quod Ecclesiæ membris factum est, Mat. 25. v. 35. & pro fratribus pauperes agnoscens, etiam eum sedet in throno judicis, ibid. v. 40.

Bethania duplex, quarum una dicitur Bethabara J. 1. v. 28. Bethania castellum Mariæ & Marthæ quantum differt Jerosolyma, J. 11. v. 18.

Bethleem domus panis interpretatur, L. 2. v. 4.

Bethphage villula Sacerdotum, Mat. 21. v. 1.

Bethsaida ubi sita, J. 1. v. 44. item Mat. 11. v. 21.

Beze errores notantur, Mat. 3. v. 12. item cap. 10. v. 2.

Binarius numerus superfluitatem denotat, Lucæ 3. v. 11.

Binarii numeri allegoria, L. 10. v. 1.

Bini cur Apostoli enumerentur. Mat. 10. v. 2.

Blasphemia Spiritus quæ non remittitur, Mat. 12. v. 31.

Blasphemis decreta fuit poena mortis, I. 19. v. 7.

Boni & mali pastoris discrimen, J. 10. v. 11

INDEX.

Bonus naturâ suâ unus est Deus, Mat. 19. v. 16.

Brachium Domini, pro Christo usurpatur, & cur, J. 21. v. 38.

Buccella Judæ perrecta non fuit Eucharistia. J. 13. v. 26.

Byssus molliciem denotat, L. 16. v. 19.

C.

Cæci divulgant miraculum Christi contra ejus præceptum, Mat. 9. v. 31.

Cæcitas cordis peccatum est. poena & causa peccati, Mat. 13. v. 15. Differt ab obduratione cordis, ibid.

Cælum pro Dei memoria, seu libro vitæ sumitur, L. 10 v. 20.

Cæna Paschalis stando, usualis recumbendo peragebatur, J. 13. v. 2.

Cenaculum in quo, Christus celebravit Pascha, postmodum conversum in Ecclesiam Apostolorum, Mar. 14. v. 15.

Cæremoniæ Ecclesiæ in Extrema unctione, Mar. 6. v. 13.

Cadaveri cur se Christus comparet, Mat. 24. v. 18.

Cain occidendo fratrem, diabolum imitatus est. J. 8. v. 44.

Cainan an in Christi genealogia interlegendus L. 3. v. 36.

Caiphas Annæ gener, L. 3. v. 2. Ejus prophetia expenditur, J. 11. v. 51.

Caiphas est cognomen Principis Sacerdotum

INDEX.

sum, a quo Pontificatum acceperat, Mat. 26. v. 3. adjurat Christum, v. 63. proponit duo gravia accusationis Capita, ibid.

Calceamenta quid allegorice significant, L. 15. v. 22.

Calceos, non sandalia prohibet Christus, Mat. 10. v. 10.

Calix in Scriptura quid? Mat. 2. v. 22.

Calvinus exploditur, Mat. 13. & 14. v. 26. 28. 29. 36. item 21. v. 19. item 26. v. 26. 39. item 27. v. 46. Mar. 5. v. 33. & 34. Calvini iustitia imputativa exploditur, L. 1. v. 6. Temere à Apostolos carpit, L. 9. v. 55. Temere etiam reprehendit Ecclesiam, L. 11. v. 8. Ejus dogma de desperatione Christi impium; L. 23. v. 46. Ejus error de baptismi materia refellitur, J. 3. v. 5. item ejus error de præsentia Christi in Eucharistia, J. 6. v. 53.

Calumniæ Judæorum, Mat. 27. v. 42.

Cana duplex, una minor, alia major, prope Sidonem, J. 2. v. 1.

Capharnaum Mat. 4. vers. 13. quare vocetur Christi civitas, Mat. 9. vers. 1. ubi sita, Mat. 11. v. 21.

Caput Joannis dimidio regni Hero liati potius, Mar. 6. vers. 23. in convivium allatum, v. 27.

Caro quo sensu dicatur nihil prodesse, J. 6. v. 64. Caro Christi quomodo vere cibus, & sanguis vere potus, J. 6. v. 56. & seqq. Caro pro homine integro usurpatur, J. 1. v. 14.

INDEX.

Casseu mensis cui mensi nostro respondeat, J. 10. v. 32.

Castratio sui quæ bona, quæ mala, Matth. 19. v. 12.

Cathedra Moyfi quid, Mat. 23. v. 2. non permittebat Phariseos docere aliena a ratione, v. 3.

Cedron torrens ubi fluat. J. 18. v. 1.

Centurio fuit gentilis, Mat. 8. v. 10.

Confitetur Christum Filium Dei, Lucæ 23. v. 47.

Charitas facilis est, & omnia faciliat, Mat. 11. v. 30. Charitatis refrigerium quæ causabunt, Mat. 24. v. 12. Ejus venenum spes temporalium, Mat. 19. v. 21.

Christus numquam benedixit cibis, nisi cum singulare miraculum operari vellet, Mat. 16. v. 26. Christum se esse multi mentiti sunt, & adhuc mentientur, Mat. 24. v. 25. Christus non tribus guttis sanguinis circa cor Virginis, sed in utero virginali conceptus, Lucæ 1. v. 31. In Christi conceptione Deus supplebat vices viri, Lucæ 1. v. 35. Illa cur Spiritui sancto appropriata, Lucæ 1. v. 35. Christus cur fructus ventris virginalis dicatur, Lucæ 1. v. 42. Cur Oriens appelletur, Lucæ 1. v. 78. & 79. Quot diebus in utero hæserit, Lucæ 2. v. 6. Christus minor ætate S. Joanne, major in regno celorum, Mat. 11. v. 11. Cur dictus Emmanuel, Mat. 1. v. 23. Qualiter plenus veritate, J. 1. v. 14. item cap. 3. v. 34. A Patre, sicut essen-

INDEX.

sentiam, ita sapientiam & doctrinam accepit, J. 6. v. 16. Christus Filius Dei naturalis, unigenitus, Mat. 3. v. 17. Dactus a spiritu in desertum, Mat. 4. v. 1. Sanat omnem morbum, Mat. 4. v. 21. & 24. Perfecit legem veterem, Mat. 5. v. 32. Docuit sicut potestatem habens, Mat. 7. v. 29. Cur tetigit leprosum, quem mundavit, Mat. 8. v. 3. Sedat tempestatem, Mat. 8. v. 26. Sanat demoniacos, v. 28. paralyticum, Mat. 9. v. 2. Comparatur medico, 9. v. 12. Sponso v. 15. Resuscitat filiam Archisynagogi, v. 25. Sanat duos cæcos, v. 30. Item unum cæcum, Mar. 8. v. 24. Cæcum & mutum, Mat. 21. v. 22. Mutum & surdum, Mar. 7. v. 32. Lunaticum, Mar. 9. v. 17. Manum aridam, Mat. 12. v. 10. Cæcum a natiuitate, J. 9. v. 6. & seqq. Sanat ab epilepsia seu morbo comitiali, Marci 9. v. 17. Christus cur a Joanne baptizatus, Mat. 3. v. 13. 15. Christus excellenter præ aliis unctus, L. 2. v. 11. & 26. Pro Christo qui se venditarint, Mat. 24. v. 5. Quos discipulos baptizavit, J. 3. v. 5. & 6. Lavit pedes discipulorum a Petro incipiendo, J. 13. v. 5. & 6. Digito scripsit in terra, quid & cur ita scripserit, J. 12. v. 35. & seqq. Est ostium ovilis, & qua ratione, J. 10. v. 7. & 9. Pastor bonus, ibid. v. 11 & 14. Via veritas & vita, J. 14. v. 6. Comparatur gallinæ, Mat. 23. v. 37. Fulguri, Mat. 24. v. 27. Est caput

INDEX.

put Martyrum, Mat. 26. v. 66. Christus aliter in ruinam, aliter in resurrectionem multorum positus, Lucæ 2. v. 34. Est lux Gentium, & gloria Israelitarum, ibid. vers. 32. Ejus divinitas ex arcanorum notitia ostenditur, J. 2. v. 24. Libere & spontanee passus, J. 10. v. 18. & cap. 14. v. 31. Pro Judæis persequentibus oravit, L. 25. v. 34. Illius orationis efficacia, ibid. Clavis non funibus fuit crucifixus, Mat. 27. v. 35. Et cum corona, ibid. Item facie versus occidentem, dorso in Judæam, ibid. 27. v. 35. Cum eo crucifixi duo latrones, ibid. 38. Corroborat Apostolos, Mat. 28. v. 20. Factus est mons magnus implens totam terram, Daniel 2. relatus J. 3. v. 30. Hominibus aperuit portas cæli, J. 14. v. 2. Passus est feria sexta, primo die azymorum, J. 19. v. 14. & 31. Est Ecclesiæ sponsus, J. 3. v. 29. Caput Ecclesiæ ex Judæis & Gentilibus collectæ. Lucæ 24. v. 48. In Galilæam bis profectus, & quando, J. 4. v. 3. & 54. Appellatur salus, quia salutis auctor, ibidem vers. 22. Est salvator non Israelis tantum, sed totius mundi, ibid. vers. 42. Est Filius Dei non adoptivus, sed naturalis, J. 5. v. 18. In Emaus consecravit post resurrectionem, Lucæ 24. v. 30.

Cibus non ex natura sua coinquinat hominem, sed per accidens, Mat. 15. v. 11.

Circumcisio transit in legis Sacramentum,

INDEX.

tum, J. 7. v. 22. Poterat fieri domi & extra templum. Lucæ 1 vers. 59.

Cives civibus invidere naturale, Mat. 13. v. 57. L. 2. v. 4.

Civitas David duplex, L. 2. 4.

Per *Claves* intelligitur suprema potestas, Mat. 16. vers. 19.

Cœli quomodo aperti, Mat. 3. v. 16.

Cogitationes terrenæ ascendere, calestiens descendere dicuntur, L. 24. v. 38.

Cognatorum Christi infirmitas, Mar. 4. v. 21.

Communio sub utraque specie non omnibus præcepta, J. 6. v. 54. & 58.

Complacere quid, Mat. 3. v. 17.

Concilium Judæorum, Mat. 40. v. 17.

Concilium univrsum constabat 27. iudicibus, Mat. 27. v. 1. ejus nequitia, Mat. 28. v. 10. infelix astutia, v. 13. Conciliorum auctoritas, Mat. 18. v. 20.

Conciliantur Evangelistæ, Mat. 20. v. 29. item 21. v. 41. item 28. v. 17. Mar. 9. v. 39. item 15. v. 25.

Concordia commendatur, Mat. 18. v. 19.

Consistentium Deum præmium, Mat. 10. vers. 32. *Confiteri* & *profiteri* fidem diversa, ibid. *Confiteri* pro laudate, Mat. 11. v. 25.

Confessionis fidei ante Reges & Præsides exemplum, Mat. 26. v. 63.

Conjugium a Deo institutum, Mat. 19. v. 4. & quidem ita, ut unus unam uxorem habeat, ibid.

Con-

INDEX.

Conjunctio conjugalis arctissima, Mat. 19. vers. 5.

Conjuges una caro, ibid v. 5. & 6. Conjuges, quorum ætates junctæ centenarium numerum excedunt, nequeunt filios procreare, juxta August. L. 1. v. 7.

Consanguinei vocantur fratres, J. 7. vers. 3. & 5.

Conscientia quoque bona trepidabit in judicio, Mat. 25. v. 4. Conscientiæ munditiæ primo studendum, Mat. 23. v. 26

Consolatio pauperum, Mar. 12. v. 44.

Consolatio electorum, Mat. 24. v. 33.

Consolatio pro servis Christi, Mat. 27. vers. 63.

Continentiæ donum dat Deus, & quomodo, Mat. 19. v. 11.

Convivia celebrant antiqui in cœna, Mat. 23. v. 6.

Cor bona quid? Mat. 27. v. 6.

Correctio fraterna, Mat. 18. v. 15. Quomodo instituenda, ibid. Correctionis 4 gradus, Mat. 18. v. 16.

Cor totum opponitur cordi diviso & languido, Mat. 22. v. 37. Quomodo distinguatur ab anima & mente, ibid.

Cornu potentiam & robur designat, L. 1. v. 69.

Coronatio Christi non est facta jussu Pilati Mat. 27. v. 29.

Corpus & caro quomodo differant, J. 6. v. 51. Corpus pars vilior, Mat. 10. v. 28. Cor-

INDEX.

Corvi trans maria sentiunt cadaver ,
Mat. 24. v. 28.

Corus mensura continens decem cad-
dos, seu ephi, Lucæ 16. v. 5. & 6.

Credendi verbum dupliciter usurpatur,
J. 2. v. 24. Credendorum de Christo sum-
ma, J. 8. v. 13.

Crux Christi est omnium benedictio-
num fons, Lucæ 24. v. 50. Crucis suppli-
cium quibus decerni solitum, Mat. 27. v.
23. Quare hoc petierint Pontifices, ibid.
Crucis signum cur apparebit in extremo
Judicio, Mat. 24. v. 30. eam videntes qui
lamentabuntur, ibid.

Crudelitas conservi debitum exigentis,
M. 28. v. 28.

D.

Dæmon quomodo mutus dicatur, Mat.
9. v. 32. cur cœli volucris com-
paretur, Mat. 13. v. 19. Dæmonibus tor-
mentum est. eos relinquere, quos eli-
gunt, Mat. 8. v. 29. Dæmonis confessio
& testimonium verum, sed adulatorium,
Marci 1. v. 24. ei etiam vera dicenti non
est credendum, vers. 25. ejus rabies, v.
26. Dæmonis maleficio cæcus & mutus
sanatur, Mat. 12. v. 22. Dæmones ne-
quissimi non ejiciuntur nisi per orationem
& jejunium. Marci 9. v. 28. Dæmones
septem ejecti ex Maria Magdalena, Mar.
16. v. 9. Dæmones per ordines distribu-

INDEX.

ti, L. 13. v. 11. Dæmonum ministerium circa animas reproborum, L. 16. v. 22.

Damnati an diligant vivos carnaliter propinquos, ibid. v. 28.

Dare gloriam Deo, quid? J. 9. v. 24.

Datum & Commendatum quomodo differant, L. 12. v. 48.

David excusatur, Mat. 12. v. 4. Davidis filius Christus cur specialiter dictus, Mat. 1. v. 1. Emphatice bis consequenter Rex dicitur, ibid. v. 5.

Deliciis terrenis immerfus animus cæcos reddit homines ad res divinas, Mat. 13. v. 15.

Demonstrare, pro generare: & videre, pro nati J. 5. v. 20.

Denariorum duplex genus, L. 7. v. 41. Item J. 6. v. 7.

Deprecatio parum impetrat, nisi operum accessione farciatur, J. 15. v. 7.

Descendere de cruce cur noluit Christus, Mat. 27. v. 42.

Dei proprium nomen est, *Esse*, J. 13. v. 19. Deus est in mundo per essentiam, potentiam, & præsentiam, J. 1. v. 10. Deus non deserit, nisi deseratur, J. 15. v. 4. Dei unitas exponitur, J. 17. v. 8. Deus quo sensu peccatores non audiat, J. 9. v. 31. Continuo operatur conservando & gubern. mundum non tamen violat fabatum, J. 5. v. 17. Deus multis titulis dicitur verus, J. 7. v. 28. Dei permissio non abstergit peccatum permisarii, J. 19 v.

INDEX.

V. 11. Deus si falli, aut mentiri posset, omnipotens non esset, L. 1. v. 37. Deus foeneratori & creditori comparatur, L. 7. v. 41. Deus appellatur homo, quia hominum amator, L. 14. v. 17. Deus poenitentibus blanditur, L. 15. v. 20.

Dextrum navigii quid, J. 21. v. 6.

Diabolus primum hominem seducendo totum genus humanum occidit J. 8. v. 44. In veritate fuit, sed in ea non stetit, ibid. Tentat Christum, Mat. 4. v. 3. Spiritualiter facit homines mutos & cæcos, Mat. 12. v. 22. Majori fervet odio contra eos, ex quibus pulsus est, ibid. v. 44. Cur princeps hujus mundi appelletur, J. 12. v. 31. & cap. 14. v. 30. Ei cui dicatur ignis præparatus, Mat. 25. v. 41.

Dicere & loqui, quomodo differant, J. 12. v. 49.

Dies, pro tempore vitæ præsentis: nox, pro morte sumitur, J. 9. v. 4. Dies Christi, pro tempore, quo vixit hic mortalis, J. v. 56. Dies festi incipiebant a vespera in vesperam, Mat. 26. v. 17. Dies festus Judæorum sumitur antonomastice pro Paschate, J. 5. v. 1. Diem qualiter Romani dividebant, Mat. 20. vers. 2.

Diffidentiae sollicitudo amputatur, L. 6. v. 38.

Dilectio amicorum & dilectio inimicorum comparantur, J. 15. v. 13. Dilectio qua Christus dilexit Patrem, est heroica J. 14. v. 31. Dilectio qua Christus dilexit o-

INDEX.

ves suas, quàm eximia, J. 10. v. 15. Dilectio fraternâ est symbolum discipulatus Christi, J. 13. v. 35. Dilectionis mutue præceptum cur dicatur novum, J. 13. v. 34. Dilectio divina est fons omnium beneficiorum, J. 17. v. 24. Dilectionis proximi mandatum præfertur omnibus sacrificiis, Mar. 12. v. 33. Dilectio sui non propter Deum, non est vera sui dilectio Mat. 22. v. 39. Diligendi amici & inimici, Mat. 5. v. 43. & 44. Diligendus super omnia cur Deus? Mat. 22. v. 37.

Dionysiana Epochâ non planè exacta, L. 3. v. 23.

Discipulatus Christi quid postulat, L. 14. v. 33.

Discipuli Christi baptizant baptismo non Joani, sed Christi J. 4. vers. 2. Sunt Sal terræ, Mat. 5. v. 13. Lux mundi, v. 14. Civitas supra montem posita, ibid. Lucerna, v. 15. Oves inter lupos. Mat. 10. v. 16. Comparantur panno rudi, & utribus antiquis, v. 16. Fiunt Apostoli, Mat. 10. v. 18. Eorum ruditas, Mat. 15. v. 32. Cor obcæcatum, Mar. 6. v. 52. Discipuli Christi nomen non meretur, qui patrem doctrinæ Christi præfert, Mat. 10. v. 37. Discipuli Joannis narrant miracula Christi cum quadam æmulatione, Mat. 11. v. 3. Eorum incredulitas prudenter dissimulatur a Christo v. 4. Discipuli proficiscentes in Emaus cur Christum non noverint, L. 16 v. 24. Fide in Christum & spe exciderant,

L.

INDEX.

L. 24. v. 21. Discipulus verus est qui finem discipulatus assequitur, J. 15. v. 8.

Ditioribus magis datur, pauperibus semper aufertur, Mat. 13. v. 12.

Divinitas Christi variis prodigiis significata in morte ejus Mat. 27. v. 53. Agnita a multis, v. 54.

Divitiæ quare fallaces, Mat. 13. v. 22. Non possidentur a nobis pleno jure, Luc. 16. v. 12.

Divites invitare an prohibitum, L. 14. v. 12. & seqq. Divitibus quare difficile intrare in regnum cœlorum, Mat. 19. v. 23. & 24. Divitis epulonis & Lazari historia, L. 16. v. 19. & seqq.

Doctrina Evangelica comparatur grano sinapis, Mat. 13. v. 31. Fermento, propter virtutem, v. 33. Thesauro abscondito, propter inæstimabile pretium ejus, v. 44. Ea non est jactanter ostendenda, Mat. 13. v. 44. Doctrinam Christi obstupefcunt turbæ, Mat. 7. v. 29.

Dominari in malam partem sumitur, Mat. 20. v. 29.

Dominicus dies ab Apostolis sanctificatur, J. 20. v. 26.

Dominis duobus servire nemo potest, Mat. 6. v. 24. Dominus cur absolute vocari voluit Christus, Mat. 21. v. 3.

Donum Dei, quo auditur, non omnes habent, Mat. 11. v. 15. & cap. 13. v. 9.

Dona Dei qua lege dentur, Mat. 25. v. 20. & seqq. Dona hujus vitæ quamvis sint

INDEX.

maxima, parva tamen sunt respectu futurae, Mat. 25. v. 20. Donis auctis augentur rationes donorum, L. 12. v. 48.

Dormitare & dormire quomodo differant, Mat. 25. v. 5.

Drachma quid? Mat. 17. v. 20.

Didrachmus quid? ibid.

Duodenarius numerus universitatem significat, Mat. 19. v. 28.

E.

Ecce rem novam fere indicat, Mat. 1. v. 20. & miram, Mat. 3. v. 16.

Ecclesia super Petrum ædificanda promittitur, J. 1. v. 42. Comparatur vineæ, Mat. 20. v. 2. Sponsæ, Mat. 22. v. 1. Impletur Gentibus, v. 10. Semper diabolo invicta erit, Mat. 16. v. 18. Numquam a fide deficiet, L. 18. v. 8. Ejus visibilitas, Mat. 28. v. 20. Orationes ad Deum fusas concludit cum particula, *Per Christum Dominum nostrum*, aut æquivalentem, J. 16. v. 24. Ecclesiæ latinæ præ cæteris principalitas figuratur J. 10. v. 20.

Ecclesiastica potestas, Mat. 18. v. 17. 18.

Eclypsis quæ contigit patiente Christo ex quatuor capitibus miraculosa, Mat. 27. v. 47. Duravit tribus horis continuis, ibid.

Effigies Christi qualiter manserit eadem, Marci, 16. v. 12.

Electi ad regnum cælorum pauci, Mat. 20. v. 16. Suis viribus relictæ fallerentur
in

INDEX.

in fine orbis, Mat. 24. v. 24. Vocantur, Oves, Mat. 25. v. 32.

Electio discipulorum Christi ab ipso facta, J. 15. v. 16.

Elleemosynæ qua consideratione fieri debeant, Mat. 5. v. 40. In abscondito, Mat. 6. v. 2. & seqq. Ut a Deo pendatur, Mar. 12. v. 43. Earum obligatio ex duobus capitibus nascitur, L. 3. v. 11. Sunt optimum remedium avaritiæ, L. 11. vers. 41.

Eliam pro Eli intellexerunt milites, Mat. 27. v. 47.

Emanuel non est proprium nomen Christi, L. 1. v. 31.

Emaus castellum postea Nicopolis dictum, L. 24. v. 13.

Enceniorum festivitas, J. 10. v. 22.

Ephrem civitas, quæ, & ubi sita, J. 11. v. 45.

Episcopi & doctores Christiani figurantur per Scribas; & Phariseos, Mat. 23. v. 2. Episcopis & Superioribus præcipue vigilandum, Mat. 24. v. 45. Episcopi aut Presbyteri officio nihil in hac vita laboriosius, periculosius, Mat. 24. v. 46.

Est quid significet, Mat. 26. v. 26. Est, est; non, non, quid significant, Mat. 5. vers. 37.

Esuriit naturaliter Christus, Mat. 21 v. 18. Esurire iustitiam, quid? Mat. 5. v. 6.

Et pro quia, Lucæ 3. v. 6. Et conjunctio causaliter sumpta, J. 1. v. 14.

INDEX.

Evangelistæ qui dicantur, in Præfat. pag. 2. Frequenter disjuncta tempora conjungunt, Lucæ 2. v. 39. Non erraverunt, Mat. 2. v. 6. Eorum diversitas ad quid conducat, Mat. 3. v. 11.

Evangelica doctrina est falx, qua Deus purgat palmites vitis. J. 15. v. 3.

Evangelium quid significet, in Præfat. pag. 1. Cur a pluribus scriptum, pag. 9. Habet initium a denuntiatione pœnitentiæ, Mar. 1. v. 1. Ejus prædicatio comparatur sagenæ in mare missæ, Mat. 13. v. 47. Ejus progressus a parvis initiis in prodigiosam magnitudinem, Mat. 13. v. 32. Evangelium Joannis qua occasione conscriptum, & ubi, Præfat. Frequenter continet repetitionem vocis *Amen*. J. 16 vers. 20.

Eucharistia quid significet? Mat. 26. v. 26. Unde dicta, ibid. v. 27. Instituitur à Christo, Luc. 22. vers. 19. & seqq. Cur in fine cænæ instituta Mat. 26. v. 26. Cur sub bina specie, panis azymi & vini, ibid. Cur Christus primus sumpserit: ibid. Ejus excellentia supra manna. J. 6 v. 50. & 51. Est vivorum spiritualiter, non mortuorum cibis. J. 6. v. 54. Sub unica specie sumpta vivificat, ibid. v. 58. & 59. Ejus effectus, ut est sacrificium, & ut Sacramentum, Mat. 26. v. 28.

Eunuchorum tria genera. Mat. 19. v. 12.

Excidium Jerusalem typus fuit excidii orbis Mat. 24. v. 3.

Ex-

INDEX.

Excommunicatio. Mat. 28. v. 17. 18.

Excusatio omnis cessabit in extremo judicio Mat. 22. v. 24.

Exemplo suo hortatur Christus Apostolos ad patientiam. Mat. 10. v. 25. Ad mansuetudinem Mat. 11. v. 29.

Exercitus Herodis propter occisum Joannem Baptistam deletus. Mar. 6. v. 14.

Extra synagogam fieri, Judæis idem, quod Christianis excommunicari, J. 9. v. 21.

Extremæ Unctionis materia, & minister, Mar. 6. v. 13. Sacramentum insinuat, ibid.

F

Fabrilem exercuit Christus, Mat. 14. v. 55.

Fabulari, pro colloqui, L. 24. v. 15.

Faciem firmare pro firmiter proponere, L. 9. v. 15. Faciem videre, quid? Mat. 18 v. 10.

Facienti quod in se est per vires nature non debetur gratia, L. 19. v. 6.

Factus ante, pro præpositus, &c. J. 1. vers. 45.

Fæminæ, præsertim hæredes familiarum, censibus subjectæ, Lucæ 2. v. 5. Fæminæ quatuor cur intextæ genealogiæ Christi, Mat. 1. v. 4.

Festuca & Trabis nomine quid intelligatur, Mat. 7. v. 3.

INDEX.

Fictio Christi simulantis se logius ire, non fuit mendacium, L. 24. v. 28.

Ficus infructuosa populum Jerosolymitanum designat, L. 13. v. 6. Mansit sterilis per triennium prædicationis Christi, ibid. v. 9. Anno quadagesimo a passione Christi per Romanos excisa, ibid. Cur in ficu fructus quaesierit Christus extra tempus, Mat. 21. v. 19. Et quare ei maledixerit, ibid.

Fides est credere quod non vides; veritas videre quod credis, J. 8. v. 32. Fides inchoata & perfecta, otiosa & operatoria, J. 1. v. 12. Fides sincera & vera, facit quod faciendum credit, J. 3. v. 16. 18. & 36. Fides indubitata est via ad filiationem Dei, J. 12. v. 36. Fides in Christum est necessaria ad salutem, J. 13. v. 18 19. & 36. Otiosa non sufficit, Mat. 19 v. 16. Mar. 16. v. 16. J. 15. v. 2. Fides discipulorum an Christo moriente defecerit, J. 14. v. 29. Fidem divinitatis amiserunt Apostoli, Mat. 26. v. 31. Fides a Deo perficienda, Mar. 19. v. 22. Fides impetrat miraculum, Mar. 5. v. 34. Per fiduciam illud operatur, Mar. 9. v. 22. Fides patratrix miraculorum quid includat. Mat. 17. v. 18. Fides per lampades significatur, Mat. 25. v. 1. Cur grano sinapis comparetur, Mat. 17. v. 19. Ante fidem nemo bonus, Mat. 22. v. 10. Est magis necessaria quam baptismus, Mar. 16. v. 16. Fidei cur potius tribuatur san-

INDEX

tas, quam aliis virtutibus, Mat. 8. v. 19. Fidem nullius nisi Gentilium admiratus est Christus, Mat. 15. v. 28. Fidei meritum unde potissimum oriatur, J. 20. v. 29. Fides & visio ejusdem objecti non repugnant, ibid.

Fideles ante baptismum, & post eum, mores docendi sunt, Mat. 28. v. 20. Qua ratione faciant opera majora quam Christus, J. 14. v. 12. Sunt membra mediatoris tamquam capitis, J. 17. v. 26. Fidelis & prudens cur debeat esse dispensator, Mat. 24. v. 45. Ejus merces, Mat. 25. v. 20. Fidelium comparatio est infidelium vituperatio, J. 16. v. 8. & 9.

Fieri pro nasci, J. 8. v. 58.

Filiatio legalis, in genealogiis attenta, L. 3. v. 23.

Filius dicitur creatione, generatione, adoptione, aut imitatione, J. 8. v. 44. Filius sub ratione filii cognosci nequit non cognito Patre, J. 12. v. 45. Filius Dei qua ratione Verbum dicatur, non Sermo, nec Ratio, J. 1. v. 1. Ejus a Patre distinctio personalis, ibid. & v. 3. Item cap. 5. v. 18. Ejus cum Patre consubstantialitas, ibid. & cap. 5. v. 19. & seqq. Non est verbum verbi, splendor splendoris, imago imaginis, J. 1. v. 2. Filius Dei naturalis Christus, Mat. 14. v. 33. Filius hominis, cur dicatur Christus, Mat. 8. v. 19. Filii Dei, pro prædestinatis etiam nondum justificatis, J. 11. v. 52. Fi.

INDEX.

Filius Dei veniet ad iudicium instar furis, Mat. 24. v. 42. & 44. Filius Dei quomodo nesciat diem iudicii, Mat. 24. v. 36. Filii Abrahæ qui vere censendi, J. 8. v. 39. & 40. Quomodo fiant, Mat. 3. v. 9. Filius prodigus reversus peccato em conversum designat, L. 15. v. 24. Ejus parabola exponitur allegorice, L. 15. v. 32. *Filius hujus sæculi* quis dicatur, item quis *Filius Lucis*, Lucæ 16. v. 8. Filius dicitur & nepos, Mat. 1. v. 1. Filios Judæorum vocari Apostolos, Mat. 12. v. 27. Filiis curam parentum Christus suo facto commendavit, J. 19. v. 27.

Fimbria, quid? Mat. 23. v. 5. Fimbriam vestimentorum Christi tangentes non sunt superstitioni, Mat. 14. v. 36. Mar. 5. vers. 27.

Fixuris clavorum jungunt Judæi tela linguarum, Mat. 27. v. 40.

Flagellatio a Romanis pro criminibus non capitalibus adhibebatur, L. 23. v. 16. Flagellatio Christi immanis fuit, Mat. 27. v. 26. Facta a Romanis, ibid. v. 27.

Fontis & putei discrimen accidentale, J. 4. v. 6.

Forma Eucharistiæ explicatur, Mat. 26. v. 26. & 28. Ejus verba apertissima, ibid. vers. 26.

Forſitan non semper dubitationem importat, J. 4. v. 10.

Forum in parabola quid significet, Mat. 20. v. 4.

Fractio

INDEX.

Fractio panis usum Eucharistiæ designat, L. 24. v. 30. Mat. 26. v. 26.

S. Francisci stigmata fuerunt carne repleta, Christi non J. 20. v. 27.

Frater fratrem tradet in mortem, Mat. 10. v. 21. Fratres sumus natura & doctrina, Mat. 23. v. 8. Fratres dicuntur omnes cognati, Mat. 12. v. 56. Fratres Christi quatuor, Mat. 13. v. 55. Fratre sine liberis defuncto, alter debebat semen suscitare, Mat. 22. v. 23.

Fremitus quid sit, J. 11. v. 33.

Fructus centesimus, sexagesimus, trigessimus quibus attribuendus, Mat. 13. v. 23. Fructus pœnitentiæ, Mat. 3. v. 8. Fructus defectu non a labore desistendum est, Mat. 4. v. 26.

Fruitiva visio humanitatis Christi est beatitudo secundaria, J. 17. v. 24.

Fuga cur Christus sibi consuluerit, Mat. 2. v. 13. Fuga Apostolorum, Mat. 26. v. 56. Quando eis licita, imo præcepta, Mat. 10. v. 23.

Quanta festinatione fugiendum, Mat. 24. v. 17. & 18.

Fur & latro quomodo differant, J. 10. vers. 1.

G.

Gabbatha quid significet, & unde derivetur, J. 19. v. 13.

Gabriel quid significet, L. 1. v. 26. Mariam

INDEX.

tiam alloquitur, Josephum admonet, pastores instruit, L. 2. v. 9.

Galilæa duplex, L. 1. v. 26. In Galilæa potius quam in Judæa cur Christus post resurrectionem apparuit, Mat. 18. vers. 7.

Galilæorum dogmata, L. 13. v. 1. Galilæi ab Herode inter sacrificandum perempti, ibid. & cap. 23. v. 5. Galilæus vocatus est Christus contemptus causâ, Mat. 26. v. 69.

Gallicinium quid? Mat. 26. v. 34.

Gallina cur pullos tegat, Mat. 23. v. 37. Cur ei Christus comparetur, ibid.

Gaudium fidelium impletur adeptione beatitudinis J. 15. v. 11. Gaudium cur majus supra una ove inventa, Mat. 18. v. 13.

Gazophylacium quid? Mar. 12. v. 41.

Gehenna vallis filiorum Ennom prope Hierusalem, L. 23. v. 43. Gehennæ nomen unde deductum, Mat. 5. v. 22.

Geminata dictio apud Hebræos æquivalet superlativo J. 8. v. 34.

Genealogia Christi apud L. & Mat. diversa, L. 3. v. 23. Genealogia Joseph quo modo ad Christum pertineat, Mat. 1. v. 16.

Generatio carnalis & spiritualis J. 1. v. 13. Generationem Dei æternam nemo novit nisi Pater, Mat. 11. v. 27. Generatio Judæorum non transibit, quin veniet dies judicii, Mat. 24. v. 33.

Genesareth stagnum vocatur mare Galilææ & Tiberiadis; J. 6. v. 1.

Gentes & Judæi significantur per duos filios Zebedæi, Mat. 21. v. 32. Gentium

INDEX.

vocatio prædicatur, ibid. v. 43. Item cap. 22. v. 9. Rursum cap. 26. v. 13.

Genua perfossa mortem adferunt, J. 19. v. 31.

Geraseni, qui? Mat. 8. v. 28.

Gethsemani hortus ad latus occidenta-
le montis Oliveti, J. 8. v. 1.

Gladii potestas Judæis adepta per Ro-
manos, J. 18. v. 31. *Gladius* pro bello,
Mat. 10. v. 34. *Gladius* unde Petro Mat.
26. v. 51. Studiose ab eo gestatus ad de-
fensionem Christi, ibid. *Gladius* qualis
Mariæ animam pertransiverit, L. 2 v. 35.

Gloria Dei est finis miraculorum Christi
& Sanctorum, J. 14. v. 13. Gloriam Dei
noluit celari Christus, Mar. 5. v. 30.

Græcorum nomine gentiles omnes in-
telliguntur, J. 7. v. 35.

Grani sinapis conditiones, Mat. 13. v.
31. Grano frumenti Christus se assimilatur,
J. 12. v. 24.

Gratia plena dicitur Maria aliter, quam
alii Sancti, L. 1. v. 28. Gratiæ gratis da-
tæ dantur hominibus, ut ex eis profectum
faciant, Mat. 25. v. 14. Gratia Christi ef-
ficax facit ut faciamus, J. 15. v. 5. Gra-
tiæ Christi efficacitas frangit cordis duri-
tiam, J. 6. v. 1. Gratiæ necessitas ad be-
ne operandum, J. 15. v. 5.

Gratis aliquem odisse, quid? J. 15. v.
25.

Gratitudo ultra internum affectum po-
stulat externa officia, L. 17. v. 18.

H.

H.

Hædi reprobos cur significant, Matth. 25. v. 33.

Hæres qualiter sit Christus, Mat. 12. v. 37.

Hæresis prima circa Eucharistiam tempore Christi, J. 6. v. 67. Hæreses variæ circa incarnationem Verbi refelluntur, J. 1. v. 14.

Hæretica machinatio comprehenditur sub portis inferi, Mat. 16. v. 18. Quæ adhuc? ibid.

Hæretici ante finem mundi exoriturum designantur, M. 24. v. 11. Non sunt audiendi cum Ecclesiam apud se esse dicunt, v. 27. Sunt falsi Prophetæ, Mat. 7. v. 15. Refutantur, Mat. 3. v. 1. 4. 5. cap. 4. v. 6. cap. 6. v. 6. cap. 7. v. 16. cap. 11. v. 21. cap. 15. v. 9. & 11. cap. 16. v. 19. cap. 17. v. 12. cap. 26. v. 26. & 27. Mar. 9. v. 37. Hæreticorum mira discordia, Mat. 26. v. 26. Ineptia, v. 27.

Hebraica vocabula cur retinuerunt Evangelistæ, Mat. 27. v. 46.

Herodes cur vulpes appellatus, L. 13. v. 32. Herodis reverentia in Joannem, Mar. 6. v. 20. Ejus crudelitas occasio Joann. Baptistæ secedendi in desertum, L. 1. v. 80. Ejus, & uxoris, & saltatricis funestus exitus, Mar. 6. v. 27. Herodes plures fuerunt, Mat. 2. v. 1. Sub quorum primo conceptus est Joannes Baptista, ab al-

INDEX.

altero decollatus, L. 1. v. 5. Ut unus Rex fuerit, Mar. 6. v. 14. Herodes Magnus novem uxores simul habuit, L. 3. v. 1. Heropes Tetrarcha Galilææ, Antipas, dictus, L. 23. v. 7. Tentavit Deum petendo signum a Christo, ibid. v. 8. Illudit Christum alba veste indutum, ibid. vers. 10. Factus est Pilato amicus, & unde, ibid. v. 12.

Herodias qualis fuerit, Mar. 6. v. 17. Occasionem captabat Joa. occidendi J. v. 19.

Hodie & cras, pro exiguo tempore, L. 13. v. 32. & seqq.

Homo ad imaginem Dei factus, J. 1. v. 4. Homines, avidissime desiderant præscire futura, J. 16. v. 13. Hominum salus, proprii corporis commodis præferenda, J. 4. v. 34. Homines qua ratione dicantur plantatio Dei vel diaboli, M. 15. v. 13.

Honor sequitur fugientem, fugit sequentem, M. 23. v. 12. Sub Honore omnis externus ultus intelligitur, Mat. 15. v. 8. Honor potentibus debitus qualiter deferendus, Mat. 15. v. 4.

Horarum diversa acceptio, Mat. 20. vers. 2. *Hora* accipitur pro tempore, Mat. 26. v. 40. Hora septima apud Judæos, est prima post meridiem, J. 4. v. 50. Qua hora Christus crucifixus, Mar. 15. v. 25.

Hospes Apostolorum, dignus esse debet illis morum integritate, Mat. 10. v. 11. Non mutandus, ibid. Cur intrando salutari debeat, v. 12.

INDEX.

Hospitalitas ut exercenda in Prophetas & justos, Mat. 10. v. 41.

Hostia pro peccato in purificatione, immediate offerebatur pro immunditia matris; mediate pro originali peccato prolis, juxta August, L. 2. v. 24. **Hostiæ Paschales** cæsæ numero 250600. Mat. 21. v. 12.

Humanæ naturæ conditio, Mat. 14. v. 6.

Humilitas & mansuetudo addiscenda exemplo Christi, Mat. 11. v. 29. Illæ duæ virtutes sunt magna pars jugi Christi, ibid. **Humilitate** prosapiæ Christi, offenduntur, Judæi, Mat. 13. v. 75.

Humiles hospitio excipiendi, & qua mercede, ibid. v. 5.

Hyperbolica locutio mendacium non continet, J. 21. v. 25.

Hypocrisin præcipue exprobrat Christus Pharisæis Mat. 23 v. 12.

Hypocrita quis dicendus, L. 13. v. 15.

Hyssopus quid, & quomodo ei circumposita spongia aceto plena, J. 19. v. 29.

I.

Jacobus quis fuerit præsens transfigurationi, Mat. 17. v. 1. **Jacobus Zebedæi** filius cur major dicatur, Mar. 10. v. 3. **Jacobus Alphæi** filius cur dictus minor, frater Domini, Jerosolymorum Episcopus, Author unius Epistolæ ex canonicis, Mat. 10. vers. 3.

Jactantiam fugere docemur a Christo, Mar. 7. v. 33.

Ja-

I N D E X.

Janitoris officium in Ecclesia, Mar. 13.

v. 34.

Idiomatum communicatio in Christo, J. 3. vers. 34.

Jechonias idem cum Eliacim & Joachim, Mat. 1. v. 11.

Jejunium commendatur, Mat. 6. v. 16.

Jejunii Deus colitur contra Calvinum, L. 2. v. 37.

Jerusalem civitas, 4. v. 5. Item cap. 27. v. 53. Sæpulis expugnata, Mat. 24. v. 15.

Jerosolymitana cædes per Romanos illata, a Christo prædicitur, L. 19. v. 43. Et rursus c. 23. v. 29. & seqq.

Jesu etymologiam tradit Angelus, Mat. 1. vers. 21. Jesus Magister fuit & Dominus, J. 11. v. 26. H. buit perfectum dominium suarum passionum J. 11. v. 33. Reddit se invisibilem persecutoribus, J. 6. v. 59. Quo sensu dicat, se in occulto nihil locutum fuisse, J. 18. v. 20. Coronatur corona spinea, J. 19. v. 5. Penetrando ostium intravit ad discipulos, v. 19. Januis clausis intrat ad Apostolos, v. 26. Post resurrectionem cum Apostolis manducavit, J. 21. v. 13. Ter apparuit Apostolis congregatis, v. 14. Apparuit Petro elapso e carcere Romano prædicitque se iterum Romæ cruciandum in Petri persona, v. 19.

Ignis maxime penetrantis est activitatis & pro quo ponatur, Mat. 25. v. 41. Usurpatur pro charitate, L. 12. v. 49. Ig-

INDEX.

nis æternus damnatos affligit & urit, J.
15. v. 6. Igne saliri damnatos, quid sit,
Mar. 9. v. 48.

Ignorantia affectata valet in commise-
rationem, non in excusationem, L. 13.
v. 34. Ignorantia Judæorum Christum
crucifigentium crassa & supina, ibid.

Immortalitas animæ, Mat. 22. v. 32.

Imperativus pro futuro, Mat. 13. v. 14.
Item J. 2. v. 19.

Impii omnes vocantur hypocritæ He-
braica proprietate, Mat. 24. v. 51. Impii
& iniqui homines sunt cæci corde, J. 1.
vers. 4.

Impositione manus sæpe usus Christus,
Mar. 7. v. 32. Item cap. 8. v. 23.

Incarnationem Filii Dei nulla opera
meruerunt, J. 15. v. 9.

Incredulitas hominum fidem Dei non
evacuat, J. 1. v. 11. Incredulitas Judæ-
orum, Mar. 9. v. 18.

Inebriatio pro exhilaratione in Scriptu-
ris usurpatur, J. 2. v. 10.

Infernalium pœnarum gravitas, Mar.
9. v. 47.

Infernus per tenebras cur designetur,
Mat. 8. v. 12.

Infirmetas Apostolorum erigitur, Mat.
16. v. 31. Ea qualiter vincatur, v. 41.

Ingratitudo Judæorum, Mat. 11. v. 20.

Ingressi & Egredi pro conversari in hoc
mundo, J. 10. v. 9.

Inimici diligendi, Mat. 5. v. 43. Item
cap. 26. v. 49. In-

INDEX.

Injuriae tolerandae & remittendae, Mat. 5. v. 41. Item cap. 18. v. 35. Earum tolerantiam & oblivionem docet Christus, Mat. 26. v. 25.

Innocentia Christi mirabilis, Mat. 26. vers. 61.

Interpretandum nihil est in deteriorem partem, Mar. 9. v. 39.

Interrogat Christus ea, quae sciebat, & quare? Mat. 22. v. 20.

Invenire animam suam, quid? Mat. 10. v. 39. Invenire gratiam apud Deum, L. 1. v. 30.

Invidia Scribarum, Mat. 21. v. 16.

Invitati ad nuptias, qui? Mat. 22. v. 3.

Joannes Baptista in utero sanctificatus, L. 1. v. 15. Quo anni tempore conceptus, ibid. v. 24. Ejus exultatio in utero. v. 41. Sex mensibus Christo senior, L. 1. v. 26. Tam per paternam, quam maternam lineam fuit de stirpe sacerdotali, ibid. v. 5. Ejus cum Elia comparatio & similitudo, L. 1. v. 26, & J. 1. v. 21. Quomodo Christum nescierit, J. 1. v. 31. & 33. Tria ipsius de Christo testimonia, J. 1. v. 35. Ipsius habitatio, Mat. 3. v. 1. Vestitus, Esca, v. 4. Cur eum non laudet Christus in praesentia discipulorum, Mat. 11. v. 7. Cur comparetur Angelo, Mat. 11. v. 10. Nullus eo major, & quoad quae, v. 11. Quomodo sit Elias officio, Mat. 11. v. 14. Item cap. 17. v. 1. Ejus laus. Mat. 11. v. 15. Ejus austeritas v. 18. Vita irreprehen-

INDEX.

sibili præ se ferebat justitiam, Mat. 21. v. 32. Orandi formulam, discipulis præscripsit L. 11. v. 1.

Joannis Evangelistæ parentes, patria, vocatio, virginitas, ætas, &c. Præfat. Ejus & Petri nativa indoles describitur, J. 21. v. 7. Specialiter a Christo dilectus, & cur J. 13. v. 23. cap. 19. v. 26. cap. 21. v. 20. Ei Christus proditorem insinuavit, J. 13. v. 26. Ei matrem Virginem moriens commendat, & cur, J. 19. v. 27. Falso creditus non moriturus, J. 21. vers. 23.

Jonas columbam significat, & sumitur pro Joanne, J. 1. v. 42.

Joseph quomodo filius Heli & Jacob, L. 1. v. 23. Jure conjugii pater Christi, L. 2. v. 33. & 48. Non natura, L. 3. v. 23. Ejus prompta obedientia, Mat. 1. v. 24. Ante Christi passionem & prædicationem mortuus, L. 2. v. 34.

Joseph ab Arimathæa occultando discipulatum non peccavit, J. 19. v. 38. Affectus sui magnitudinem demonstravit effectu, v. 39.

Iracundia Dei in Judæos, Mat. 24. v. 22.

Israelita verus quis censendus, J. 1. vers. 47.

Iter sabbati, quid? Mat. 21. v. 1.

Judææ situs altior, quam Galilææ, L. 2. v. 4. Eam vectigalem quis primus fecerit, Mat. 22. v. 17.

Judæi cur usurpent nomina Græca, Mat.

INDEX.

10. v. 3. *Iis cur primo prædicandum*, v. 4. *Eorum errores circa Messiam*, Mat. 22. v. 42. *Cur comparentur calamo quasi-fato, & lino fumiganti*, Mat. 12. v. 20. *Ligno arido*, L. 23. v. 31. *Liberatis a demoniacis*, Mat. 12. v. 45. *Eorum negligentia & ingratitude*, Mat. 22. v. 14. & 6. *Quomodo perditifuerint*, v. 7. *Habent valamen super cor*, J. 5. v. 39. *Eorum concilium adversus Christum congregatur*, J. 11. v. 47. & seqq. *Eorum grave peccatum incredulitatis*, J. 15. v. 22. & 24. *Permissi sunt suis legibus vivere*, J. 19. v. 7. *Gravius peccaverunt in Christum, quam Pilatus*, ibid. v. 11. *Sub finem mundi convertendi*, Mat. 23. vers. 39.

Judas cur vocetur Iscariotes, Mat. 10. v. 4. *Murmurat de effusione unguenti*, J. 12. v. 6. *Peculium sibi parabat, ex quo aliquando a Christo separatus viveret*, Mat. 26. v. 8. *Ejus cor ut intraverit latanas*, v. 14. *Ejus impudentia*, v. 24. & 50. *Vocatur a Christo diabolus*, J. 6. v. 71. *Filius perditionis, & cur*, J. 17. v. 12. *Sumpsit Eucharistiam cum aliis*, J. 13. v. 26. *Cur se suspenderit*, Mat. 27. vers. 5.

Judas Thaddæus scriptor epistolæ Catholice, J. 14. v. 22.

Judicis officium, oppresso subvenire, judicare pupillos, &c. L. 18. v. 4.

Judicium novissimum & universale, J. 5. v. 28. &c. seqq. *Judicium aliud generale, aliud particulare*, L. 12. v. 36. *Generale*

INDEX.

conjungetur resurrectioni mortuorum, Mat. 12. v. 41. Tempus ejus incertum, Mat. 24. vers. 36. 42. 50. Item cap. 25. v. 5. Quomodo Filio ignotum, Mat. 24. v. 36. Judicium omne Christo a Patre datum, J. 5. v. 22. Judicium auctoritatis habebunt, qui Christum sequuntur, Mat. 19. v. 28. Judiciorum Dei altitudo in Tyriis & Sidoniis, Mat. 11. v. 21. Judiciorum seu tribunalum tria genera apud Hebræos, Mat. 5. v. 21. Judicium malignum & temerarium vetatur, Mat. 7. v. 1.

Jugum Dei ferre quid? Mat. 11. v. 29. Protatu facile, v. 30.

Juramentum turpe non obligat, Mar. 6. v. 26. Juramento omnino abstinendum, Mat. 5. v. 34. Ejus usus quando bonus, v. 37. Juramentum aliquod per creaturas, juxta Phariseos obligabat, & quod, Mat. 23. v. 18.

Jurans per templum & altare non tenebatur juxta Phariseos, Mat. 23. v. 18. Secus qui jurabat per pecuniam oblatum, ibid.

Justificati subinde relabuntur in peccata, J. 15. v. 4.

Justificationes & mandata an differant, L. 1. v. 6.

Justitia pro omnium virtutum perfecti-
one sumitur, L. 1. v. 75.

INDEX.

L.

Lacus Galilææ vocatur mare, Mat. 8. v. 24.

Lampades accensæ quid significant, Mat. 25. v. 1. Quomodo aptabuntur, v. 7.

Lana succida eundem habet effectum, quem spongia, J. 19. v. 29.

Lapis qui est caput anguli, Christus, Mat. 21. v. 42. Lapis offensionis quando sit Christus, Mat. 21. v. 44.

Latrones duo cum Christo cur crucifixi, Mat. 27. v. 38. Latronis boni fides & charitas commendatur, L. 23. v. 40. 41. & 42. Paradisus a Christo ei promissus quis? v. 43.

Latus Christi perfossus, dextrumne fuerit, an sinistrum, J. 19. v. 34.

Lazarus Marthæ & Mariæ frater ægrotat, J. 11. v. 1. Moritur in Bethania, v. 14. Resuscitatur a Christo, v. 43. & seqq. Quomodo processerit e monumento ligatis pedibus, v. 44. Eum cum Christo occidere voluerunt Judæi, & cur, J. 12. vers. 10.

Lectio sacra prædicationi præmitti solita, L. 4. v. 1.

Legatio S. Joannis Baptistæ, Mat. 11. v. 2. Legationis Apostolicæ summa, Mat. 10. v. 7.

Legio quid, Mat. 26. v. 53.

Lepra Judaica coloris magis quam valetudinis vitium, L. 17. v. 14.

INDEX.

Leprosus cur vocaretur Simon, Mat. 26. v. 6. Leprosi extra commune hominum consortium, L. 17. v. 11. Cur ad sacerdotes missi a Christo, L. 17. v. 14. Novem peccarunt ingratitude, L. 17. v. 14.

Lex pro universa Scriptura veteris Testamenti, J. 10. v. 34. & cap. 12. v. 34. Lex novo ut facilis, Mat. 11. v. 30. Lexurgens & premens Judæorum, Mat. 21. v. 33. Promittebat temporalia, Evangelium spiritualia, L. 16. v. 16. Legem adimplevit Christus quadrupliciter, Mat. 5. v. 17. Legis doctor, legis peritus, Mat. 22. v. 35. Tentat Christum de lege, L. 10. v. 25. & seqq.

Libelli repudii forma, Mat. 5. v. 31.

Libertas a peccato in quo consistat, J. 8. v. 34. Libertati Judaicæ favebant Pharisei, Mat. 22. v. 16.

Libido quam sit crudelis, Mar. 6. v. 25. & 26.

Librorum sacrorum divisio in legales, propheticos & agiographos, L. 24. v. 44.

Limbus Patrum ab inferno damnatorum distat, L. 16. v. 16.

Lingua Latina, Græca, & Hebraica, divinis officiis consecratæ, J. 19. v. 20. Illarum trium, quibus expressus est crucis titulus, allegoria, ibid.

Lites fugiendæ, Mat. 5. v. 40.

Lithokrotos significat locum lapidibus stratum, J. 19. v. 13.

Lo-

INDEX.

Loculorum custodiam Christus Judæ commisit, J. 12. v. 6.

Locus & tempus nativitatis Christi accurate exponitur, Mat. 2. v. 1. Locus novissimus pro humillimo, L. 14. v. 8. 9. & 10. Locus judicii, Mat. 25. v. 32.

Locustæ quid? Mat. 3. v. 4.

Longanimitas Dei, Mat. 21. v. 36. & cap. 25. v. 19. Item cap. 26. v. 10.

Loqui ex seipso, quid? J. 7. v. 17. & 18. Loquendo cur Christus sanaverit manum aridam, Mat. 12. v. 13.

Lotio pedum usitata hospitibus, J. 13. vers. 5. Ejus allegorica expositio, ibid. vers. 14.

Lucas Evangelista patria Antiochenus, arte medicus & pictor egregius, pinxit Christum, Mariam, & Petrum. Lucæ Præfat. An fuerit ex 72. Christi discipulis, ibid. Suam diligentiam in conscribendo Evangelium commendat, & pseudo-evangelistarum negligentiam taxat, L. 1. v. 2.

Lumbi præcingendi, & lucernæ accendendæ, L. 12. v. 35.

Lunaticus quis dicatur, Mar. 9. v. 17.

Lupi in vestimentis ovium sunt hæretici, Mat. 7. v. 15. Lupis comparantur persecutores Apostolorum, Mat. 10. v. 16.

Lux vera quid? J. 1. v. 9.

Lysanias non fuit Herodis filius, Luc. 3. v. 1.

INDEX.

M.

Magnificare pro magnum prædicare, L. 17. v. 15.

Magdalenz pœnitentia, L. 7. v. 38.
Fides & dilectio, ibid v. 47. & 50.

Magdalum castellum Galilææ juxta mare Tiberiadis, L. 8. v. 1.

Magi qui unde & quando venerint, Mat. 2. v. 1. invenerunt Christum in stabulo, v. 11.

Magicam artem in Christo convincere tentant falsi testes, Mat. 26. v. 61.

Magister qualiter, quis sit & vocetur, Mat. 23. v. 8. Magistros probos vix imitatur, improbos etiam improbitate superamus, Mat. 23. v. 15.

Majorum facta tribuuntur filiis, Mat. 23. v. 35. Majorum peccata quando & quam juste puniuntur in filiis, Mat. 23. v. 35.

Maledictio parentum super filios, mirros effectus habet, Mat. 27. v. 25.

Maldonatus refellitur, Mat. 12. v. 1.

Maledictum quid sit? J. 9. v. 28.

Per *Malum* antonomastice intelligitur Diabolus, Mat. 13. v. 19.

Mammona iniquitatis pro divitiis injustis, L. 16. v. 9. Mammona quid? Mat. 6. v. 24.

Mandata Dei transgredi gravius est quam traditiones Pharisaicas, Mat. 15. v. 3. Mandata hominum qualia improbet Christus, Mat. 15. v. 9. Mandata 2. tabulæ cur sola adolescenti proponit, Mat. 19.

INDEX.

¶. 16. Mandatum maximum dilectio, Mat. 22. v. 37. De dilectione proximi in quo simili priori, Mat. 22. v. 36. Mandata præpositorum observanda, Mat. 28. v. 20. Mandatum moriendi Christo datum, & ab eo libere acceptatum, J. 10. v. 18.

Manducatio spiritualis Sacramentali præmittenda, J. 6. v. 51. & 55. Manducatio vera absque vera nutritione, L. 24. vers. 43.

Manichæorum & Platoniorum error refellitur, J. 1. v. 3.

Manere in Christo, quid? J. 15. v. 5. & seqq.

Manna in deserto datum Judæis a Deo, J. 6. v. 31.

Mansiones variæ tam in cælo quam in inferno, L. 16. v. 23.

Manfuetudo Christi, Mat. 26. v. 49.

Manus, pro potestate, J. 10. v. 28. Manum mittere ad aratrum, L. 9. v. 62. Manum emortuam Christus sanat, Mat. 12. v. 10. *Manus Domini*, pro potestate, L. 1. v. 66. Manuum elevatione benedictibus familiaris, L. 24. v. 50.

Marcus Evangelista quis fuerit, in Præfat pag. 407. Probabilius est fuisse discipulum Petri, pag. 408. Scripsit Græce, pag. 409.

Maria antonomastice Virgo, L. 1. v. 27. Maria quid significet, ibid. Cur dicatur desponsata Josepho, cum fuerit nupta? ibid. & L. 2. v. 5. Quo sensu Domi-

INDEX.

minus erat cum ea? L. 1. v. 28. An & quando virginitatem perpetuam voverit? L. 1. v. 34. Mariæ prudentia, modestia, & taciturnitas, L. 2. v. 19. & 51. Mariæ Virginis constantia, compassio, & amor, J. 19. v. 25. Maria Cleophae unde sit dicta, ibid. Maria Magdalena adstat cruci, ibid. Mariæ Virginis majores cur non aperte racenseantur in genealogia Christi, Mat. 1. v. 16. Maria & Joseph ex eadem familia, ibid. Cur desponsata fuerit, v. 18. Maria Magdal. soror Lazari & Marthæ, Mat. 26. v. 7. Eius opes & effectus, v. 9. Humanitas, fides, charitas, v. 10. Fjus cum Christo familiaritas, v. 12. Pietas in Christum, Mat. 27. v. 56. Dux cæterarum piarum mulierum, Mat. 27. v. 1.

Martyrem Christi facit non pœna sed causa, Mat. 10. v. 39.

Marthæus scripsit Hebraice in Præfat. Mat. Ante omnes alios, ibid. Matthæi vocatio, Mat. 9. v. 9.

Martha senior Maria Magdalena & Lazaro, L. 10. v. 38.

Maxilla altera quomodo præbenda percutienti unam, J. 18. v. 23.

Medico credere est ejus præcepta sequi, Mat. 21. v. 32.

Merita Christi non obscurantur nostris meritis, J. 16. v. 27.

Mercenarius quis dicendus, J. 10. v. 12.

Mensibus lunaribus utebantur Hebræi, Mat. 26. v. 17.

Men-

INDEX:

Mendacium loquitur, qui voluntate fallendi, contra mentem loquitur, J. 8. v. 44.

Mendax & Mentuens quomodo differant, J. 8. v. 44.

Messis apud Judæos circa mensem Maium, J. 4. v. 35. Messis multa populi Judaici Mat. 9. vers. 37.

Metreta mensura æqualis batho in liquidis, vel ephi in aridis, J. 2. v. 6. Æquivaleret amphoræ Romanæ, ibid.

Metempsychosis, Mar. 6. v. 14.

Militum circa Christum petulantia, Mat. 27. v. 27. scævitia, 29. Militum crucifigentium Christum numerus, J. 29. v. 23. Millites instruuntur salutariter, L. 3. v. 13. & 14.

Mina, seu mna quot drachmas quotque siclos continet, L. 19. v. 13.

Miraculorum Christi multitudo & excellentia, J. 15. v. 24. Miraculorum examinatores, de ægritudinis veritate inquirunt, J. 9. v. 16. Miraculo falsum approbare non potest Deus, J. 5. v. 36. Miracula sigilla veritatis, Mar. 16. v. 17. Cur non semper fiant ibid. Apostolorum miracula non terrena, sed benefica, v. 18. Miraculis confirmat Christus suam doctrinam, Mat. 8. v. 1. Miracula resuscitatæ filiæ archisynagogi, sanatæ hemorroissæ, cæcorum & muti exposita allegorice & tropologice, Mat. 9. vers. 22. Sanatorum cæcorum, Mat. 20. v. 31. Miraculorum virtutem dat Christus Apostolis, Mat. 10. v. 1. Miracula A-

INDEX.

postolorum sunt magis benefica quam terribilia Mat. 10. v. 8.

Misericordia præfertur omni extremo Dei cultui, Mat. 12. v. 7. Misericordiam volo non sacrificium, Mat. 9. v. 13.

Miseratio Dei summa erga peccatores, Mat. 18. v. 27.

Miseriæ humanæ condolet Christus, Mar. 7. v. 34.

Missio pastorum Ecclesiæ quænam legitima, J. 10. v. 7.

Missio in divinis supponit processionem, J. 15. v. 26.

Mola asinaria, quid? Mat. 18. v. 6.

Monumenta cur inhabitabant dæmones, Mat. 8. v. 28.

Montana Judææ & montana Galilææ, L. 1. v. 39.

Mons Oliveti, Mat. 21. v. 1. distabat a Jerusalem mille passibus, ibid. Ad montes cur fugiendum, Mat. 24. v. 16. In montibus orare solitus Christus, Mat. 17. v. 1. In quo monte contigerit transfiguratio, Mat. 17. v. 1.

Mors Christi extremis tribulationibus vindicata Mat. 21. v. 21. Mors cur somnus appellatur, Mat. 22. v. 32. & J. 11. v. 11. & 13. Mors Christi consummatio appellatur, L. 13. v. 32. Mors alia temporalis, alia æterna, J. 8. v. 51.

Mortalia delicta non omnia æqualia, J. 19. v. 11.

Mortui tres a Christo resuscitati, ejus rei

INDEX.

rei allegoria, L. 7. v. 15. Mortui sciunt ea, quæ a vivis geruntur, L. 16. v. 25. Mortua puella cur dormire dicatur, Mat. 9. v. 24. Mortuorum corpora condiendimos, Mat. 26. v. 12.

Moyſes autoritate Dei inſtituit cathedram. Mat. 23. v. 2. Moyſes & Elias cur præ cæteris apparuerint in tranſfiguratione, Mat. 17. v. 3. Cur de morte & paſſione Chriſti tunc diſſeruerint, ibid. Moyſes & Prophetæ fuerunt ſatores: Apoſtoli meſſores, J. 4. v. 36. & ſeqq. Moyſes de Chriſto prophetavit paſſim, J. 5. v. 46.

Mulier nomen ſexus, non corruptionis, J. 2. v. 4. Mulieribus primo nuntiata reſurrectio, Mat. 28. v. 9. *Mulier* pro corrupta ſumitur, Mat. 11. v. 11.

Multa pro infinitis, Mat. 10. v. 30.

Multiloquium inane fugiendum in orationibrs, Mat. 6. v. 7.

Mundus totus in tenebris ignorantie ſub adventum Chriſti, J. 12. v. 46. Mundus ſumitur pro mundi dilectoribus, J. 14. v. 17. item 15. v. 19. *Mundus* multifariam ſumitur, J. 17. v. 14. & 15. Mundus peccato perditus Salvatore indiguit, J. 4. v. 42. Mundus mari cur comparetur, Mat. 13. v. 47.

Munerum a Magis oblatoꝝ ſignificatio, Mat. 2. v. 11. Munus filioꝝ quomodo prodeſſet parentibus, Mat. 15. v. 5.

Mutilatio membri divina lege prohibita, Mat. 19. v. 12.

INDEX.

Mutuum dandum absque usura, aut spe
paris beneficii, L. 6. v. 35.

Myrrha a putredine præservat, J. 19.
vers. 39.

N.

Naaman Syri fides & gratitudo, L. 4.
vers. 27.

Naim civitas ubi sita? L. 7. v. 11.

Nardum spicatum & foliatum, Mat. 26.
vers. 7.

Nativitas Christi duplex, una æterna,
alia temporali, L. 1. v. 35.

Natura corrupta renititur divinæ trac-
tioni, J. 6. v. 44. Naturæ unitas cum per-
sonarum pluralitate in Deo, J. 10. v. 30.

Natum pro concepto ponitur, Mat. 1.
vers. 20.

Navium & retium allegoria, L. 5. v. 11.

Nazaræorum abstinencia L. 1. v. 15.

Nazarenus unde dictus Christus, Mat.
2. v. 23.

Necessitas non habet legem, Mat. 12.
vers. 3.

Negationes Petri omnes in domo Caiphæ
contigerunt, J. 18. v. 24.

Negare Christum quid, & ejus pœna,
Mat. 10. v. 33.

Neomenia quale festum, Mat. 12. v. 1.

Nesciri a Deo quid, Mat. 25. v. 12.

Nestorii hæresis exploditur, L. 1. v. 43.

Nicodemus ad Christum de nocte accel-
sit,

INDEX.

fit, & cur? J. 3. v. 1. & 2. Nicodemus
furorem Judæorum in Christum mitigat,
J. 7. v. 50. & seqq.

Ninivitæ quomodo condemnabant Ju-
dæos, Mat. 12. v. 41.

Nisi, sæpe non est exceptivum, sed ad-
versativum, Mat. 12. v. 39.

Noctis postrema pars quæ, Mat. 24. v. 25
Dividebatur in quatuor partes, ibid. No-
ctibus morari solebat Christus in monte O-
liveti, Mat. 24. v. 1.

Nomen Dei quomodo sanctificetur,
Mat. 6. v. 9. Nomen Dei per Christum ho-
minibus manifestatum, quod? J. 17. v. 6.

Nathanael in Scripturis eruditus, J. 1.
v. 45. Christum confitetur Filium Dei,
J. 1. v. 49. An idem cum Bartholomæo
Apostolo, J. 1. v. 51.

Noscendi verbum sæpe pro dilectione &
approbatione usurpatur, Mat. 7. v. 23.

Novo in sepulchro cur positus Christusi
Mat. 27. v. 60. Erat illud instar cubiculi
quadrati, ibid.

Nubes cur tres personas gloriosas texe-
rint, in trasfiguratione, Mat. 17. v. 5. Nu-
bibus tamquam curru triumphali vehetur
Christus in extremo judicio, Mat. 24.
vers. 30.

Numerus certus pro incerto, L. 3. v. 11.
Numero denario universitas exprimitur,
Mat. 25. v. 1. Numerus certus pro incer-

INDEX.

to. Mat. 12. v. 45. item 13. v. 23. item 18. v. 22. et 19. v. 29

Nummi signabantur imagine Principis, Mat. 22. v. 20.

Numismata magna vel parva eadebant Romani pro ratione census, Mat. 22. v. 19.

O.

Obedientia absolutissima injungitur respectu Phariseorum, Mat. 23. v. 3. Obedientiæ promptissimæ exemplum in Matthæo, Mat. 9. v. 9.

Obedire Christi mandatis est eum confiteri, Mat. 10. v. 32.

Oblationes templo & altari non sunt sanctiores, Mat. 23. v. 17.

Obscuriora per clariora exponi debent, non contra, L. 22. v. 20.

Obsessiones diabolicæ non semper contingunt propter actualia peccata obsessorum, Mar. 9. v. 20.

Obstinatio maxima Judæorum, Mat. 11. vers. 25.

Occasio ad quarendam causam & fructum mortis Christi Mat. 27. v. 46. Qua occasione Jesus per Judam proditus, Mat. 26. v. 6.

Occidendi Christum causæ, Mat. 21. vers. 38.

Occisio puerorum. Mat. 2. v. 16.

Octavius cur Caesar dictus, & cur Augustus, L. 2. v. 1. Ocu-

INDEX.

Oculis corporis videntes miracula non semper vident oculis cordis, Mat. 13. v. 13. Oculorum sublevatio inter orandum frequens, & cur, J. 17. v. 1. Oculorum apertio non præsupponit omnimodam cæcitatem, L. 24. v. 30. Oculus pro mente ut intellectum & voluntatem continet, L. 11. v. 56. Oculus scandalizans eruendus, Mat. 5. v. 29. Oculus pro oculo emendus, v. 38. si sit nequam, Mat. 6. vers. 23.

Oleum lenit, fovet, sanat vulnera, L. 10. v. 34.

Oliveti mons inter Hierusalem & Bethaniam medius, L. 24. v. 50.

Omniscientiam suam manifestat Christus, Mat. 21. v. 3.

Opera bona quomodo occultanda, Mat. 9. v. 31. Opera præcepta possunt esse meritoria, L. 17. v. 10. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, J. 14. v. 10.

Operarii pauci qui Evangelium prædicent, Mat. 9. v. 37. Operarios bonos mittere & facere est Christi, Mat. 9. v. 38.

Orandum in abscondito, Mat. 6. v. 5. & 6. Mat. 26. v. 36. Orandum ut fuge necessitas non veniat hyeme, vel sabbato & quare, Mat. 24. v. 20. Orandum sine intermissione, L. 18. v. 1.

Oratio ad Patrem dirigenda per Christum, J. 14. v. 14. Oratio Christi pro Apostolis & eorum successoribus, J. 17. v. 20. Oratio dominica exornatur, Mat. 6.

INDEX.

v. 9. Oratio & jejunium fidei adjungi debent, Mat. 17. v. 20. Orationis conditiones, L. II. v. 9. Orationis necessitas, Mat. 6. v. 8.

Orphanus denotat filium parentibus orbatum, J. 14. v. 18.

Osanna quid significet, Mat. 21. v. 9.

Ostendere, pro facere, J. 10. v. 32.

Osculi signum cur elegerit Judas, Mat. 26. v. 48.

Otio paratur aditus diabolo, Mat. 12. v.

44. Otium punitur, Mat. 25. v. 18.

Otiosum verbum quid, Mat. 12. v. 36.

Oves a pastoribus pascendæ ex amore Christi, J. 21. v. 15. Oves Christi universim subjiciuntur Petro tanquam pastori, ibid. Oves, pro Episcopis: Oviculæ, pro minoribus Presbyteris, ibid. Oves pastorem suum cognoscunt, J. 10. v. 14. Ovis nihil simplicius, innocentius, Mat. 10. v. 16.

P.

Pacifici cur filii Dei Mat. 5. v. 9.

Pallia cur posita super asinum, Mat. 21. vers. 7.

Palmitem ferentem fructum Deus purgat, & qualiter, J. 15. v. 2.

Panis a Christo benedictus, Mat. 26. v. 26. Panum multiplicatio quomodo a Christo facta in deserto? J. 6. v. 11. Panis nomine quid intelligatur, Mat. 6. v. 11.

INDEX.

Panis pro cibo quocumque sumitur, L. 14. v. 1. Panes propositionis, Mat. 12. vers. 4.

Parabola de filio prodigo, L. 15. v. 11. & seqq. de villico iniquitatis exponitur, L. 16. v. 1. & seqq. de Phariseo & Publicano orantibus, L. 18. v. 10. & seqq. de drachma perdita, L. 15. v. 8. invitatorum ad cœnam, L. 14. v. 17. & seqq. de decem virginibus, Mat. 25. v. 1. De talentis, v. 14. de ove perdita allegorice exponitur, L. 15. v. 2. & seqq. incidentis in latrones in via Hierichontina, L. 10. v. 29. Applicatur lapsui generis humani, L. 10. v. 35. Parabola quid? Mat. 13. v. 3. *In parabolis loqui*, id est obscure, Mat. 13. v. 3. Parabola de semine & verbo Dei, ibid. v. 19. De bono semine & zizania, v. 24. De grano sinapis, v. 31. De fermento, v. 33. Thesauro abscondito, v. 44. De margarita & sagena missa in mare, v. 47. De homine rege, Mat. 18. v. 23. De denario diurno, Mat. 20. v. 1. De duobus filiis, Mat. 21. v. 28. De patrefamilias, v. 3. De homine Rege, Mat. 22. v. 1. De servo fidei, Mat. 24. v. 45. De semine, Mat. 4. v. 27.

Paracletus consolatorem denotat, J. 14. v. 16.

Paradisus locum voluptatis & amœnitatis denotat, L. 23. v. 43.

Parasceve quid significet, Mat. 27. v. 12.

INDEX.

Parvulos benedicendi consuetudo, Mat. 19. v. 13.

Parentes quomodo odio habendi? L. 14. v. 24. Parentum erga Christum reverentia & veneratio, L. 2. v. 50.

Pascere quid importet, J. 21. v. 15.

Pascha celebrandi ritus, Mat. 26. v. 17. Vox Pascha explicatur, Mat. 26. v. 1. Pascha primum post Christi baptismum & jejunium, J. 2. v. 13. Pascha secundum post Christi baptismum, J. 5. v. 1. Pascha tertium a baptismo Christi, J. 6. v. 4. Pascha quartum a baptismo Christi, J. 11. v. 55. & J. 13. v. 1. Pascha transitum, si-
ve transfutum significat, J. 13. v. 1. Pascha pro diebus Paschalibus, qui erant septem, J. 2. v. 23. Paschæ festum pro primo die azymorum, ibid. Pascha usurpatur pro victimis tempore Paschali offerendis, J. 18. v. 28.

Passionum Christi & nostrarum discrimen, Mat. 26. v. 38. Passionem suam cur prædixit sæpius Christus, Mat. 26. v. 38.

Pastoris veri indicia, J. 10. v. 3. 4 & 6. Pastorib. Ecclesiæ semper aderit Christus, Mat. 28. v. 20.

Pater & Spiritus sanctus an cum Christo judicaturi, L. 5. v. 22. Pater est major Christo, ut homine, non ut Deo, 14. v. 28. Pater æternus docuit Filium, quatenus sciens scientem genuit, J. 8. v. 28. Pater multis modi glorificavit Christum, ibid. v. 54. Pater cur vocetur Deus, Mat. 6. v. 9.
Pa-

INDEX.

Pater æternus principium Filij & Spiritus, sancti, J. 1. v. 1. Pater noster qualiter nominetur Deus, Mat. 23. 9.

Patientia Christi admirabilis, Mat. 26. v. 8. Patientia Christi divinitatis argumentum, Mat. 27. v. 40.

Patrem & matrem plusquam Christum amans non est dignus nomine discipuli Christi, Mat. 10. v. 37.

Patres tam in lege naturæ quam Mosai-
ca per Christum iustificati anticipative, &
ex limbo per eius descensum liberati, L.
v. 1. vers. 72.

Patria Christi triplex, Mat. 13. v. 54. In
ea pauca fecit miracula, v. 58. Erat iis in-
digna ibid.

Paulus Apostolus qua ratione plus om-
nibus laboravit, J. 4. v. 38.

Pauperibus factum, reputat Deus sibi
factum, Mat. 25. v. 40. Pauperibus promit-
tit regnum, Mat. 11. v. 5. Pauperibus opes
distribuendæ, Mat. 19. v. 21. Pauperes cur
semper ad manum habebimus Mat. 26. v. 11

Paupertas spiritus in quo consistit, Mat.
5. v. 3.

Pax a Christo commendatur, Mar. 9. v.
49. Pax Christi & pax mundi qualiter dif-
ferant? J. 14. v. 27. Pax finis omnium
desideriorum, Mar. 10. v. 12. Pax mundi ne-
quitia impunita, Mat. 10. v. 34. Pax sumi-
tur pro omni prosperitate mentis & cor-
poris Mar. 5. v. 34.

Peccatum dimittendum semper & quo-

INDEX.

modo, Mat. 18. v. 22. Peccata crescere in
immenſum non finit Deus, Mat. 23. v. 32. Ubi
peccatum abundavit, ſuperabundavit gra-
tia, Mar. 16. v. 9. Peccatum antonoma-
ſtice appellatur malum, J. 17. v. 15. Pec-
cata iterata propter ingratitudinem gra-
viora, J. 5. v. 14.

Peccatrix pro meretrice, L. 7. v. 37.

Pecuniam in oculis ferre prohibentur
Apoſtoli, Mat. 10. v. 9.

Pedes allegorice ſignificant humanos
affectus, J. 13. v. 10.

Pœnitentiam in Juda quid excitaverit
primo, Mat. 26. v. 50. Pœnitentiam non
agit, qui indulgentiam non ſperat, L. 24
v. 47. Pœnitentia eſt plus quam nova vi-
ta, Mat. 11. v. 21. Pœnitentiam prædi-
cat Joannes, Mat. 3. v. 8. ab ea incipit
etiam Chriſtus, Mat. 4. v. 17. Pœniten-
tiæ Judæ quid defuerit, Mat. 27. v. 30.

Peregrini non ſolum invitandi, ſed &
cogendi ad hoſpicium, L. 24. v. 29.

Peræa Hærodi ſubjecta, L. 13. v. 31.

Perſectio Chriſtiana in quo conſiſtat,
Mat. 19. v. 21.

Pericula vitanda, ubi charitas non po-
ſtulat vitam profundæ, J. 7. v. 1.

Perjurium vetitum, Mat. 5. v. 33.

Perſeverantia ſola coronatur, Mat. 10.
v. 22. Perſeverantia commendatur, Mat.
24. v. 13.

Perſonarum divinarum una ſine reli-
quis cognosci nequit, J. 14. v. 7.

Pe-

INDEX.

Petenti dandum, Mat. 5. v. 42. *Petite & dabitur vobis* quomodo intelligatur, Mat. 7. v. 7.

Petrus & Andreas vocantur, Mat. 4. v. 18. Quare piscatores hominum, v. 19.

Petrus cur nominatim exprimatur, Mat. 28. v. 7. Cur primus Apostolorum dicatur, Mat. 10. v. 2. Collegii Apostolorum caput, J. 6. v. 69. Ejus ætas, J. 21. v. 18. Junior Andrea fratre suo, J. 1. v. 41. Baptizatus a Christo, J. 3. v. 22. Fit pastor Ecclesiæ, J. 21. v. 15. Ferventioris fidei quam alii, Mat. 16. v. 16. Item cap. 26. v. 33. Asperius a Christo reprehenditur, Mat. 16. v. 23. Cur voluerit fieri tria tabernacula, Mat. 17. v. 4. Ejus triplex peccatum, Mat. 26. v. 33. Fervor, v. 51. Obedientia, v. 52. Audacia, v. 58. Negat discipulatum Christi, & fidem Christianam, v. 70. Mendacio adjecit perjurium, v. 72. Galli cantu admonetur pœnitentiæ, v. 75. Ei e carcere Romano fugienti apparet Christus, J. 21. v. 19. Immerito a Calvino reprehenditur, Mat. 14. v. 28.

Phœnicia duplex, Mat. 15. v. 22.

Phares & Zaram cur ambo memorentur, Mat. 1. v. 3.

Pharisæi hypocritæ ex duplici titulo, Mat. 15. v. 7. Item cap. 22. v. 10. De iis bene prophetavit Isaias, ibid. Eorum opera contraria voluntati Dei, v. 8. Tentant Christum, Mat. 19. v. 3. Pharisei & Sadducæi sectæ capitaliter inter se contrariæ,
Mat.

INDEX.

Mat. 16. v. 1. Eorum doctrina cur fermento comparetur ibid. v. 6. Phar. & Scribæ plerique fuerunt simul ex ordine Levitico ac Sacerdotali, Mat. 23. v. 2. Phar. ne minimum conatum faciebant ad observanda præcepta legis, ibid. Affectabant prima loca in conviviiis, v. 6. Paratos credere in Christum revocabant, v. 12. Hypocritæ, v. 15. Cæci seu ignorantes, v. 16. Avari, v. 18. Stulti, v. 17. Pleni fraudibus & injustitia, v. 25. Calumniantur, Mat. 9. v. 34. cap. 12. v. 3. & 34. Vane gloriæ cupidi, J. 5. v. 44. Pharisei Christum imitantis multiplex ignorantia L. 7. v. 29. Phariseis pietatis larva detrahitur, Mat. 23. v. 1. Interrogant non ut discant, sed ut carpant, Mat. 12. v. 10. Eorum adulatio, Mat. 22. v. 16.

Philippus ante alios Apostolos ad individuum sequelam a Christo vocatus, J. 1. v. 43.

Phylacteria quid? Mat. 23. v. 5.

Pilatus gubernator Judææ a Tiberio constitutus, Mat. 27. v. 2. Ejus impietas & insipientia taxatur, J. 19. v. 10. Fuit Judææ Præses per annos decem, L. 3. v. 1. Suberat Præsidi Syriæ instar procuratoris, ibid. Voluit Christum absolvere, J. 18. v. 38. cap. 19. v. 4. & 5. Excusabat Christum de affectata Regis dignitate, Mat. 27. v. 12. Conatur Christum liberare, vers. 17. 18. 19. 20. 26. Idem conatur
ejus

INDEX.

ejus uxor, v. 9. In quo peccaverit, v. 22. Non potest excusari, v. 24.

Piscatores hominum feruari, & pœnitentiæ vacare sudinde debent, L. 5. v. 2.

Piscina Probatica Jerosolymitana, J. 5. v. 2.

Plenilunium erat moriente Christo, Mat. 27. v. 45. Eo tempore naturaliter non potest fieri eclipſi Solis, ibid.

Plenitudinem spiritus habuit Chriſtus, Mat. 12. v. 18. Plenitudo gratiæ Chriſti, J. 1. v. 14.

Porphyrius Chriſtum inconstantia arguit, ſed perperam, J. 7. v. 8.

Porticus Salomonis, J. 10. v. 23.

Paraſceve quid? J. 19. v. 14. & 31.

Præcepta antiquæ Legis quatenus importabilia, Mat. 23. v. 4. Præcepta Dei quomodo facilia, Mat. 11. v. 30. Præceptor plus importat quam Doct̃or, L. 17. v. 13. Præceptorum aſperitas temperatur ſpe promiſſionis, Mat. 10. v. 40.

Prædeſtinationis myſterium, Mat. 11. v. 21. Prædeſtinationis certitudo, J. 6. v. 37. Ea cognita debet eſſe cauſa diligentiæ, Mat. 24. v. 25. Eſt gratuitum Dei bonum, ibid.

Prædicabitur Evangelium in univerſo orbe, antequam finis mundi veniat, Mat. 24. v. 14.

Prædicatores Evangelii digni ſunt ſuſtentatione ſua, Mat. 10. v. 10.

Prælati Eccleſiæ qualiter præſſe debent, Mat. 20. v. 26. Præ-

INDEX.

Præsentia realis corporis Christi in Eucharistia, J. 6. v. 51.

Præsumptio quid sit, & unde oriatur, Mat. 4. v. 7.

Præsulum Ecclesiæ præcellens beatitudinis gradus, Mat. 24. v. 47. Eorum auctoritas, Mat. 18. v. 17. & 18.

Præteritum pro futuro prophetice usurpatum, L. 1. v. 68. cap. 2. v. 31.

Prætorium non intraverunt Judæi, Mat. 27. v. 11. Quid sit, v. 27. Ejus ingressus an manducaturis Pascha prohibitus, J. 18. v. 28.

Prima sabbati cur vocetur dies Dominicus, Mat. 28. v. 1.

Primogenitus non respicit secundo genitum, L. 2. v. 7.

Principes sacerdotum suo facto arguit Judas, Mat. 27. v. 4. Principes sacerdotum apparatu & pompa sua putabant Christum terrere, Mat. 21. v. 23. Eorum mendacium, v. 27. Auctoritas, v. 23. Principes sacerdotum qui, Mat. 2. v. 14.

Profectus quem faciunt homines, cur & unde diversus, Mat. 13. v. 23. Profectus hominis fit paulatim, Mar. 4. v. 28.

Proles in utero matris 276. diebus, id est, mensibus novem, & diebus sex, L. 2. v. 6.

Propheta cur sine honore in patria sua, L. 4. v. 24. Prophetæ non tantum futura, sed & præsentia arcana vident, J. 4. v. 19. Prophetæ omnes de Christo propheta-

I N D E X.

verunt, L. 1. v. 70. Prophetam non perire extra Hierusalem quo sensu verum, L. 13. v. 38. Propheta pro doctore Evangelii, Mat. 10. v. 41.

Prophetia tribus modis impletur, Mat. 2. v. 15.

Propositio operatoria quid demonstret, Mat. 26. v. 26.

Proverbum & parabola quomodo differant, J. 10. v. 6.

Profelytus quis? Mat. 23. v. 15.

Providentia divina cut citius bello Judaico finem imposuerit, Mat. 24. v. 22.

Proximus quis dicendus, L. 10. v. 36. & 37.

Psalms quinque legere solebant Judæi post comestum agnum Paschalem, Mat. 26. vers. 30.

Pseudo Evangelistæ ante Lucam conati sunt Evangelium scribere, sed non potuerunt complere L. 1. v. 1. Pseudo-Christi hebebunt pseudo-Prophetas, Mat. 24. v. 24. Pseudo prophetarum nomine comprehenduntur hæretici, ibid. Pseudo-pastores non audiuntur ab ovibus, J. 10. v. 8.

Publicani qui? Mat. 5. v. 46. Publicani & meretrices præcedent Scribas & Phariseos in regno cœlorum, Mat. 21. vers. 31. Publicanos & peccatores Christus recipit, L. 15. v. 1.

Publico latroni postponitur Christus, Mat. 27. v. 21. Publicos defectus publice reprehendit Christ., alias non, Mar. 9. v. 28.

Pu-

INDEX.

Pugilarium frequens usus apud veteres, L. 1. v. 63.

Pulmentarium quid, Joan. 21. v. 5.

Pulverem de pedibus cur excuterent Apostoli, si non recipiebatur Evangelium, Mat. 10. vers. 14.

Purgationis lege non obligabatur Virgo Deipara, L. 2. v. 22.

Purgatorium adstruitur, Mat. 12. v. 32.

Purpura cultum externum designat, L. 16. v. 19.

Puillus grex fidelium Christo pastori subditus, L. 12. v. 32.

Puteus Jacob in latere montis Garisim, J. 4. v. 20.

Q.

Quadrans idem quod *teruncius*, & quanti valeat, Mat. 12. v. 42.

Quasi, dubitative pro *circiter*, L. 3. v. 23. *Quasi*, non semper similitudinem, sed subinde proprietatem denotat, J. 1. v. 14.

Quarta vigilia noctis quid, Mat. 14. v. 25.

Quæstionibus captiosis conantur Pharisei Christum tentare, Mat. 22. v. 15.

Quia, phrasi Hebraica quandoque redundat, Mat. 16. v. 7. et L. 4. v. 21.

Quies Christi post labores, Mat. 24. v. 3.

R.

Rabbi honoris, ac dignitatis nomen a scientia & virtute desumptum, J. 1. vers. 38.

Rab-

INDEX.

Rabboni quid significet, J. 20. vers. 16.

Racha quid? Mat. 5. v. 22.

Rachelis nomine intelligitur regio *Beth-leem*, Mat. 2. v. 18.

Rama an nomen proprium, *ibid.*

Ramos de oleis & palmis cur cædunt *Judæi*, transeunte Christo, Mat. 21. v. 8.

Regem se dicere Christus poterat in Romano imperio, sine læsa Majestate, Mat. 27. v. 11. Regem terrenum expectant *Judæi*, Mat. 22. vers. 42.

Regeneratio triplex, Mat. 19. v. 28.

Regia auctoritate utitur Christus, Mat. 12. v. 12. Regiam magnificentiam plebeja humilitate temperat Christus, Mat. 21. vers. 3.

Regina Sabæ quanta, Mat. 12. v. 24. Gessit typum Ecclesiæ gentium, *ibid.*

Regn. cælorum quomodo vim pati dicatur, Mat. 11. v. 12. Regn. Dei quid? Mat. 3. v. 2. cap. 6. v. 10. cap. 13. v. 24. & 31. Regn. Christi inchoatum, propagatum, completum, L. 1. v. 33. & 34. Regn. Christi quo sensu non fuerit de hoc mundo, J. 21. v. 36. Regn. Dei statim manifestandum putabant *Judæi*, Mat. 21. v. 9. Regn. Christi stabile & super calumniam, est J. 19. v. 22.

Regulus venit ad Christum pro sanitate filii, J. 4. v. 47. Reprehenditur ejus incredulitas, v. 48.

Reliquiarum cultus stabilitur, Mat. 14. v. 36. Mar. 5. v. 33.

INDEX.

Reprobi significantur nomine *mundus*, J.

17. v. 9.

Repudii libellus cur permissus, Mat. 5. v. 31. Ejus causa, v. 32. De repudio uxorum controversia, Mat. 19. v. 3.

Reverentia Herodis in Joannem, Mar. 6. v. 20. Populi in Christum, Mar. 9. v. 14. Discipulorum Mar. 10. v. 32.

Respondere, pro sermonem ordiri vel prosequi, Mat. 11. v. 25.

In resurrectione corpora integre resumenda, J. 6. v. 39. Post resurrectionem missi multi prophetae ad praedicandum, Mat. 23. v. 34. Resurrectionem imperare Dei est postulare hominum, L. 7. v. 14. Resurrectionis signum in Jona praefiguratum, Mat. 12. v. 49. Resurrectio mortuorum moriente Christo, Mat. 17. v. 52. Resurrectionis Christi futurae fama, Mat. 27. v. 63. Eam conati sunt impedire vel obscurare Judaei, v. 64. Ejus fidem quomodo adstipat Angelus, Mat. 28. v. 6. Ejusdem illustre ab inimicis testimonium, v. 11. Resurrectionis fides erat apud Judaeos, Mar. 6. v. 14. Circa resurrectionem error, Mat. 22. v. 29. Eam cui quidam non crederent, Mar. 16. v. 13.

Retium resectio quid significet, Mat. 4. v. 21. Rete Apostolorum piscantium post Christi resurrectionem non scinditur multitudine piscium. Ejus rei allegoria, J. 21. v. 11.

Rex & regnum correlativa sunt, J. 18.

v. 37.

INDEX.

v. 37. Rex qualis fuerit Christus, Mat. 12. v. 17. Cur se regem vocet, Mat. 25. vers. 34.

Romani Consules, sub quibus natus est Christus, L. 3. v. 23. Romani Imperatores vocantur Cæsares, & Augusti: sicut apud Syros solent Principes appellari Antiochi: apud Persas Ariacidæ: apud Phylistæos Abimelech: apud Ægyptios Pharaones, & Ptolomæi, L. 2. v. 1. Romanus Pontifex succedit Petro in munere pastorali, J. 21. v. 24. Ejus in fide indefectibilitas, L. 22. v. 31.

S.

Sabbati rigidi observatores non fuerunt Pharisei, Mat. 27. v. 62. Sabbati diebus Christus potissimum miracula patrabat, J. 9. v. 14. *Sabbaton secundo primum*, quid? Mat. 12. v. 1. *Sabbaton* significat quietem, ibid. v. 1. Aliæ ejus significationes, ibid. Ejus dominus est Christus, v. 8. Sabbato offerebantur & præparabantur sacrificia, Mat. 12. v. 12. Sabbato quæ opera fieri licite poterant, L. 13. v. 15. & 16. Sabbato spicas vellere an licuerit, L. 1. v. 2. Sabb. paschale vocatur magnus dies sabbati, J. 19. v. 31. Sabb. pro septimana, L. 18. v. 12. Sabb. violabant in templo sacerdotes, mactando animalia, ligna ferendo, Mat. 12. v. 5.

Sabellianorum hæresis refellitur, J. 14. v. 9. & J. 16. v. 15.

INDEX.

Sacerdotes honorare Christus exemplo suo docuit, J. 18. v. 23. Sacerdoti cur se ostendere debuerit sanatus a lepra, Mat. 8. v. 4.

Sacramentarii refutantur, Mat. 26. v. 26.

Sacrificia Judaica mere carnalia & typica, J. 4. v. 23. Sacrif. in montibus offerri consueta & cur? ibid. v. 20. Sacrif. novæ Legis in spiritu & veritate offertur, ibid. v. 23. & seqq. Sacrif. novæ Legis instituitur, L. 22. v. 20. Sacrif. novæ Legis stabilitur, Mat. 26. v. 28.

Sadducæi cum corpore simul extinguiebant animas, Mat. 22. v. 32. Sadducæi tentant Christum, ibid. v. 23.

Salim seu Salem oppidum distinctum a Jerusalem, J. 3. v. 23.

Sal infatuatum ad nihil utile, L. 14. v. 35. Salis qualitates, Mar. 9. v. 48. 49. *Sal* symbolum sapientiæ, Mat. 5. v. 13. & Mar. 9. v. 48.

Salutare, pro salvatore, L. 1. v. 47. item pro salute, L. 2. v. 30.

Samaria inter Judæam & Galilæam media, J. 4. v. 4. Samaria urbis & provinciæ nomen, ibid.

Samaritani erant Gentiles, Mat. 10. v. 5. Samaritani origine Babylonii, J. 4. v. 8. volebant videri Judæi, J. 4. v. 9. eorum cum Judæis discordia, L. 9. v. 53. & L. 10. v. 33.

Sanctificare, pro immolare, J. 17. v. 19.

Sanctum non licet dare canibus, Mat. 7. v. 6. Sa-

INDEX.

Sanedrini concilium de novis Prophetis exorientibus judicabat, J. 4. v. 1. *Sanedrini quid*, Mat. 10. v. 17.

Sanitatem conferunt Apostoli, Mar. 6. vers. 13.

Sapientibus hujus mundi quomodo abscondita mysteria regni cœlorum, Mat. 11. v. 25.

Scaanas quid? Mat. 4. v. 10. Satan as juratus hominum adversarius, Mat. 12. vers. 26.

Satum genus mensuræ, Mat. 13. v. 33.

Sacndalizare quid, Mat. 18. v. 6. Ejus male, v. 7. *Scandalizare in Christo quid*, Mat. 11. v. 6. Scandalizati in quo fuerint Apostoli, Mat. 26. v. 34.

Scenopegiæ festivitas durabat per septiduum, J. 7. v. 2.

Scribæ & Pharisei comparantur pueris in foro, &c. Mat. 11. v. 16. Scribæ & Pharisei per omnia loca dispersi habitabant, Mat. 15. v. 1. Cum non possent Christum carpere, carpunt discipulos, ibid. Cæci erant & duces cæcorum, Mat. 15. v. 14. Scribæ Judæorum qui, & quales, Mat. 2. v. 4.

Scripturarum intelligentia est Spiritus sancti donum, Lucæ 24. v. 45.

Sectæ tres apud Judæos, Mat. 3. v. 7.

Sedere ad dextram quid, Mat. 22. v. 44.

Sedere Christo proximum, quid esset, nesciebat mater filiorum Zebedæi, Mat. 20. vers. 22.

INDEX.

Semipelagianorum error circa gratiæ necessitatem, L. 12. v. 57.

Sepelire patrem quid, Mat. 8. v. 21.

Septuaginta duo discipuli eliguntur, L. 10. v. 1. Dæmonia expellunt & morbos sanant in nomine Christi, L. 10. v. 17.

Sepulchra Judæorum e saxis excisa plerumque erant super terram, Mat. 23. v. 26. Sepulchra Prophetarum & justorum cur magnificis structuris ornarent Pharisæi, Mat. 23. v. 29. Sepulchrum cur ab Angelo mulieribus apertum fuerit, Mat. 28. v. 2.

Sequentium Christum merces, Mat. 19. v. 28. *Sequi* pro imitari, Mat. 10. vers. 38.

Sereptanæ viduæ fides & charitas commendatur, L. 4. v. 27.

Sermo Christi operatorius, J. 4. v. 50. & J. 11. v. 43. Sermo divinus quam efficax, L. 24. v. 32. Sermo Domini in monte, Mat. 5. v. 1.

Serpens æneus in deserto exaltatus figura Christi crucifixi, J. 3. v. 15.

Sessio tranquillitatem & auctoritatem Judicis significat, Mat. 19. v. 28.

Sicera; quid sit? L. 1. v. 15.

Sichar olim dicta Sichem Metropolis aliquando Samariæ, J. 4. v. 5.

Sicut, non importat æqualitatem, sed similitudinem, J. 17. v. 11. & 21. & J. 20. v. 21. *Sicut*, significat similitudinem non æqualitatem, Mat. 5. v. 28. Non habet

INDEX.

bet vim accuratæ similitudinis, Mat. 6. vers. 12.

Sidon primogenitus Chanaan, Mat. 15. vers. 22.

Sigilla, quibus confirmanda est prædicatione Apostolorum sunt miracula, Mat. 10. v. 8. Sigillo publico obsignatum sepulchrum Christi, Mat. 27. v. 66. Sigillum, quo Deus signavit Christum, quale? J. 6. v. 27.

Signa de cœlo quæ sint, Mat. 12. v. 38. Signi crucis formatio a Christo instituta, L. 24. v. 50. *Signum & Miraculum* in quo differant? J. 2. v. 11.

Siloë fons ad radices montis Sion, J. 9. v. 7. Siloë interpretatur missus, ibid.

Simeon non fuit Sacerdos, sed Laicus, L. 2. v. 25.

Simon Cananæus unde sic dictus, Mat. 10. v. 4. cur zelotes, ibid. Simon Pharisæus an a leproso diversus, L. 7. v. 36.

Sindon, quid sit? Mat. 27. v. 59.

Sinus Abrahæ, sive limbus Patrum, L. 16. v. 22. Sinus Patris quid? J. 1. v. 18.

Sion mons prope Jerosolymam, Mat. 21. vers. 5.

Sodoma exemplum celebratissimum scelerum & suppliciorum, Mat. 11. v. 23.

Solitudinem amat oratio, Mat. 14. v. 13. Solitudo quærenda ad deslenda peccata Mat. 26. v. 75.

Sollicitudo nimia vetatur circa vitam, victum & vestimentum, Mat. 6. v. 25. &c.

INDEX.

Sol, luna, stellæ, mystice explicatæ,
Mat. 24. v. 29. Sol retraxit radios patiente
Christo, Mat. 27. v. 45.

Somnus qualis & a quo immisus uxori
Pilati, Mat. 27. v. 19.

Soror pro affine usurpatur, J. 29. v. 15.

Spelunca Bethleemica, L. 2. v. 7.

Speculatores qui & unde dicti, Mar. 6.
vers. 27.

Spinea corona juxta Christi tempora,
Mat. 27. v. 29.

Spiritui sancto appropriantur amor &
favor, J. 14. v. v. 16. ei cur attribuitur con-
ceptus Mariæ, Mat. 1. v. 18. Cur in specie
columbæ, Mat. 3. v. 16. ante Christi glori-
ficationem quomodo non datus, J. 7. v. 39.
appellatur donum & aqua viva, & cur J.
4. v. 10. & 10. & 12. Christo sine mensura,
reliquis per mensuram datus, J. 3. v. 34. & J.
cur Spiritus veritatis dicatur, J. 14. v. 17.
16. v. 13. est flatus Patris & Filii, J. 20. v.
22. non est factus, J. 1. v. 3. a Filio procedit
J. 16. v. 13. 14. quomodo docuit Apostolos
omnem veritatem, J. 16. v. 13. Ei adscri-
buntur ea quæ Apostoli ipso inspirante an-
te patrarunt, J. 16. v. 14.

Spongia sisti sanguinem, J. 19. v. 29.

Sponso juvenes, Sponsæ virgines hono-
ris causa addebantur, Mat. 25. v. 1.

Sportæ capaciores cophinis, Mat. 15. v.
32. unde tot in deserto, ibid.

Stadium continet 125. passus, id est octa-
vam partem miliaris, L. 24. v. 13.

Sta-

INDEX.

Stare cum Christo, quid, Mat. 12. v. 24.
Statre idem quod *Siclus*, Mat. 17. v. 26.

Stella magorum, Mat. 2. vers. 2.
 Non apparuit eis per totum iter, ibid.
 vers. 9.

Stola prima, pro toga pristina, L. 15.
 vers. 22.

Sugillare, pro obloqui aut infamare, L.
 18. v. 5.

Superbia & asperitate nihil inquietius, M.
 11. v. 29. *Superbia* debet cæcitate & peccatis
 inde consequentibus frangi, Mat. 13. v. 13.
Superbia impedit rerum divinarum intelli-
 gentiam, J. 3. v. 10. *Superbia* singularita-
 tem appetit, L. 18. v. 9.

Sycomorus species fici moro similis, L.
 19. v. 4.

Synagogæ cura Michaeli & Gabrieli de-
 mandata, L. 13. v. 7.

Synedrion ex quibus constiterit, Mat. 26.
 vers. 3.

Syriaco fermone locutus Christus, Mat.
 18. vers. 6.

T.

Talentum quid, Mat. 18. v. 24.

Tau denotat signum crucis, L. 24. v. 50.

Tauri & altilia quid notent, Mat. 21.
 vers. 50.

Telonium quid? Mat. 9. v. 9.

Tempestas a Christo sedata tropologice
 & allegorice exposita, Mat. 8. v. 27.

INDEX.

Templi atrium triplex, Mat. 21. v. 12.
 Templi & Synagogæ distinctio, Mat. 4. v. 22. Templi eximia pulchritudo ejusque descriptio, Mat. 24. v. 21. Templi Jerosolymitani sanctitas & veneratio etiam apud gentes, J. 12. v. 20. Templi immanis profanatio, Mat. 24. v. 2. Templum ab Herode ædificatum per annos 46. J. 2. v. 20. Temp. a Samaritanis extructum in monte Garisim, J. 4. v. 8. Quando illud destructum fuerit, J. 4. v. 20. Temp. Jerosolymitanum bis terve defensum, Mat. 24. v. 15. Temp. Judæorum typus Ecclesiæ novi Testamenti, Mat. 21. v. 12. Temp. non vero arcem Sion cur intret Christus, Mat. 21. v. 12. Temp. pro Christi humanitate Deitatis habitaculo, J. 2. v. 19. & 21.

Temporibus diversis cur invitentur homines ad rüptias, Mat 32. v. 4. Tempus novæ legis appellatur annus Domini acceptus, L. 4. v. 19.

Tenebræ crepusculares, J. 20. v. 1. Tenebræ patiente Christo toto orbe fuerunt, Mat. 27. v. 45.

Tentari Christum & tentationes ejus quid significcent, Mat. 4. v. 11. Tentari plerumque utile, Mat. 6. v. 13.

Tentationi non succumbere effectus

Terrabona triplex est, sicut & mala Mat. 13. v. 23. Terræ motus descendente Angelo, Mat. 28. v. 2. Terræ motus magni anne captam Jerusalem, Mat. 24. v. 7.

Ter-

I N D E X.

Tertulliani error de tempore passionis Christi, Luca 3. v. 1.

Testamentum duplex celebre. Mat. 26. vers. 27. Vetus non est proprie testamentum, ibid. Testamentum dupliciter sumitur L. 22. v. 20.

Testes falsi, qui veri apparerent, contra Christum quaruntur, Mat. 26. v. 59. Testi non pro se, sed pro aliis fert testimonium, J. 18. v. 21.

Tetracha & Tetrachia? Mar. 6. v. 4.

Tetrarchia pro quarta regni parte, L. 3. v. 1.

Thadæus alias vocatus Judas & Lebbæus, Mat. 10. v. 3.

Theophylus cui Lucas Evangelium & Acta dedicavit, quisnam, L. 1. v. 3.

Thomas Apostolus an absens acceperit potestatem absolvendi, Joan. 20. v. 24. Ejus tarditas in credendo resurrectionem Joan. 20. v. 25. An vulnera Christi contrectaverit manu, Joan. 20. v. 28.

Thomas & Didymus synonyma sunt significantia gemellum, J. 11. v. 16. & J. 20. v. 24.

Thomæ etymologia, Mat. 10. v. 3.

Tiberias urbs ab Herode in honorem Tiberii Cæsaris condita, J. 6. v. 1.

Tiberius ab Augusto adoptatus, ei in imperio successit, L. 3. v. 1.

Timor & gaudium mulierum exeuntium de monumento unde ortum, Mat. 28. v. 8. & 10. Timor reverentialis, L. 7. v. 16.

Ti-

INDEX.

Titulus crucis Christi triplici idiomate conscriptus & quo ordine, J. 19. v. 20.

Torcular quid designet, Mat. 21. v. 33.

Totum pro parte, Mat. 12. v. 40.

Trachonitis regio aspera & saxosa, L. 3. vers. 1.

Tractio divina non fit foris in corpore, sed intus, in corde, J. 6. v. 44. Tractio omnium ad Christum & per Christum exaltatum, J. 12. v. 32.

Traditiones afferuntur, Mat. 23. v. 30.

Trad. divinæ agnoscendæ, L. 1. v. 2. Trad.

Ecclesiasticæ afferuntur, Mat. 15. v. 9.

Trad. seniorum, onera importabilia, Mat.

23. v. 4. Traditionum Pharisæicarum origo & authoritas, Mat. 15. v. 3. Multæ frivola,

turpes & contra verbum Dei, ibid.

procedebant ex ignorantia, Mat. 23.

vers. 16.

Traducere quid significet, Mat. 1. v. 19.

Transfiguratio fuit imitatio externæ speciei,

Mat. 17. v. 2.

Pro *Tribunali sedere* quid? J. 19. v. 13.

Tribunus quot milites sub se haberet,

J. 18. v. 12.

Triclinium quid sit, & unde dictum, J.

2. v. 8. & L. 7. v. 38.

Trinitatis mysterium exprimitur, L. 4.

vers. 18.

Tripudium filiæ Herodiadis in convivio,

Mar. 6. v. 22.

Tristitia in gaudium convertenda, J. 16.

v. 20. Tristitiam cur Christus in se excita-

ve-

INDEX.

verit, Mat. 26. v. 37. Non turbavit ea gaudium beatificæ visionis, v. 38. Tristitia somnum provocat, Mat. 26. v. 43.

Triticum sunt boni, *palea* mali, Mat. 3. v. 12.

Tunica Christi allegorice significat charitatem & Ecclesiam, J. 19. v. 24. Tunica Christi inconsutilis a B. Virgine contexta, ibid. Tunica inferiorem vestem significat, J. 19. v. 23. Tunica Petri fuit exterior chlamys seu pallium, J. 21. v. 7.

Tunio pectoris pœnitentibus familiaris L. 18. v. 13. & L. 23. v. 48.

Tyrus & Sidon numquam in potestatem Hæbræorum venerunt, Mat. 15. v. 21. Tyrus ubi sita, Mat. 11. v. 21.

V.

Væ æternæ miseriæ comminationem denotat, L. 6. v. 24.

Velum duplex in templo, Mat. 27. vers. 51.

Venia danda iis, qui nos offenderunt, ex animo, Mat. 18. v. 35.

Venire ad Christum pro credere in Christum, J. 6. v. 37. & seqq.

Ventilabrum quid significet, Mat. 3. vers. 12.

Verba Christi in nobis manere quid? J. 15. v. 7. Verba Dei audiens & faciens similis viro sapienti qui ædificat domum suam super petram, Mat. 7. v. 24. Verba
im-

INDEX.

imperativa interdum sumuntur permissive, J. 13. v. 27. Verbi divini consubstantialitas cum dicente, J. 6. v. 46. Verbum Dei suscipientes comparantur viæ publicæ, petræ, terræ spinosæ, terræ bonæ, Mat. 13. v. 19. 20. 21. 22. 23. Verbum divinum non est instrumentum aut minister Patris in creando, J. 1. v. 3. quæ ratione illuminat omnem hominem, J. 1. v. 9. Verbum phrasi Hebraica usurpatur pro re dicta, L. 1. v. 37. & L. 2. v. 15.

Veritas divinationis probatio est divinitatis, J. 14. v. 29. Veritas per se omnibus amabilis; per accidens odibilis malis, J. 3. v. 20. Veritas quomodo per Christum facta, J. 1. v. 17. Veritatis cognitiæ prævaricatio gravis, L. 12. v. 47.

Vespere pro nocte, Mat. 28. v. 1.

Vestigia pedum Christi ascendentis impressa petræ, L. 24. v. 51.

Vestitus mollibus quis? Mat. 11. v. 8.

Via plana mystice exponitur, L. 3. v.

5. Via salutis arcta, Mat. 7. v. 14.

Videre & audire apud Deum idem sunt, J. 3. v. 32.

Viduarum facultates exhauriebant Judæi, Mat. 23. v. 14.

Vigilare quomodo debeant Christiani semper, Mat. 24. v. 44. Mat. 25. v. 13. Mar. 13. v. 35. & 37.

Vigiliæ noctis tres horas singulæ continent, L. 12. v. 38.

Villicus & villicatio, L. 16. v. 1. Villicus iniquitatis, L. 16. v. 8.

INDEX.

Vinculorum nomine quid intelligatur, Mat. 16. v. 19.

Vindicare pro defendere, L. 18. v. 3. 7. & 8.

Vinea quid significat, Mat. 21. v. 33.

Vini in vulneribus grandis efficacia, L. 10. v. 34. Vinum acetosum Christo datum, Mat. 27. v. 34. quod tamen optimum solebat dari damnatis ad mortem, ibid. Aqua temperatum, Mat. 26. v. 27. Sumitur metaphorice, v. 29.

Viperæ sunt hæretici, Mat. 3. v. 7. Pharisæi, Mat. 12. v. 34.

Virgines decem, Mat. 25. v. 1. imprudentia quarundam, v. 2.

Virginitatis laus, Mat. 22. v. 3.

Vir mystice denotat rationem, quatenus regit appetitum, J. 4. v. 16.

Virtus & majestas Dei ad judicium venientis in quo consistat, Mat. 24. v. 3.

Virtutis Christi magnitudo, Mar. 9. v. 19. & 25.

Visitatio Dei facienda in die judicii, Mat. 22. v. 11. Visitatio subinde in bonam, subinde in malam partem sumpta, L. 1. v. 68.

Visus est sensus generalis juxta Augustinum, J. 20. v. 29. Visus porta luxuriæ, Mat. 5. v. 28.

Vita activa & contemplativa, L. 10. v. 42. Vita æterna acquiritur duobus potissimum mediis, J. 17. v. 3. Vita temporalis postponenda confessioni nominis Christi, Mat. 10. v. 39.

Vi-

INDEX.

Vitis veræ appellatio quam congruè Christo competat, J. 15. v. 1.

Una sabbati primam diem post sabbatum significat, J. 20. v. 1.

Unctio Christi in conceptione peracta, in baptismo demonstrata, L. 4. v. 18.

Unctione sanant Apostoli, Mar. 6. v. 13.

Unctio Regum, Sacerdotum, & Prophetarum Christi unctionem figurabat, J. 1. vers. 41.

Unguentum multiplex, Mat. 26. v. 7. Cur caput Christi eo perfusum, & pedes? ibid.

Per Unicum ejectum ex convivio nuptiali quid significetur, Mat. 22. v. 14.

Unione hypostatica rerum omnium imperium Christo traditum, Mat. 11. v. 27.

Unitas Christi cum Deo, communicatur Christianis, J. 17. v. 22. Unitas Dei in Trinitate personarum, Mat. 28. v. 19.

Vocari pro esse, Mat. 1. v. 3. Vocatum esse non sufficit, nisi quis vocatione sua digne se gerat, Mat. 22. v. 11.

Vocis Dei loquentis effectus, Mat. 14. vers. 27.

Volo pro præfero, Mat. 12. v. 7.

Voluntas signi & voluntas efficax, Mat. 23. v. 37. Voluntatis malitia est causa ignorantiae & cæcitat, J. 5. v. 40.

Vox Christi, *Ego sum* turbam prostravit, J. 18. v. 6. Vox magna toto mundo personabit, ministerio Angelorum in extremo judicio, & quare? Mat. 24. v. 31. Mat. 25. v. 6. *Ut,*

INDEX.

Ut, eventum non causam significat.
 Mat. 1. v. 22. Mat. 2. v. 15. Mat. 5. v. 16.
 Mat. 8. v. 17. Mat. 13. v. 13. Mat. 21. v.
 3. J. 12. v. 38.

Ulnera passionis manserunt in corpore
 Christi glorioso, L. 24. v. 39. Vulnerum
 Christo inflictorum quantitas & figura,
 J. 20. v. 25. & 27. Manserunt in corpore
 glorioso, & manent etiam nunc in cœlis,
 ibid.

Vulvam adaperire, periphrasis est pri-
 mogeniti, L. 2. v. 23.

Uxorem dimittere, aut dimissam duce-
 re mœchari est, L. 16. v. 18. Uxor qua-
 tenus pro Christo deferri possit, Mat. 19.
 vers. 29.

Z.

Zacharias pater Joannis Baptistæ non
 fuit summus sacerdos, L. 1. v. 5. & 9.
 Peccavit dubitando de testimonio Angeli,
 & ob id loquela & auditu mulctatus ad
 tempus, L. 1. v. 20. 22. & 62. Zacharias
 quis occisus? Mat. 23. v. 35. Zachariæ
 prophetia, quomodo ex Jeremia, Mat.
 27. v. 9.

Zachæus a munditie dicitur, L. 19.
 vers. 2.

Zizania sunt hæretici, Mat. 13. v. 25
 similia sunt tritico, v. 29.

Zo-


INDEX.

Zorobabel & Salathiel apud Lucam &
Matthæus diversi, L. 3. v. 27.

Zuinglius refutatur, Mat. 26. v. 26.

FINIS.









GS
O
703446